THEOLOGIA MORALIS

OMNES SUCCINCTE COMPLECTENS

MATERIAS PRACTICAS

PRO

UTILITATE CONFESSARIORUM, AC EXAMINANDORUM,

IN DUAS PARTES,

MORALEM, ET SACRAMENTALEM, DIVISAS,

AUCTORE P. F. JOSEPHO A.

CÆSAREMONTANO

Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI *Capucinorum bina vice Miniſtro Provinciali, & Ss. Theologiæ Lectore.*

PARS SECUNDA.

Materias ad Sacramenta pertinentes continens.


VENETIIS MDCCLXXII.

APUD FRANCISCUM EX NICOLAO PEZZANA,

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google



TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Hic Tractatus tres continet quæſtiones, 1. de Eſſentia, & Exiſtentia Sacramentorum, 2. de Miniſtro, & ſubjecto, 3. de Effectu, & Cæremoniis.

QUÆSTIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Sacramentum?

Reſp. 1. SAcramentum in genere definitur: ſignum ſenſibile rei ſacræ a Deo permanenter inſtitutum ad ſignificandam, & conferendam gratiam. Sacramentum aliud eſt veteris Legis, quod eſt ſignum ſenſibile, ſacrum a Deo permanenter inſtitutum, ad ſignificandam gratiam interiorem per paſſionem Chriſti in nova Lege dandam, & conferendam exteriorem, ac legalem in antiqua Lege. Aliud eſt novæ Legis, & definitur ſignum ſenſibile, ſacrum a Chriſto Domino permanenter inſtitutum, ad ſignificandam, & producendam per ſe ex opere operato gratiam interiorem.

2. Sacramenta novæ Legis alia ſunt mortuorum, quæ primo, & per ſe ſunt inſtituta pro ſpiritualiter mortuis ad remittendum mortale, & ad conferendam ex opere operato gratiam primam ſanctificantem, ut Baptiſmus, & Pœnitentiam. Alia vivorum, quæ per ſe primo ſunt inſtituta pro viventibus vita ſpirituali gratiæ ſanctificantis, ad illius augmentum; talia ſunt reliqua Sacramenta.

Quær. 2. *Quot ſint Sacramenta?*

Dico. Nulla extiterunt ante lapſum Adæ in breviſſimo innocentiæ ſtatu Sacramenta; quia nulla erant neceſſaria. Poſt lapſum vero in Lege naturæ extitit Sacramentum ad peccatum originale delendum, quod probabiliter fuit fides in Chriſtum venturum actu aliquo externo manifeſtata a parentibus; quia *non eſt aliud ſub cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, Act.* 4. In ſtatu Legis ſcriptæ a Moyſe uſque ad Chriſtum plura fuerunt Sacramenta, ut Circumciſio contra originale, Agnus Paſchalis, Conſecrationes Pontificum, & Sacerdotum, Expiationes, & Purificationes populi, *ita SS. Patres, & Concilia.* In nova vero Lege ſeptem ſunt Sacramenta, ſcilicet: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium a Chriſto Domino immediate inſtituta, poteſtate auctoritatis, ut Deo, & poteſtate excellentiæ, ac meritoria, ut homine; quia ut Deus illis gratiam annexuit, & ut homo illam meruit. Quorum duo ſunt mortuorum, & maxime neceſſaria, nempe Baptiſmus, & Pœnitentia; quia primam gratiam cauſant; & reliqua vivorum; quia illam, ut diſpoſitionem præſupponunt, illiuſque augmentum producunt, inter quæ præſtantiſſimum eſt Euchariſtia; quia ipſum Auctorem gratiæ continet.

Hinc 1. Lotio pedum non eſt Sacramentum; quia non eſt permanenter inſtituta, nec ex opere operato cauſat gratiam; nec prima Tonſura, nec Benedictio Abbatis, nec abſolutio ab excommunicatione, nec Conſecratio Eccleſiæ, vel Campanæ, Altaris, &c. quia non cauſant gratiam ex opere operato; nec Sacrificium Miſſæ, ut ſic; quia primario ad proteſtandum ſupremum Dei Dominium, non vero ad gratiam ex opere operato cauſandam, ordinatur. 2. Sacramenta antiquæ Legis differunt a Sacramentis novæ Legis; quia illa non cauſabant gratiam veram, & internam ex opere operato, ſed ſolum illam ſignificabant,

& le-

& legalem, & externam cauſabant: novæ Legis vero cauſant gratiam veram internam ex opere operato.

Quær. 3. *Quomodo Sacramenta perficiantur?*

Dico. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id, quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitnr Sacramentum, *Conc. Florent.* Materia remota eſt res aliqua naturalis ſenſibilis, & proxima eſt materiæ remotæ uſus, ſeu applicatio ad ſubjectum; forma ſunt verba, vel aliquid verbis æquivalens, quæ, nempe materia, & forma ſunt partes eſſentiales intrinſecæ Sacramentorum conſtitutivæ, quæ debent uniri moraliter, & ſibi coexiſtere ſecundum formæ ſignificationem. Materia, & forma ſunt a Chriſto determinatæ ſaltem in genere quoad Confirmationem, & Ordinem, & in ſpecie quoad alia, relicta Eccleſiæ poteſtate eas, quoad alia determinandi pro locorum, & temporum diverſitate. Verba Sacramentalia non ſunt ſolum promiſſoria, vel concionatoria, ſed vere conſecratoria; quia vere ex opere operato conſecrant, & ſanctificant ſuſcipientem Sacramenta rite diſpoſitum.

Hinc 1. graviter peccat, & invalide, vel ſaltem dubie baptizat proferens formam, facta jam ablutione, vel faciens ablutionem, prolata jam forma; quia forma indicat actuale, & non futuram, vel præteritam ablutionem. 2. Invalide conſecratur Hoſtia a tergo poſita, vel in tabernaculo incluſa, vel ſub corporali, aut mappa, ſeu pede calicis abſcondita; quia non eſt juxta ſignificationem verborum præſens, & per particulam *hoc* demonſtrabilis. 3. Invalide abſolvitur pœnitens abſens, vel in tanta diſtantia, in qua negotia tractare, vel ſaltem ſignis pœnitens, & confeſſarius ſe intelligere nequeunt. Valet tamen confeſſio, & dolor diei præcedentis cum abſolutione diei ſequentis; quia pœnitentia exercetur per modum judicii non tantam inter accuſationem, & ſententiam ſimultatem requirentis, quamvis ſecurius ſit, dolorem, & confeſſionem ſaltem generice renovare. 4. Graviter peccat adhibens materiam dubiam ſine extrema neceſſitate, ut baptizando aqua roſacea, vel in extrema neceſſitate illam non adhibendo; quia melior eſt materia dubia, quam nulla; vel adhibendo formam dubiam, ut bapti-

zando in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque.

Quær. 4. *Quænam mutatio irritet Sacramentum?*

Dico. Mutatio ſubſtantialis materiæ, vel formæ, quæ ſpeciem materiæ, vel ſenſum formæ mutat, irritat Sacramentum; non vero accidentalis, licet fiat cum intentione ritum erroneum introducendi, vel ſubſtantialis putetur, modo intendat facere, quod facit Eccleſia; quia ſubſtantialis Sacramenti eſſentiam tollit, non vero accidentalis: eſt tamen contra Chriſti, & Eccleſiæ auctoritatem, & pro ratione gravis mutationis grave peccatum. Mutatio formæ ſubſtantialis fit ſex modis. 1. Additione. 2. Detractione. 3. Variatione. 4. Verborum corruptione. 5. Tranſpoſitione. 6. Interruptione; & accidentalis fit mutatione idiomatis. Non licet adhibere materiam dubiam, niſi urgente neceſſitate, quando non poteſt haberi certa; nec formam conditionatam, niſi in dubio de valore Sacramenti irreiterabilis; vel in dubio de capacitate ſubjecti, vel valore materiæ; nec licet repetere formam ex frivola cauſa, etiam ſub conditione: repetere tamen *amen*, vel ſyllabam, aut verbum non eſt niſi veniale, *P. Gerv.* quia cenſetur materia levis, & in dubio potius eſt inclinandum in reiterationem, quam in omiſſionem; quia ſatius eſt Sacramentum exponere periculo nullitatis, quam hominem periculo æternæ damnationis, *S. Aug.* præcipue cum appoſita conditione præcaveatur irreverentia Sacramenti.

Hinc graviter peccat, & invalide baptizat mutans formam, 1. *additione*, dicendo cum Arianis, *in nomine Patris majoris, & Filii minoris, &c.* quia additione tollitur ſignificatio SS. Trinitatis. Sic invalide conſecrat, dicens: *hoc eſt Corpus meum aereum;* quia additione tollitur ſignificatio veri Corporis: valeret tamen Baptiſmus, ſi majoris, vel minoris ſolum in mente quis cum Arianis retineret, formam conſuetam externe pronunciando cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quia validitas deſumitur a ſenſu externo expreſſo; ſic valide baptizat dicens: *In nomine Patris ingeniti, & Filii geniti, & Spiritus ſancti ab utroque procedentis*; quia non mutatur ſignificatio ſubſtantialis; peccatet tamen venialiter contra ritum communem Eccleſiæ. Sic pariter valide baptizat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; addendo per modum propoſitionis diſtinctæ: *quæ Perſonæ non ſunt*

reali-

realiter diſtincta; vel addendo nomen *B. V. Mariæ*, quia verba eſſentialia integre prolata ſtatim operantur, ſecus, ſi illa verba tanquam pars prioris dictionis adderentur, & in nomine perſonarum non diſtinctarum, vel in nomine Mariæ, ut Perſonæ divinæ baptizare intenderet; quia, cum ſenſus prioris dictionis non eſſet ſine poſterioris, completus, SS. Trinitatis ſignificatio deſtrueretur. 2. *Detractione*; omittens in forma Baptiſmi verbum *Patris*. vel *Filii*; vel in forma Euchariſtiæ *meum*. Non vero eſt invalida reticendo *amen*, vel *enim*; quia in una, & altera forma ſenſus manet eſſentialiter completus. 3. *Variatione*, invalide quis baptizat *in nomine SS. Trinitatis*, ſine expreſſione perſonarum; quia myſterium SS. Trinitatis confuſe, & non expreſſe ſubſtantialiter exprimitur; & ſaltem dubie baptizat: *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*; quia de ſufficienti SS. Trinitatis expreſſione a variis dubitatur Auctoribus: valeret tamen dicendo: *ego te abluo, lavo, vel tingo in nomine, &c.* vel cum Græcis; *baptizetur Servus Chriſti, &c.*; peccaret tamen graviter in Eccleſia latina contra uſum communem. 4. *Verborum corruptione*, invalide baptizat dicens: *baptizo in nomine Matris, & Filii, &c.*, quia licet unica deficiat litera, fit tamen corruptio ſubſtantialis; econtra valide quis baptizat dicens: *ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta*; vel *in nomine Patri, & Fili, & Spiriti Sancti*. Similiter valide conſecrat dicens: *hoc eſt corpus meus*, vel *corpus meus*, ſi fiat ex lapſu, vel ignorantia linguæ; quia ex communi audientium judicio, & conditione perſonæ baptizantis, vel conſecrantis ſenſus integer manet: ſecus ſi patriam, vel filiam intelligeret; quia valor verborum æquivocorum dependet ab intentione proferentis. 5. *Tranſpoſitione*, invalide conſecrat dicens: *hoc Corpus eſt meum*, vel *meum eſt hoc Corpus*; quia ſignificatio mutatur ſubſtantialiter., & idem ſonat ac, hoc corpus pertinet ad me: valide vero, ſed illicite conſecrat dicens: *hoc eſt meum Corpus*. 6. *Interruptione*, invalide abſolvit dicens: *Ego te*, & poſt medium quadrantem, *abſolvo*, &c. valide vero abſolvit, ſi pronunciatis verbis: *Ego te*, dicat pœnitenti, fac contritionem; & poſtea, *abſolvo*, &c. *P. Thom. ex Charm.* quia communi judicio eadem eſt actio moralis, & ſignificatio moraliter conjuncta. Si vero dicto *Ego te*, pœnitens

de aliquo ſe accuſaret peccato, & Confeſſarius inquirat, moneat, pœnitentiam imponat, & tandem dicat: *abſolvo*, non videtur ejuſdem ſenſus moralis continuatio, ſed forma ab initio, & integre dicenda; ſecus, ſi peccatum tantum audiat, & formam poſtea continuet. 7. *Idiomatis mutatione*, baptizans, vel conſecrans in lingua germanica, vel gallica, valide, ſed non licite baptizat, vel conſecrat: gravius tamen peccat in alia lingua conſecrans, quam baptizans; quia magis repugnat uſui Eccleſiæ.

QUÆSTIO II.

DE MINISTRO, ET SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quiſnam ſit Miniſter Sacramentorum, quid, & quotuplex intentio, conditio, ac neceſſitas?

Reſp. 1. Miniſter Sacramentorum eſt, qui immediate Actionem ſacramentalem cauſat; primarius eſt ille, cujus nomine Sacramenta adminiſtrantur. Secundarius eſt ille, qui nomine Chriſti Sacramenta adminiſtrat. Alius eſt ordinarius, qui ſecundum Legem a Chriſto præſcriptam Sacramenta valide perficere poteſt. Alius extraordinarius, cui præter legem Chriſti ordinariam Sacramenta conficienda committuntur. Alius eſt ex officio, qui ad Sacramenta adminiſtranda eſt conſecratus. Alius neceſſitatis, qui, licet non ſacratus, in neceſſitate admittitur.

2. Intentio eſt actus deliberatus voluntatis aliquid faciendi, vel omittendi; attentio vero eſt actus intellectus conſiderantis objectum, vel actionem. Intentio ſacramentalis dividitur 1. in formalem, ſeu internam: & materialem, ſeu externam; formalis eſt, qua Miniſter intendit explicite conficere Sacramentum formaliter ſumptum, vel implicite, volendo perficere rem ſacram, vel quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod petitur a volente ſuſcipere Sacramentum. Intentio materialis eſt, qua ſolum vult ritum externum intentionem internam detinens,

tinens, vel contrariam habens. 2. Dividitur in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Actualis eſt illa, qua quis actu intendit aliquid facere in actu ſignato, dicendo v. g. volo conſecrare; vel in actu exercito attente faciendo, quod facit. Virtualis eſt, quæ virtute præcedentis actualis adhuc influit in effectum, & in Miniſtro virtualiter perſeverat per actionum ſeriem. Habitualis eſt actualis, non quidem revocata, ſed interrupta ſomno, vel notabili temporis mora, ita, ut non amplius influat. Interpretativa eſt, qua quis aliquid vult in cauſa cum prævisione effectus, vel quam cenſetur habiturus, ſi quædam poneretur conditio.

3. Conditiones aliæ ſunt ex natura rei, ut te abſolvo, ſi ſis baptizatus, diſpoſitus, vel nondum abſolutus, &c. quæ ſemper ſubintelliguntur; non tamen verbis debent exprimi; aliæ extraneæ, ſine quibus Sacramentum poteſt perfici, & hæ ſunt, vel de præterito, præſenti, vel futuro.

4. Neceſſitas Sacramentorum eſt triplex. Extrema, gravis, & levis. Extrema eſt urgens mortis periculum. Gravis eſt, dum urget præceptum, v. g. confeſſionis annuæ, aut confitendi peccatum mortale. Levis eſt, dum quædam adeſt utilitas, ut lucrandi indulgentiam plenariam, vel communicandi in Feſtis ſolemnioribus.

Quær. 1. Quiſnam ſit primarius, & ſecundarius Sacramentorum Miniſter?

Dico. Miniſter Sacramentorum primarius eſt Chriſtus: quia Sacramenta inſtituit, & ad eorum effectus, ut cauſa efficiens, & meritoria concurrit, ipſiuſque nomine adminiſtrantur. Secundarius, lege ordinaria eſt ſolus homo viator ratione utens; quia ex Chriſti inſtitutione actionem ſacramentalem ponit: non tamen quilibet pro quolibet Sacramento; quia non omnes a Chriſto pro omnibus Sacramentis ſunt deputati, excepto Baptiſmo, quia ſumme eſt neceſſarius. Lege extraordinaria poteſt etiam Angelus eſſe Miniſter; quia a Chriſto poteſt deputari.

Quær. 3. Quid requiratur in Miniſtro ad validam Sacramentorum adminiſtrationem?

Dico. Ad validam Sacramentorum adminiſtrationem requiritur in Miniſtro 1. poteſtas; quia ſine poteſtate non agit in nomine Chriſti. 2. Intentio, quæ debet eſſe 1. formalis, ſaltem implicita, faciendi rem ſacram cum circum-

cumſtantiis ritum ſacramentalem exprimentibus, vel quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod petitur: quia ſine intentione formali, ſaltem implicita non agit ut Miniſter Chriſti; & ita patet ex Concilio Florent. & Trid. *Seſſ.* 7. *c.* 11. 2. Debet eſſe determinata ad rem, verba, & ad perſonam præſentem, & in matrimonio in individuo; quia formæ ſunt pronunciativæ rei, & perſonæ determinatæ, & in matrimonio in individuo, quibus intentio debet proportionari, alias non eſſent veræ. 3. Debet eſſe actualis, vel ſaltem virtualis; quia actualis non ſemper eſt in noſtra poteſtate ob varias diſtractiones, quibus mens etiam nolens ſæpe occupatur, & virtualis vero influit per actionum ſeriem. Non vero ſufficit materialis, ſeu externa ponendi ſolum ritum externum, vel jocoſe, aut mimice; quia Miniſter non ageret in Perſona Chriſti, nec ſincere; nec habitualis, vel interpretativa; quia neutra influit; cum ſit interrupta, nec humano modo applicat agentem ad actionem; nec ſufficit conditionata de futuro; quia forma eſt abſoluta, & ſubſtantialiter mutaretur; valet tamen ſub conditione de præterito, vel præſenti, ſi conditio in ſe ſit impleta; quia in re eſſet abſoluta; non tamen requiritur, ut Miniſter intendat, vel ſciat effectum Sacramenti; quia Sacramenta agunt ex opere operato in nomine Chriſti poſito.

Hinc: nullum perficit Sacramentum, 1. *Defectu poteſtatis*, Diaconus ſimplex ordinans, vel laicus conſecrans. 2. *Defectu intentionis formalis*, Sacerdos panem ante ſe habens, & ex Evangelio legens: *Hoc eſt Corpus meum*; quia licet ponat ritum externum, nullam tamen habet intentionem conſecrandi; vel mater Aqua benedicta infantem aſpergens, vel lavando dicens; *te aſpergo, vel lavo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quia licet ritum externum Baptiſmi ponat, & intendat facere rem ſacram, nempe benedicere infantem, non ponit ritum externum cum circumſtantiis ritum ſacramentalem Eccleſiæ exprimentibus; nec perficit Sacramentum in theatro ritum Baptiſmi mimice exhibens, niſi mutata intentione, facere intendat, quod facit Eccleſia, ut contigiſſe dicitur cum S. Geneſio, quia in prædictis deeſt intentio formalis, etiam implicita. Valet tamen Baptiſmus a pagano verum Deum, & Sacramenta ignorante, Trinitatem perſonarum, & eſſen-

ſentiæ unitatem non intelligente cum debita materia, & forma collatus, vel ab hæretico, aut Pelagiano gratiam, & infantes Baptiſmo regenerari, negante; modo intendant facere, quod Chriſtiani faciunt, vel quod ab illis petitur per talem ritum, quia illum exhibendo, implicite volunt facere, quod facit Eccleſia. Sic Lutheranus contrahendo matrimonium facit Sacramentum, ſuppoſito, quod contrahentes ſint Miniſtri, & adſint alia requiſita; quia licet non credat matrimonium eſſe Sacramentum, contrahendo tamen vult facere, quod Chriſtus inſtituit, & cum Sacramentum inſtituerit, etiam implicite illud intendit: ſic baptizando dicens: *volo facere, quod facit Eccleſia Lutherana, non vero quod facit Catholica*, valide baptizat, licet contrariam habeat intentionem; quia implicite prævalet intentio Sacramenti, quod utraque Eccleſia intendit, & vult facere, quod Chriſtus inſtituit. Non vero valeret, ſi adderet, *licet Catholica ſit conformis inſtitutioni Chriſti*; quia tunc cenſetur nolle, quod Chriſtus inſtituit, ac proinde, non facere Sacramentum. 3. *Defectu intentionis determinatæ ad rem* invalide conſecratur una ex pluribus Hoſtiis ſine illius determinatione, vel media pars Hoſtiæ, non determinando ſiniſtram, vel dextram; nec conſecrantur guttæ interius, & minus exterius calici adhærentes, & a vino in fundo ſeparatæ, niſi ſpecialiter eas Sacerdos conſecrare intendat. *Vide plura de Euchariſtia*. 4. *Defectu intentionis determinatæ ad perſonam* invalide abſolvit volens abſolvere Petrum, & non alium, ſi pronunciet formam ſuper Paulum, quamvis ordinarie debeat velle abſolvere præſentem; nec valide contrahit matrimonium cum Berta, quam credidit eſſe Joannam; quia non eſt intentio determinata ad perſonam præſentem, ſed ad Joannam. 5. *Defectu intentionis determinatæ ad omnia verba* invalide conſecrat proferens ex lapſu linguæ, vel alia intentione: *hoc eſt*, & poſtea cum intentione conſecrandi, *Corpus meum*; quia intentio non eſt ad omnia verba eſſentialia determinata. 9. *Defectu intentionis ſaltem virtualis* invalide conſecrat Sacerdos ante ſe panem habens, & in ſomno, vel ebrietate verba conſecrationis ſe prolaturum ſciens, verba conſecrationis proferens; quia intentio eſt tantum habitualis, vel interpretativa, quarum neutra influit. Mane vero faciens intentionem celebrandi, vel Baptiſmum petitum ſero adminiſtrandi, valide conſecrat, & ba-

baptizat, licet in actuali conſecratione, vel Baptiſmi adminiſtratione eſſet diſtratus, *Gobat. Tamb.* quod verum puto, non præciſe vi intentionis prædictæ; ſed quia in eo, qui ſui eſt compos, fieri nequit, ut ſe induendo veſtimentis ſacris, & accedendo ad Altare, non habeat intentionem actualem, ſaltem in actu exercito, & virtualem in actuali conſecratione, vel Sacramenti adminiſtratione, quæ ſufficit, quamvis in praxi ante quamlibet Sacramenti adminiſtrationem actualis, & explicita pro majori ſecuritate, ac præparatione elicienda ſit: ſic etiam, valide quis contrahit matrimonium per procuratorem, licet tempore contractus contrahens principalis dormiat, etiam ſuppoſito, quod contrahentes ſint Miniſtri Sacramenti; quia intentio procuratoris actualis, vel virtualis eſt æquivalenter ipſius contrahentis principalis. 7. *Defectu intentionis abſoluta* invalide abſolvit dicens: *abſolvo te; ſi cras dimiſeris occaſionem proximam, vel reſtitutionem feceris;* ſic invalide contrahit matrimonium dicens: *contraho tecum matrimonium, ſi poſt menſem dederis dotem promiſſam*, niſi reddita dote conſenſum renovaverit, & ut multi volunt coram Parocho; valet tamen, ſi dicat: *abſolvo te, ſi ſis diſpoſitus*, vel *ſi ſis baptizatus*, ſi revera ſit diſpoſitus, vel baptizatus; quia exiſtente conditione ſuppoſita, intentio eſt abſoluta: peccat tamen venialiter, ſaltem contra uſum Eccleſiæ, & mortaliter, ſi adderentur conditiones incertæ; ut *baptizo te, ſi ſis Germanus, vel fueris Romæ*, quia exponit Sacramentum nullitati.

Quær. 4. *Quænam in Miniſtro ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem requirantur?*

Dico. Ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem requiritur in Miniſtro, ſive ex officio, ſive neceſſitatis, 1. ſub mortali, fides, & probitas conſiſtens in ſtatu gratiæ; quia triplex ſanctitas Chriſti, Sacramenti, & gratiæ per Sacramentum collatæ exigit etiam ſanctitatem, & ſtatum amicitiæ Miniſtri, tam ex officio, quam ex neceſſitate cooperantis rebus ita ſanctis, & quidem quoad Euchariſtiæ conſecrationem per confeſſionem, *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *c.* 7. & quoad alia Sacramenta ſaltem per contritionem moraliter certam; quia pro his nullibi extat præceptum confeſſionis, & certitudo moralis ſtatus gratiæ ſufficit ad vitandum peccatum, niſi neceſſitas eſſet ita urgens, ut prius conteri non poſſet, ut in articulo mortis quoad Bapti-

ptiſmum, S. *Thom.* & quoad pœnitentiam, quæ lapſis, ut Baptiſmus eſt neceſſaria; quia, cum Sacramenta propter hominum ſalutem ſint inſtituta, reverentia illis debita cedit neceſſitati. Non tamen requiritur fides, & probitas Miniſtri ad valorem Sacramenti; quia Eccleſia ſemper agnovit Sacramenta valida ab hæreticis, & peccatoribus in debita forma adminiſtrata, alias ſemper de illorum valore eſſet dubitandum, cum probitas, & fides Miniſtri ſæpe ſit incerta. 2. Requiritur ſaltem ſub veniali in Miniſtro attentio, & reverentia, quia ſancta debent ſancte, & devote tractari.

Hinc: graviter peccat 1. obſtetrix, etiam in neceſſitate infantem graviter periclitantem in ſtatu peccati mortalis baptizans, vel Parochus moribundum abſolvens, non præmiſſa contritione perfecta, niſi neceſſitas ita urgeat, ut præmitti nequeat; vel alia Sacramenta, etiam Viaticum adminiſtrans, *Laym. Suar. & alii*; quia non ita urgent; & licet Parochus Euchariſtiam adminiſtrando, Sacramentum non perficiat, gravem tamen etiam committit irreverentiam in ſtatu diſgratiæ, digniſſimum diſpenſando Sacramentum, & ſanctificationi ſuſcipientis proxime cooperando. Valide vero omnia adminiſtret Sacramenta Epiſcopus, vel Sacerdos, etiam hæreticus, etiam notorius excommunicatus non toleratus, degradatus, ſuſpenſus denunciatus, excepta pœnitentia; quia excommunicatus vitandus, degradatus, & ſuſpenſus nominatim denunciatus privantur juriſdictione extra mortis articulum. 2. Graviter peccat, ſaltem Diaconus in mortali functiones ſui Ordinis ſolemniter in Miſſa exercens, *Thom. ex Charm. Paul. Lugd.* quia licet Sacramentum non miniſtret, ad illius tamen confectionem proxime concurrit, non idem dicendum de Subdiacono, & Ordinibus minoribus; quia eorum functiones non ſunt ita ſacræ, & plurimæ poſſunt a laicis fieri, excepta Exorciſtæ functione; quia volens compeſcere dæmonem, cujus mancipium eſt, ob præſumptionem Chriſto injuriam facit, *P. Lugd.* nec graviter peccare videtur concionator in mortali, etiam ſolemniter concionans, non præmiſſa contritione, licet S. Thomas, & alii id doceant; quia non ita immediate ac proxime, ad juſtificationem peccatoris concurrit, ut in Sacramentorum adminiſtratione, *Rhodius, ac alii*; attamen Deo illudere videtur, ſi ſit peccator publicus, & hypocriſiam committit ſal-

ſaltem venialem, ſi ſit occultus; quia ſe externe Dei amicum, & interne per peccatum inimicum exhibet, & fructum impedit; nec graviter peccat in peccato mortali aquam luſtralem conficiens, Templum, aut Altare, Chriſma, vel Oleum infirmorum conſecrans, vel alia Sacramentalia perficiens, aut Euchariſtiam e loco movens, *P. Gerv. & alii;* quia Sacramentalia non ſunt res ita ſanctæ, ut Sacramentorum confectio, nec localis Euchariſtiæ motio eſt gratiæ ex opere operato cauſativa. 3. Graviter peccat Sacramenta petens, vel accipiens a quocunque Miniſtro improbo proprio, vel delegato; quia lex charitatis prohibet dare abſque legitima cauſa occaſionem proximo peccandi; excepto, 1. in extrema neceſſitate, & mortis articulo; in quo licet petere, & accipere Baptiſmum, & Pœnitentiam a malo Miniſtro etiam excommunicato non tolerato, hæretico, vel ſchiſmatico, *P. Thom. ex Charm. P. Gerv.* quia cenſuræ in odium mali Miniſtri, & non in detrimentum ſuſcipientium ſunt latæ, nec intendit Eccleſia ad illas obligare in mortis articulo, ut patet ex Concilio Trid. *Seſſ. 14. cap. 7.* & Concilii Trid. Interpretibus; Modo non adſit alius, & abſit ſcandalum, nec præbeatur Catholicis occaſio hæreſim, vel ſchiſma approbandi, vel ad hæreticorum partes deffectendi: tunc enim ſolum Baptiſmum infantibus in articulo mortis poſitis ab illis petere, & accipere licet; quia ipſis non aliud ſupereſt ſalutis remedium; non vero adultis, nec Pœnitentiam; quia Baptiſmo in voto, & perfecta contritione ſalvari poſſunt. 2. Excepta gravi neceſſitate, uti pro annua confeſſione, vel gravi peccato evitando, in qua licet Sacramenta petere, & accipere a quocunque malo Miniſtro ab Eccleſia tolerato; quia in gravi neceſſitate licet ab alio petere, quod licite præſtare poteſt, ſi velit; non vero a non tolerato: quia Eccleſia id prohibet. 3. Excepta etiam neceſſitate evi, in qua, ut pro lucranda indulgentia, vel Jubilæo licet Sacramenta petere a Miniſtro malo tolerato, ſi ſit Paſtor proprius, & non adſit alius: quia utitur jure ſuo ſibi a Paſtore proprio debito; non vero a Miniſtro malo non proprio, quamvis parato, vel expoſito. *P. Paul. Lugd.* contra. *P. Thom. ex Charm., & P. Gerv.* quia tenetur impedire, ne proximus actu peccet, & Dei offenſam continuet, cum poſſit ſine gravi ſuo incommodo, uti fit in neceſſitate levi non accipiendo Sacramenta ab

eo,

eo, qui illa adminiſtrare non tenetur; bene autem in neceſſitate gravi; quia non cenſetur eum inducere, cum paratus ſit.

Quær. 5. *Quodnam ſit ſubjectum capax ſuſcipiendi Sacramenta?*

Dico. Solus homo viator utriuſque ſexus lege ordinaria, & per ſe eſt ſubjectum capax ſuſcipiendi omnia Sacramenta præſuppoſitis quibuſdam dipoſitionibus: quia pro omnibus, & ſolis viatoribus ſunt inſtituta, excepto Ordine, cujus fœminæ ſunt incapaces, & excepta Pœnitentia, & extrema Unctione, & Matrimonio, quorum infantes non ſuut capaces; quia ſine actibus propriis materia, & forma non debite ipſis applicantur.

Quær. 6. *Quænam requirantur ad validam Sacramentorum ſuſceptionem?*

Dico. Ad validam Sacramentorum ſuſceptionem requiritur in ſuſcipientibus adultis, qui aliquando uſum rationis habuerunt, intentio poſitiva, ſaltem habitualis, vel interpretativa, aut ſaltem conſenſus generalis percipiendi, quod facit Eccleſia; quia ſine ulla intentione cenſentur abſolute; & habitualiter nolentes, ac inviti, quibus Eccleſia Sacramenta adminiſtrare non intendit, prout docet communis illius praxis; & in Matrimonio virtualis; quia requiritur ad valorem contractus, quia contrahentes ſunt ſimul Miniſtri, ut dicetur infra *de Matrim.* In parvulis vero, & perpetuo amentibus nulla requiritur intentio propria, ſed ſufficit illa Eccleſiæ, vel parentum; quia, cum propria voluntate nondum uſi ſint, non cenſentur habitualiter nolentes, vel inviti; & poteſt miniſtrans interpretari, eos tantum bonum ſibi velle applicari. 2. Requiritur ad valorem Sacramentorum a Baptiſmo diſtinctorum, ut recipiens ſit baptizatus: quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, ſine quo nullum vblide recipitur Sacramentum, ut communis docet Eccleſiæ praxis. 3. Fides quoad Sacramentum Pœnitentiæ; quia ſine illa contritio vel attritio, quæ ad materiam eſſentialem hujus Sacramenti pertinent, haberi nequeunt; non enim quis poteſt vere conteri, niſi credat Deum eſſe bonum, & per peccatum offenſum; poteſt autem alia Sacramenta valide recipere ſine dolore, ac proinde ſine fide.

Hinc 1. Infans pagani, vel judæi, aut perpetuo amens valide baptizantur, confirmantur, &c.; quia non cenſen-

ſentur abſolute inviti: illicite tamen invjtis eorum parentibus, niſi eſſent mancipia, vel in extremo mortis periculo, ut dicetur infra. 2. Invalide baptizatur paganus adultus reluctans, abſolute invitus, vel negative ſolum, vel ficte ſe habens, & corde diſſentiens, aut hæſitans; an velit baptizari, hic ſaltem ſub conditione debet denuo baptizari, quia requiritur conſenſus poſitivus, *Thom. ex Charm. Paul. Lugd.* aut poſt uſum rationis amens; quia cenſetur invitus habitualiter; vel dormiens, aut ignarus, niſi antea fuerint Cathecumeni, & Baptiſmum, vel alia Sacramenta petierint, & voluntatem non retraxerint; nec valet Matrimonium dato conſenſu in ſomno, vel in ebrietate, licet quis antea voluntatem contrahendi habuerit; quia habet rationem contractus, qui fit conſenſu ſaltem virtuali, & contrahentes habent rationem Miniſtri, niſi ſuppleatur per procuratorem dormiente, vel ebrio principali. 3. Chriſtianus poſt uſum rationis amens factus valide recipit extremam Unctionem, & Viaticum, ſed hoc indecenter; quia habet intentionem ſaltem interpretativam, & cenſetur velle ſibi ad ſalutem neceſſaria; non vero invitus, & adultus ignarus Religionis, & Sacramenti; quia illius ſumptio invita, vel ignara, licet ſit realis, non eſt Sacramentalis, nec ad Sacramenti effectum habitualiter ordinata. 4. Invitus ſecundum quid, ex metu reverentiali, precibus, minis, vel mortis metu motus, valide baptizatur, aliaque recipit Sacramenta; quia interne, vere, licet ægre, conſentit, & vult potius ea recipere, quam prædicta mala ſubire; non tamen tenentur, nec infantes ad onera, ut v. g. ratione Ordinis dicere Breviarium, ſervare caſtitatem, &c. quia ſic ordinati, & infantes cenſentur velle beneficia, non vero onera, niſi poſtea conſentiant; tenentur autem ad Breviarium, ſi habeant beneficium. & ad caſtitatem ſicut alii ſoluti.

Quær. 7. Quænam requirantur ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem?

Dico. Ad licitam Sacramentorum vivorum ſuſceptionem, & ad mortale evitandum, requiritur in adulto ſtatus gratiæ per confeſſionem quoad Euchariſtiam, *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *c.* 7; & quoad ordinationem, & matrimonium, ubi confeſſio præcipitur, *P. Grrv.* quoad alia autem Sacramenta per contritionem perfectam moraliter certam;

quia

quia ſtatus gratiæ moraliter certus ſufficit ad evitandam irreverentiam: ad evitandum vero veniale, quoad Euchariſtiam requiritur bonus voluntatis affectus, *P. Gerv. Rhod.* & quoad Baptiſmum fides eorum, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, *P. Thom. ex Charm.* quia *credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, Hebr.* 11. 6; & ſaltem attritio in eo, qui ante Baptiſmum peccavit; quia ſine retractione peccati actualis non fit ipſius remiſſio, & in eo, qui ſolum habet originale, propoſitum ſervandi legem.

Hinc: graviter peccat Sacramenta vivorum adminiſtrans peccatori publico nullum ſignum pœnitentiæ publice danti, ſeu notorio notorietate facti, vel juris, etiam publice petentibus; vel occulto occulte petenti, modo indignitatem alia via; quam per confeſſionem ſciat, cujus ſigillum violare non licet; quia in utroque caſu gravem committeret contra Sacramenta irreverentiam, & ſuſcipientis peccato ſine ratione cooperaretur, excepto 1. in Gallia, ſi ſolum adſit notorietas facti, ne ob zelum Miniſtrorum indiſcretum, ſcrupulum, præcipitationem, & malitiam quis injuſte infamia notetur, requiritur ſententia declaratoria notorietatis facti, ut Sacramenta publice petenti recuſari poſſint, ac debeant; niſi in caſu extraordinario, ut ſi fraterna cæde in omnium oculis mox pollutus, vel Sacerdote in Altari publice percuſſo Communioni appropinquaret; quia hæc nulla tergiverſatione celari poſſunt, & juri divino ita claro Lex civilis derogare nequit ſine ſcandalo, & notorietati juris æquivalent: ſic aperte mortui in duello Eccleſiaſtica ſepultura, obſcœna repræſentantes, niſi reſipiſcant, Sacramentis privantur ſine Judicis declaratione, *Tourn.* quia uſu in notorietatem juris tranſierunt: non tamen fiat in Gallia ſine Epiſcopi conſilio, ſi haberi poſſit. 2. Excepto Matrimonio in quibuſdam regnis, in quibus cum hæretico publico ob magnum Reipublicæ bonum, & ſpem converſionis contrahere licet, *P. Paul. Lugd.* nec peccat Sacramenta adminiſtrans peccatori occulto publice petenti, cum ſine infamia, vel ſcandalo repelli nequeat, & Chriſtus ſuo exemplo in Juda, & continua Eccleſiæ praxis id docuerit, excepto Ordine; quia pro illo fit morum inquiſitio, & vitæ teſtimonium petitur; & excepta pœnitentia;

tia; quia illius recuſatio fit occulte, licet publice petatur; nec licet publice Euchariſtiam petenti porrigere Hoſtiam non conſecratam; quia idololatria ſacrilegium vitari non debet. Nec licet dare abſolutionem ficte, etiam mortis vitandæ cauſa, *P. Gerv. & P. Gobat.* quia eſt mendacium cum injuria Sacramenti; negata tamen abſolutione poteſt Confeſſarius proferre aliquas preces, ne adſtantes negationem abſolutionis cum fractione ſigilli advertant, *P. Paul. Lugd.*

QUÆSTIO III.

DE EFFECTIBUS; ET CÆREMONIIS SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quinam ſint effectus Sacramentorum?

Reſp. Præn. 2. GRatia ſacramentalis alia eſt vera interior, & communis omnibus novæ Legis Sacramentis, & eſt ipſa gratia habitualis, ſeu ſanctificans prima, vel ſecunda reddens hominem juſtum, Deoque gratum. Alia eſt vera, interior, propria cuilibet Sacramento, & eſt gratia ſanctificans, prout annexum habet jus ad gratias actuales neceſſarias ad aſſequendum finem cujuſcunque Sacramenti. Alia eſt legalis, & exterior, quæ eſt conſecratio, ſeu mundities quædam exterior, qua quis fit aptus ad certas Religionis functiones obeundas, ut Sacerdotii, &c. quæ eſt antiquæ Legis.

2. Cauſa alia eſt phyſica, quæ per realem influxum producit actionem, per quam exiſtit effectus; alia moralis, quæ movet tantum cauſam phyſicam ad producendam actionem, per quam exiſtit effectus; utraque vel eſt principalis, quæ agit virtute propria, vel inſtrumentalis, quæ agit virtute ſibi a cauſa principali communicata.

3. Cauſare gratiam ex opere operato, eſt illam cauſare præciſe vi operis ex inſtituto divino exerciti; cauſare gratiam ex opere operantis eſt cauſare præciſe vi meriti conficienſis, vel ſuſcipientis Sacramentum.

4. Obex, ſeu fictio; quæ hic idem ſonant, eſt impedimentum ad recipiendam gratiam. Alius eſt negativus, qui

qui eſt carentia diſpoſitionis neceſſariæ inculpabiliter, ſeu invincibiliter ignoratæ ad gratiam recipiendam. Alius poſitivus, qui eſt receptio Sacramenti cum conſcientia peccati mortalis. His notatis.

Dico 1. Effectus primarius Sacramentorum eſt gratia ſanctificans, ac ſacramentalis, quam cauſant eo inſtanti, quo ſunt eſſentialiter integra in non habente obicem ex opere operato, *Conc. Trid. Seſſ.* 7. *c.* 8; non quidem phyſice, ſed moraliter; quia Deum ſolum movent moraliter ad illam producendam phyſice, majorem, vel minorem, ſecundum majorem, vel minorem ſubjecti diſpoſitionem, *Conc. Trid. Seſſ.* 6. *Can.* 7; Sacramenta mortuorum primam per ſe conferunt gratiam ſanctificantem; quia primario ſunt inſtituta pro remiſſione peccatorum, & per accidens ſecundam, ſi prima per Contritionem, vel Baptiſmum in voto jam ſit producta; quia alias eſſet ſuperflua illorum ſuſceptio. Sacramenta vero vivorum producunt per ſe ſecundam; quia primario ſunt inſtituta ad gratiæ augmentum, & per accidens primam in non ponentibus obicem, & facientibus, quantum in ſe eſt, *S. Thom.* quia ita Dei bonitas exigit. Sacramenta caracterem imprimentia cum obice recepta reviviſcunt ſublato obice poſitivo per Contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ, & ſublato negativo per poſitionem diſpoſitionis omiſſæ: quia alias ſuſcipiens gratia ſacramentali maxime neceſſaria in perpetuum privaretur, quod bonitati Dei infinitæ repugnat; non vero alia caracterem non imprimentia; quia, cum poſſint reiterari, pro iis nulla urget neceſſitas, & ſæpe oritur abſurditas, ut in reviviſcentia plurimarum confeſſionum, & communionum ſacrilege factarum, excepta extrema Unctione, & Matrimonio, *S. Thom.* quia ſaltem durante eodem morbo, vel conjugio reiterari nequeunt. Nullum antiquæ Legis Sacramentum cauſabat gratiam ex opere operato, nec ipſa circumciſio, quia non præciſe vi circumciſionis, ſed ex Dei liberalitate ob futura Chriſti merita gratia producebatur, nec ex opere operantis; quia parvuli illud exhibere non poterant; ergo ſaltem circumciſio modo quodam medio, nempe per modum operis operati producebat gratiam ex meritis Chriſti, & per fidem parentum, *P. Gerv.*

Hinc 1. Perfecte contritus cum voto Sacramenti per abſolutionem, vel Baptiſmum fluminis non primam, ſed ſe-

B 2 cun-

eundam accipit gratiam; quia prima jam præexiſtit. 2. Amittens per peccatum mortale gratiam ſanctificantem videtur amittere etiam ſacramentalem, & jus ad ſpecialia auxilia; quia illi eſt annexum, non vero caracterem; quia eſt indelebilis, ut mox dicetur; nec poteſtatem ſpiritualem Ordinis; quia fundatur in caractere indelebili. 3. Per accidens primam accipit gratiam recipiens in neceſſitate Euchariſtiam cum vera attritione, & contritione ſolum putativa, vel præmiſſa confeſſione cum attritione facta Sacerdoti, quem putavit approbatum, qui tamen non eſt, vel inculpabiliter ignorans, ſe eſſe in mortali, & eliciens ſolum attritionem, *S. Thom.* vel recipiens aliud Sacramentum vivorum, ut confirmationem; quia Sacramenta vivorum producunt per accidens primam gratiam. 4. Baptiſmus ſine fide, vel attritione ex ignorantia inculpabili receptus, reviviſcit ſuppleta fide, vel attritione; omiſſa vero fide, vel attritione ex negligentia mortali, vel commiſſo mortali poſt Baptiſmum cum obice receptum requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento; quia tunc eſt obex poſitivus, qui ſola attritione non tollitur, ſic Confirmatio, & Ordo, in, vel cum mortali conſcio ſuſcepti per contritionem perfectam, vel confeſſionem reviviſcunt, & gratiam ſacramentalem vi caracteris producunt.

Dico 2. Effectus ſecundarius quorumdam Sacramentorum eſt caracter, qui imprimitur in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, ut fides docet in *Concilio Trid. Seſſ.* 7. *c.* 9: & juxta idem Concilium eſt ſignum ſpirituale indelebile impreſſum animæ, quo homo ad divina deputatur, & ab aliis diſtinguitur: unde non eſt mera denominatio extrinſeca, vel relatio realis ad quædam agenda, vel recipienda, ſed eſt verum accidens phyſicum, & abſolutum: quia denominatio, vel relatio non dicitur imprimi, ſed reſultare, bene autem accidens phyſicum.

Quær. 2. *Quid, & quotuplices ſint Cæremoniæ?*

Reſp. Cæremonia eſt actus externus Religionis, qui ad honorem Dei, ornatum, & pompam cultus divini, ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem, & ad devotionem populi excitandam inſtitutus eſt. Cæremoniæ aliæ reſpiciunt Sacramentorum adminiſtrationem, & vocantur ritus ſacramentales, quorum aliqui a Chriſto, alii ab Apoſtolis, alii ab Eccleſia ſunt inſtituti. Aliæ reſpiciunt

cul-

cultum divinum in genere, & vocantur ſacramentalia; ſuntque partim ab Eccleſia inſtituta ad quoſdam effectus ſpirituales producendos, quæ ſunt 1. Oratio Dominica. 2. Signum crucis Aqua luſtrali formatum. 3. Panis, vel Fructus ab Eccleſia benedicti. 4. Confeſſio generalis, vel pectoris tunſio corde contrito. 5. Eleemoſyna, ac alia opera miſericordiæ. 6. Tonſura clericalis, Abbatum Benedictio, vel Regum unctio, quæ hoc verſu continentur.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Quær. 3. *Quiſnam Cæremonias inſtituere poſſit, an ſint laudabiles, at neceſſario obſervandæ?*

Dico: Eccleſia poteſtatem habet inſtituendi, & mutandi Cæremonias, etiam in Sacramentorum diſpenſatione adhiberi ſolitas, ſalva illorum ſubſtantia, *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *cap.* 1. quia accepit a Deo poteſtatem promovendi exteriorem cultum Dei; & ornandi Sacramenta; ſuntque honeſtæ, & laudabiles, ac utiles; quia Majeſtatem ac Reverentiam myſteriis Religionis conciliant, eorum notitiam promulgant. Ritus in Sacramentorum adminiſtratione ab Eccleſia uſitatos, & approbatos mutare, negligere, vel omittere peccatum eſt ex ſuo genere mortale; quia in re gravi; ut eſt Sacramentorum adminiſtratio, Eccleſiæ præcipienti ſub mortali eſt obediendum: per accidens vero eſt veniale, 1. Ob parvitatem materiæ: ſic leves ſunt, quæ remote, vel leviter, aut ſine ſingulari ſignificatione ad ſolum decorem, & actionem Sacramenti concurrunt, ut genuflexiones, inclinationes, pectoris tunſiones. 2. Si ex defectu non multum culpabili, ut defectu attentionis, ſcientiæ, ac experientiæ ſunt omiſſæ.

Hinc: graviter peccat 1. in baptizando ex reſpectu humano ad evinandum levem hæreticorum deriſum omittens inſufflationem, & quoſdam exorciſmos; quia ſunt de antiquo Eccleſiæ uſu, & contra dæmones plurimum efficaces, ut docet S. Cyrillus, & S. Aug. 2. Conficiendo Euchariſtiam plurimas omittens Cæremonias, licet accidentales, & ob urgentem moribundo opitulandi neceſſitatem fiat, *S. Thom.* quia in hac neceſſitate poteſt Miſſa interrumpi, & poſtea ſervatis Cæremoniis continuari; ſecus, ſi propriæ mortis ab inimicis, vel proxima Eccleſiæ ruina imminentis vitandæ cauſa fiat, *Pont.* quia tunc eſt impotentia phyſica eam continuandi. Vide infra *T. de Euch. Q.* 2. *Quær.* 8, vel ſi ob diſtantiam loci non poſſet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

redire ad perficiendam Miſſam. 3. Non vero peccat ad infantem moribundum baptizandum, & alium ſimul ægrotum pariter moribundum adminiſtrandum vocatus omnes non eſſentiales Eccleſiæ Cæremonias baptizando, & ægroto extremam Unctionem adminiſtrando omittens, ne utriuſque Sacramenti ritus obſervando, alteruter ſine Sacramento obeat; illas tamen poſtea non ſupplens, cum tempus permiſerit, graviter peccat; quia eſt materia notabilis, ſecus ſi unam tantum, aut alteram genuflexionem, vel crucem, &c. neglexerit.

Quær. 4. *Quinam ſint Sacramentalium effectus?*

Dico. Sacramentalia remittere poſſunt peccata venialia, & aliquo modo etiam mortalia, & producere gratiam ſanctificantem, non quidem immediate, & ex opere operato; quia non habent eandem, ac Sacramenta efficaciam; nec ſolum ex opere operantis pios motus excitando, ſicut imagines, bona exempla, & locutio ſpiritualis; quia vim habent ex inſtitutione Eccleſiæ majorem; ſed modo quodam medio, nempe per modum operis operati, *P. Paul. Lugd. P. Gerv.* conferendo certas gratias actuales ob inſtitutionem Eccleſiæ a Chriſto liberaliter conceſſas, quibus pii motus peccatorum mortalium remiſſivi, ut charitatis, ac contritionis perfectæ, aliique venialium remiſſivi, ut attritionis, &c. producuntur; etiam interdum alios adhuc conferunt effectus corporales, & ſpirituales, ut remiſſionem pœnæ temporalis, expulſionem dæmonis, operationem ſanitatis; non tamen infallibiliter; quia non habent promiſſionem Chriſti obligatam, ut Sacramenta.

TRA-

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

Hic Tractatus duas duntaxat habet quæſtiones, 1. de Baptiſmo, & de Confirmatione.

QUÆSTIO I.

DE BAPTISMO.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus?

Reſp. Baptiſmus eſt triplex, 1. ſanguinis, qui eſt Martyrium pro Chriſto perpeſſum, 2. Flaminis, qui eſt deſiderium Baptiſmi, ſeu perfecta cordis contritio. 3. Fluminis, qui eſt Sacramentum, & definitur: novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſpiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem factam aqua ſub præſcripta verborum forma.

Quær. 2. Quænam ſit Baptiſmi neceſſitas, & quando ſit inſtitutus?

Dico. Baptiſmus eſt primum, & initerabile Sacramentum maxime neceſſarium neceſſitate medii parvulis, & adultis perpetuo amentibus in re, & aliis adultis ratione utentibus in re, vel in voto explicito Sacramenti; quia ita indicare videtur Conc. Trid. *Seſſ.* 6. *c.* 4. & neceſſitate præcepti: quia *Matthæi* 28. præcipitur: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* excepto duplici caſu, nempe, 1. Martyrii, quod in parvulis, & adultis ſup-

plet Baptiſmum conferens gratiam ſanctificantem ex opere operato, *S. Aug.*, *& Traditio Eccleſiæ*. 2. Ignorantiæ invincibilis Legis Baptiſmi; quia tunc ſufficit Baptiſmus in voto implicito in actu perfectæ contritionis, vel charitatis, & in propoſito generali ſervandi omnia Dei mandata incluſus; in neutro tamen caſu gratia ſacramentalis, nec character producitur; quia ſunt effectus Sacramenti; nec Baptiſmus in voto totam delet pœnam temporalem, niſi charitas ita eſſet intenſa, ut totius relaxationem mereretur. Baptiſmus fuit inſtitutus ante Chriſti paſſionem; quia *Joan.* 3. Diſcipuli ejus ante paſſionem baptizabant Baptiſmo Chriſti, *S. Auguſt.* & incepit obligare facta illius ſufficiente promulgatione tempore Pentecoſtes, quando proprie Lex nova obligare incepit. Differt a Baptiſmo Joannis; quia iſte non cauſabat gratiam ex opere operato.

Hinc 1. Baptiſmo ſanguinis ſalvantur, & ex opere operato juſtificantur parvuli, & a nativitate amentes, in odium fidei, vel Religionis occiſi; quia ita tenet Eccleſia. 2. Adulti lethaliter vulnerati, vel occiſi, quia fidem negare, vel ab exercitio certæ virtutis deſiſtere noluerunt, licet in ſomno, vel dum actu non cogitaverunt, fuerint occiſi, modo antea pro fide Chriſti, vel virtutis exercitio mori ſtatuerint ſine animo ſe defendendi, *P. Gerv.* quia intentio, ac voluntas habitualis in ſubjecto ſufficit: non vero miles contra infideles pugnans, nec in obſequio peſtiferorum moriens, niſi ex opere operantis, ſi charitas Dei perfecta ſimul concurrat. 3. Baptiſmo flaminis juxta S. Thomam, & S. Bernardum, ex opere operantis juſtificatur emittens profeſſionem religioſam, licet defectu materiæ, vel formæ non fuiſſet valide baptizatus; vel eliciens actum perfectæ contritionis, vel charitatis cum voto explicito Baptiſmi, ſi ſciat Baptiſmi præceptum, & ſe non eſſe, vel non valide baptizatum; vel cum voto ſaltem implicito in actu perfectæ charitatis, & voluntate ſervandi omnia mandata Dei contento, ſi nullitatem, vel obligationem Baptiſmi ignoret, *Tourn.* quia ita innuere videntur Concilii Trid. ac SS. Patrum teſtimonia, in utroque tamen caſu, ſi vulnere lethali non moriatur, vel a morte reſuſcitetur, aut poſt perfectam charitatem nullitatem, vel obligationem Baptiſmi agnoſcat, tenetur habita occaſione recipere Baptiſmum flumi-

nis;

nis; quia Baptiſmus ſanguinis, & flaminis, nec gratiam ſacramentalem, nec caracterem conferunt; & graviter peccat adultus Sacramentum ultra medium annum abſque rationabili a Prælatis approbata cauſa differens, vel Baptiſmum parvuli, ultra quartam diem, ob frequentiora mortis illius pericula, *P. Paul. Lugd.* quia quilibet tenetur ſalutis ſuæ, & ſuorum habere curam.

Quær. 3. *Quænam ſit materia & forma Baptiſmi?*

Dico. Materia remota ad valorem Baptiſmi requiſita eſt ſola aqua naturalis, vel elementaris qualiſcunque, modo non plus habeat de aliena ſubſtantia. Ita docet Concilium Trid. *Seſſ.* 7. *c.* 2. praxis Eccleſiæ, & ipſe Chriſtus, *Joan.* 3. dicens: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & ad liceitatem extra neceſſitatem debet eſſe pura ſine mixtione, non turbida, nec dubia, & pro ſolemni ſaltem Baptiſmo ex ſacro Fonte, *P. Gerv. & alii*; materia verò proxima eſt exterior partis corporis notabilis ablutio facta a Miniſtro per aquam immediate ſupra corpus baptizandi defluentem per trinam aſperſionem, aut infuſionem, juxta loci conſuetudinem, quæ tamen non eſſentialiter, nec ſub præcepto debet eſſe trina, ſecluſa lege ſpeciali, cum unica formæ pronunciatione, quæ apud Latinos eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen*; quia ſub his verbis Chriſtus Baptiſmum inſtituit, *Matth. ult.* nec valet alia, niſi ſit ſubſtantialiter æquivalens, ut Græcorum: *Baptizetur Servus Chriſti, &c.* debetque pro valore illius exprimi, 1. actio baptizantis, & perſona baptizandi, quod fit in lingua latina per verba: *Baptizo te*. 2. Unitas naturæ divinæ, quod fit per verba *in nomine*, in ſingulari. 3. Trinitas perſonarum explicita, & diſtincta, quod fit per reliqua verba *Patris, & Filii, &c.*

Hinc 1. *Defectu materiæ remotæ* invalide baptizat, graviterque peccat, etiam in extrema neceſſitate, 1. baptizans vino, lacte, ſucco ex roſis, aliiſve floribus, pyris, ceraſis, &c. expreſſo, *P. Thom. ex Charm.*, *P. Paul. Lugd. P. Gerv.* 2. Saliva, phlegmate, ſudore, lacrymis, urina, aqua ſupernatante cruori, *P. Gerv. P. Paul. Lugd.* 3. Juſculo bene cocto, *P. Paul.* præcipue quadrageſimali, ſi alia ſubſtantia prævaleat. 4. Coloribus ad pingendum aptis, *Dian. Gobat.* glacie, grandine, pruina non reſolutis, *P. Lugd.* vel reſolutis duntaxat in corpore baptizati; quia

licet

licet aqua poſtea fluat, iſte aquæ motus non a baptizante, ſed a calore baptizati cauſatur; ſaltem dubius eſt Baptiſmus, *Bill.* cum etiam aliquo modo ab applicante nivem, glaciem, &c. ſaltem mediate cauſari videatur; quia omnia prædicta, vel non ſunt aqua elementaris, vel non ſunt ad abluendum apta. 5. Dubie baptizat, & extra neceſſitatem graviter peccat baptizans juſculo tenui, vel leviter cocto, cereviſia, ptiſana, aqua e ſale reſoluta, *P. Gerv.*, *& Paul. Lugd.* aqua roſacea, vel alia per alchimiam educta, mulſo, brodio, aqua fluente ex arboribus, vineis, atramento tenui, *apud P. Gerv.* quia dubium eſt, an prædicta ſint aqua elementaris, vel ad abluendum ſatis apta, ac proinde non niſi in extrema neceſſitate adhibenda cum hac forma conditionata: *ſi materia ſit valida, ego te baptizo, &c.* & ſi infans moriatur, antequam rebaptizetur, ſepeliri debet in loco ſacro. 6. Valide vero quis baptizat aqua maris, putei, fontis, pluviæ, ex lapidibus, parietibus, nive, glacie, grandine, fluente ex humore, vel vaporibus; ut oræ ollæ adhærente, calida, frigida, colorata, *P. Gerv. Paul. Lugd.* etiam aqua balnei, etiamſi ex ſulphure, vel cinere fluat, vel luto mixta, item lixivio, juſculo carne cocto, *P. Gerv.* quia omnia prædicta, vel ſunt ex majori parte aqua elementaris, vel accidentaliter duntaxat mutata, & ad abluendum ſatis apta: lixivium tamen, & juſculum, a quibuſdam habentur pro materia dubia; & graviter peccat extra neceſſitatem aquam adhibens impuram, & turbidam, vel in ſolemni Baptiſmo aliam, quam ex ſacro fonte, *P. Gerv.* quia eſt contra communem Eccleſiæ uſum.

Hinc 2. Ex defectu materiæ proximæ, invalide baptizat, 1. ſeipſum baptizans, vel ſolum veſtes madefaciens, vel digito ſolum madefacto baptizandum ſine tractu, vel ſucceſſivo aquæ fluxu tangens, vel ſuper cadentem in puteum, vel fluvium, vel ſub tegulis tempore pluviæ ſtantem, vel fortuito aqua perfuſum, vel etiam expreſſe in fluvium projectum animo eum baptizandi formam proferens; vel ſi unus abluat, & alter formam proferat; quia in prædictis non eſt ablutio, vel non facta a Miniſtro, niſi Miniſter teneat infantem ſub ſtillicidio tempore pluviæ, vel niſi infantem in aquam intingat, vel projectum in puteum fune extrahat, *P. Gerv.* vel ſaltem videtur Baptiſmus dubius, niſi manibus baptizantis ſal-

tem

tem fiat baptizati immerſio; quia alias ablutio non videtur a Miniſtro facta, nec ſit irregularis, ſi in extrema neceſſitate mors propterea, vel per infuſionem acceleretur, *Baſſ. Dian.* nec debet fieri modo ita extraordinario, niſi in extema neceſſitate. 2. Dubie baptizat ablutione facta ſolum in pede, vel manu, aut digito, vel capillis, vel unguibus, aut umbilico, in tenuiſſima veſte, vel ſecundinis, *Baſſ. Gobat. & alii;* vel in utero matris ſpongia, vel tubo aquam infundendo, *P. Gerv. & alii;* vel etiam in capite exterius parente; ſaltem ſecurius eſt, ut rebaptizetur ſub conditione, *Pont.* quia diverſa eſt Auctorum opinio, cum nondum ſit perfecte in mundum natus; niſi forte iſtius rebaptizatio in aliqua diœceſi prohibita ſit, ut in Argentinenſi, *Rit. Arg.* 3. Valide tamen baptizat poſt totalem egreſſionem infantis faciendo ablutionem in capite aſperſione, immerſione, vel infuſione; quamvis non ſit trina, fluente etiam unica gutta, vel proprio pondere, vel tractu, ut formando digito madefacto crucem in fronte, vel abluendo in pectore, vel in ſcapulis, *P. Gerv.* quia ſunt partes notabiles, & in morali æſtimatione, cenſetur homo ablutus; ſi tamen fieret ablutio unica gutta licet fluente, Baptiſmus videtur dubius, & ſub conditione reiterandus, *Bill. quia* Auctores non conveniunt, cum dubium iis videtur, an vere poſſit dici unica gutta ablutus; unde extra neceſſitatem major quantitas aquæ eſt adhibenda; nec valeret, ſi ablutio fieret in partibus minoribus, vel ſaltem eſſet dubius; quia dubium eſt, an propterea poſſit dici ablutus; nec licite baptizatur infans extra neceſſitatem, niſi in capite, quia eſt nobilior pars, & ita præcepto, vel uſu eſt receptum, *P. Gerv.*

Hinc 3. *Defectu formæ*, invalide baptizat, vel ſaltem dubie; quia controverſia eſt inter Doctores, graviterque peccat 1. omittens in lingua germanica, vel gallica particulam *ego*; quia ſine illa non ſatis clare exprimitur perſona baptizantis; bene autem in lingua latina. 2. Omittens particulam *te*, vel aliquid æquivalens, ut in lingua græca *Servus Christi*, quia non exprimitur perſona baptizandi; vel omittens *baptizo*, vel verbum æquivalens; quia non exprimitur actio Miniſtri; vel omittens in lingua germanica, vel gallica particulam *in*, quia nullus, vel ſaltem non completus eſt ſenſus; bene autem in lingua latina. 3. Dicens: *in nominibus* in plurali; quia non expri-

exprimitur unitas naturæ divinæ, vel omittens particulam *et*; quia non ſatis clare exprimitur diſtinctio perſonarum; vel baptizans tantum in nomine Chriſti, vel Domini, vel Trinitatis abſque nominatione perſonarum; quia non exprimitur Trinitas perſonarum: valide vero quis baptizat in omni lingua, omittendo *amen*, vel in lingua latina *ego*, vel *in*; quia ſine illis ſenſus formæ eſt ſubſtantialiter completus; venialiter tamen peccat contra uſum Eccleſiæ.

Quær. 4. Quiſnam ſit Miniſter Baptiſmi?

Dico. Quamvis omnis homo viator cujuslibet ſexus, conditionis, ac Religionis valide, & in neceſſitate licite baptizaret; quia ex Concilio Flor. & Traditione conſtat, hanc fuiſſe voluntatem Chriſti ob maximam hujus Sacramenti neceſſitatem: Miniſter tamen primarius ordinarius eſt Epiſcopus, & ſecundarius eſt Parochus: quia ambo habent juriſdictionem ordinariam, ipſiſque Chriſtus dixit: *docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & extraordinarius eſt Diaconus, qui non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi ſolemniter baptizare poteſt, *c. Diac. diſt. 93. Tournely, Laym.* & reliqui, etiam infideles, & hæretici ſunt Miniſtri neceſſitatis, quibus non niſi in extrema neceſſitate, & ſine ſolemnitate baptizare licet; quia ita docet Concilium Flor. & praxis, ac Traditio Eccleſiæ; debetque quidam ſervari ordo, etiam in neceſſitate, & præferri dignior minus digno, & quidem ſub mortali Præsbyter Diacono, & Diaconus aliis Clericis, ac laicis, & fidelis infideli *P. Gerv.* & ſub veniali Subdiaconus aliis Clericis, & iſti laicis, *ibid.* quia Presbyter, ut Miniſter ordinarius, & Diaconus, ut extraordinarius, jus quoddam habent baptizandi, & fidelis præ infideli, quod violare grave eſt peccatum, non vero alii; nec ſine injuria Ordinis Presbyter Subdiaconum, vel alium inferiorem ad baptizandum committere poteſt, niſi tempore peſtis, ut ipſe pro aliis Sacramentis adminiſtrandis conſervetur, *P. Gerv.* nemo poteſt ſemetipſum baptizare; quia debet inter baptizantem, & baptizatum eſſe diſcretio, *Innoc. III. cap. debet de Bapt.* poteſt tamen valide unus plures baptizare applicando ipſis ſimul materiam, & formam: *Ego vos baptizo, &c.* & plures unum, ut cauſæ totales, quilibet integram materiam, & formam ponendo; quia non fit mu-

tatio

tatio ſubſtantialis in utroque caſu, & qui primus abſolvit producit effectum; non vero licite; quia eſt contra praxim Eccleſiæ; nec valide, ut cauſæ partiales, dicendo: *nos te baptizamus*; vel unus applicando materiam, & alter formam; quia Sacramentum non poteſt dividi, & forma non eſſet in poſteriori caſu vera.

Hinc: graviter peccat 1. Sacerdos, qui nec eſt Parochus, nec Vicarius abſque neceſſitate, & licentia Epiſcopi, vel Parochi baptizans, vel parentes alieno Parocho infantem baptizandum offerentes; quia jus alienum, nempe proprii Parochi graviter violant. 2. Diaconus præſente Presbytero, etiam in neceſſitate baptizans, vel Parochus id illi committens, vel Subdiaconus præſente Diacono; quia præſente Presbytero non eſt neceſſitas, ut Diaconus baptizet, nec præſente Diacono, ut baptizet Subdiaconus. 3. Graviter peccat Lutheranus baptizans præſente Catholico; quia eſt Miniſter improbus. 4. Venialiter ſaltem peccat Exorciſta, vel alius in minoribus baptizans præſente Subdiacono, vel Ludimagiſter præſente Exorciſta, vel alio in minoribus, vel obſtetrix præſente Ludimagiſtro, vel alio maſculo, niſi illa melius eſſet de modo baptizandi inſtructa, vel ſi vir decenter ad mulierem parientem, vel infantem periclitantem ingredi nequeat, ut ſi in utero matris adhuc hærens eſſet baptizandus, in quo ultimo caſu etiam proprio Parocho eſt præferenda, *Paul. Lugd.* rebaptizandus tamen eſt infans ab obſtetrice baptizatus, ſi ob accelerationem, perturbationem, ignorantiam, &c. rationabile eſſet dubium de illius valore non vero baptiſatus apud hæreticos, ſi ſoleant in debita forma baptizare.

Quær. 5. *Quodnam ſit Subjectum Baptiſmi?*

Dico. Solus, & omnis homo viator eſt ſubjectum capax Baptiſmi, etiam infideles, & a nativitate perpetuo amentes valide, ac licite baptizari poſſunt; quia ita docet perpetua Eccleſiæ praxis, ac Traditio, & Concilium Trid. *Seſſ.* 7. *Can.* 13. etiam infantes hæreticorum, apoſtatarum, & infidelium mancipiornm, etiam invitis parentibus; quia hæretici ſubjecti ſunt Eccleſiæ, & ad fidem cogi poſſunt, & mancipia jure infantum privati ſunt, ac contra eorum voluntatem in Fide Catholica poſſunt educari. Non vero invitis parentibus licite baptizantur infantes infidelium Principibus infidelibus, vel Chriſtia-

ſtianis civiliter ſolum ſubditorum, *Conc. Tolet. IV.* quia, ſi ſic baptizati relinquantur parentibus, exponuntur apoſtaſiæ, & eorum Baptiſmus profanationi, & ſi a parentibus abſtrahantur, fit ipſis injuria contra Jus naturale, quod habent in ſuos infantes; niſi 1. infantes eſſent in certo mortis periculo. 2. Si alteruter parentum conſentiret, *Conc. Tolet. IV.* vel ſit Chriſtianus, aut ad fidem converſus; quia cenſetur conſentire. 3. Si infans ſit perpetuo, vel ab infantia ante uſum rationis amens; quia ceſſat periculum injuriæ Sacramenti, & libertatis, quam nondum habuit in poſſeſſione. 4. Si juſte, vel injuſte a parentibus ſit abſtractus, & non debeat reſtitui. 5. Si rationis compos baptizari petat.

Hinc, invalide baptizatur 1. infans in utero matris nulla illius parte exterius parente, *S. Aug.* niſi ſpongia, vel tubo in utero matris ablui poſſit; quia in extrema neceſſitate medium dubium potius adhibendum, quam nullum, *P. Gerv.* nec eum ex utero matris cum probabili vitæ matris periculo ſecare licet, ne ſine Baptiſmo pereat, *S. Thom. & communis*; etiamſi mater conſentiat; quia non habet vitæ ſuæ dominium; bene autem ſi ſalva matre id fieri poſſit; quamvis aliquod ſubeſſet periculum; quia quilibet tenetur vitam temporalem exponere pro ſpirituali proximi in extrema neceſſitate, *Gobat.* vel ſi mater mortis ſupplicio eſſet damnata, & executio ob bonum publicum non poſſet differri; quia amiſit jus vitæ diutius conſervandæ. 2. Invalide baptizatur monſtrum procreatum ex muliere, & bruto maſculo; quia non eſt homo, nec ex ſemine ab Adamo deſcendente; procreatum vero ex homine maſculo, & bruto fœmella debet ſub conditione baptizari, ſi pars eſſentialis, ut caput, vel pectus ſit hominis; quia dubium eſt, an ſemen fœminæ requiratur ad generationem hominis. 3. Invalide baptizatur monſtrum procreatum ex viro, & fœmina, ſi nulla pars eſſentialis ſit hominis, ſed caput, & pectus ſint ferina; quia ſine parte eſſentiali hominis non eſt homo; debet tamen ſub conditione baptizari, ſi vel caput, vel pectus ſit hominis; quia dubium eſt, an ſit homo, & abſolute, ſi caput, & pectus ſint hominis; quia cenſetur homo eſſentialiter. 4. Duo gemelli coadunati duo pectora, & duo capita habentes, quilibet debet ſeorſim baptizari; ſi habeant unum duntaxat caput, & duo pectora, vel duo capita, & unum pe-

pectus, unus abſolute, & alter ſub conditione baptizandus eſt, *P. Gerv.* quia dubium eſt, an duo ſint homines integri eſſentialiter; ſi habeant duos pedes quilibet & duo brachia, & ambo unicum caput, & pectus, unico Baptiſmo baptizandi; quia ex partibus integrantibus, & non eſſentialibus multiplicatis non probatur multiplicitas animarum, & hominum. Expoſiti Xenodochiis, ſi non conſtet, an ſint baptizati, rebaptizentur ſub conditione, nec fides adhibenda ſchedulis collo appenſis, vel adjectis, niſi locus, dies, & perſona, quæ baptizavit, aſſignentur, *Rit. Argent*; & tunc indagetur veritas; ſi ſint plurium menſium, vel annorum, ac ſani, conſuletur Epiſcopus, ſi non conſtet de Baptiſmo, *ibid*.

Quær. 6. *Quinam ſint effectus Baptiſmi*?

Dico. Tres ſunt, ſublato obice, Baptiſmi effectus præcipui: nempe 1. gratia habitualis cum aliis donis, videlicet habitus fidei, ſpei, & charitatis &c. illi annexis hominem ſanctificans, & remittens omne peccatum, originale, ac perſonale, quoad culpam, & pœnam æternam, ac temporalem; quia ita declaravit Concilium Flor. & Trid. *Seſſ.* 5. *c.* 5. 2. Eſt gratia ſacramentalis, quæ eſt ipſa habitualis prout habet jus annexum ad gratias actuales neceſſarias ad chriſtiane vivendum, & ad conſervandam vitam ſpiritualem in Baptiſmo acceptam, & ad alia Sacramenta digne ſuſcipienda. 3. Caracter. Effectus ſecundarii ſunt duo, nimirum 1. ſubjectio jurisdictioni Eccleſiæ. 2. Cognatio ſpiritualis, quam patrinus, & matrina, ac baptizans, non inter ſe, ſed cum baptizato, & baptizati parentibus contrahunt, non tamen illam contrahunt Procuratores, vel patrini ſecundarii, *Suarez*; quia non niſi ut teſtes adhibentur.

Quær. 7. *Quænam ad Baptiſmum valide, ac licite ſuſcipiendum requirantur*?

Dico. Ad Baptiſmum valide, & ad caracterem recipiendum requiritur in adulto conſenſus, ſeu voluntas ſaltem habitualis, vel interpretativa; ad licite vero, & ad alios effectus principales recipiendos requiritur 1. in adulto fides in Chriſtum. 2. Saltem attritio ſupernaturalis, ac proinde timor Domini, ſpes, amor ſaltem initialis, odium, ac deteſtatio peccati, & propoſitum novæ vitæ; quia hæc omnia attritio ſupernaturalis, ſeu contritio imperfecta comprehendit, quæ tamen in habente ſolum origina-

Digitized by Google

ginale, vel cum originali tantum veniale, non eſt neceſſaria pro effectu principali gratiæ, & donorum Spiritus Sancti, *Baſſ.* ſed ſufficit voluntas ſervandi legem; quia veniale non impedit effectum gratiæ principalem, & originale tollitur ſine attritione.

Quær. 8. *Quando Cæremoniæ Baptiſmi ſint ſupplendæ, & Patrini adhibendi?*

Dico. Cæremoniæ aliæ ſunt Baptiſmum antecedentes, aliæ comitantes, aliæ ſubſequentes, quæ, ſi fuerint etiam ex neceſſitate omiſſæ, ſuppleri debent; quia ita communis docet Eccleſiæ praxis; & debent, reiterari, ſi Baptiſmus invalide fuerit adminiſtratus, *S. Antoninus, & Reginald.* ſi nimirum illius invaliditas fuerit notoria, & ſine admiratione, ac ſcandalo, reiterari poſſint: non tamen in hæreticis valide baptizatis ad fidem converſis, ne ipſorum Baptiſmus credatur invalidus. Debet quoque in Baptiſmo, ſaltem ſolemni, unus de præcepto adhiberi patrinus, vel una matrina; non vero plures, quam unus patrinus, & una matrina, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 2. ne impedimenta matrimonii per cognationem ſpiritualem nimis multiplicentur. Officium patrini, ac matrinæ eſt. 1. baptizandum, Parocho præſentare. 2. Pro baptizando reſpondere, ſi ipſe nequeat. 3. Illum, dum baptizatur, tenere. 4. Eum de manu baptizantis ſuſcipere. 5. In rebus fidei inſtruere, ſi parentes id præſtare nequeant. Excluduntur ab officio patrini 1. amentes. 2. Non baptizati. 3. Infames. 4. Publice excommunicati. 5. Religioſi, & Sanctimoniales. 6. Pater, & mater baptizandi, hæretici, & apoſtatæ; poteſt tamen Catholicus a catholico eſſe patrinus, quamvis Miniſter hæreticus baptizet, *Laym. & alii.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE CONFIRMATIONE.

Quæritur. 1. Quid ſit Confirmatio, & quando ſit inſtituta?

Dico. Confirmatio eſt verum, & initerabile novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, uti docet Concilium Trid. *Seſſ.* 7. *Can.* 1. & Traditio Apoſtolica, & definitur: Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo baptizatus per Unctionem Chriſmatis in fronte per modum crucis factam ſub præſcripta verborum forma corroboratur ad fidem firmiter tenendam, & intrepide profitendam. Quamvis non conſtet certo de tempore illius inſtitutionis: probabilius tamen videtur, completo fuiſſe inſtitutum poſt reſurrectionem, quando Chriſtus Apoſtolos, & eorum Succeſſores inſtituit Epiſcopos, ac Miniſtros iſtius Sacramenti, *Joan.* 20. eis dicendo: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c.*

Quær. 2. Quænam ſit materia, & forma Confirmationis?

Dico. Materia remota eſſentialis Confirmationis eſt Chriſma ex oleo olivarum, ac balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictum, ita docet Concilium Flor. continuaque praxis Eccleſiæ. Proxima vero eſſentialis, ac totalis eſt impoſitio manuum Epiſcopi per unctionem Chriſmatis in fronte confirmandi per modum Crucis facta; quia de impoſitione manuum expreſſe loquitur Scriptura, *Act.* 19. & de Unctione chriſmatica, Eccleſia, ac SS. Patrum Traditio. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Miniſtri, in Eccleſia latina: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. quia hæc in Eccleſia latina præſcribitur, *Conc. Flor:* quam determinandam Chriſtus Eccleſiæ reliquit.

Dico. Confirmatio eſt nulla, vel ſaltem dubia, & ſub conditione reiteranda, 1. *defectu materiæ remotæ*, ſi fit facta oleo nucum, vel amigdalarum, &c. vel ſine balſamo, vel non benedicto ab Epiſcopo, vel ita corrupto, ut nullam habeat odoris fragrantiam; & eſt illicita, ac morta-

liter peccaminoſa facta Chriſmate non renovato, niſi in extrema neceſſitate fuiſſet adhibita. 2. *Defectu materiæ proximæ*, facta impoſitione manuum Epiſcopi ſine Chriſmate, vel omiſſo ſigno Crucis. 3. *Defectu formæ*, adhibendo formam Græcorum in Eccleſia latina, vel omittendo priora verba: *Signo te ſigno Crucis*, vel verba ſubſequentia: *confirmo &c.* quia de omnibus prædictis diverſæ ſunt Auctorum opiniones, & de fide nihil deciſum eſt, quæ Confirmationem ſaltem reddunt dubiam.

Quær. 3. *Quiſnam ſit Miniſter, & ſubjectum Confirmationis.*

Dico. Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Confirmationis; quia ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 7. *Can.* 3. & ita docet perpetua Eccleſiæ Traditio. Simplex Sacerdos tamen poteſt eſſe extraordinarius auctoritate a S. Pontifice delegata; quia ita declaravit Concilium Flor. & varia Eccleſiæ facta; non tamen eſt de fide. Subjectum hujus Sacramenti eſt omnis, & ſolus homo baptizatus, ſive infans, ſive adultus; quia ita docet Eccleſiæ praxis.

Hinc: valida eſt Confirmatio a Miſſionario ſimplici Sacerdote Chriſmate ab Epiſcopo benedicto collata alicui Americano baptizato, cum diſpenſatione Papæ; invalida vero collata non baptizato; quia non eſt ſubjectum capax; vel Chriſmate ab Epiſcopo non benedicto; quia non eſt materia valida, vel ſaltem eſt dubia, in neceſſitate tamen adhibenda; vel præſente alio Epiſcopo; quia non eſſet neceſſitas.

Quær. 4. *Quænam ſit diſpoſitio, & obligatio Confirmationis?*

Dico. Ad valide Confirmationem, vel caracterem recipiendum, requiritur in adulto intentio, ſeu voluntas habitualis, vel interpretativa, vel in infantibus intentio Eccleſiæ; ad licite vero, & cum fructu percipiendam requiritur 1. ſtatus gratiæ, & ſi ſit in mortali, ſaltem contritio perfecta, *P. Gerv. Sylvius*, *Cabaſſutius*, *Pont.* per accidens tamen poſſet requiri Confeſſio, ſi nimirum peccati mortalis conſcius non poſſet perfectam, & moraliter certam elicere contritionem. 2. Bona opera, præcipue oratio. 3. Ætas, videlicet ſeptennium, niſi prius haberet uſum rationis, vel eſſet periculum mortis, vel alia Diœceſis conſuetudo, vel longo tempore differenda: non tamen

men infantibus, nec adultis hoc Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate medii, quia ſolo Baptiſmo poſſunt ſalvari; nec neceſſitate præcepti, ſaltem per ſe obligantis, *S. Thom. Melch. Pap. Innocent. I.* bene autem per accidens obligantis, 1. tempore perſecutionis, vel gravis tentationis contra Fidem, vel Religionem. 2. In præſentis mortis periculo, in quo ordinarie majores ſunt contra Fidem tentationes; quia quilibet tenetur adhibere media vincendi tentationes, quale pro his eſt Confirmatio. 3. Quando quis pervenit ad annos diſcretionis, & Epiſcopus eſt præſens paratus, nec habeat legitimam cauſam differendi, nec brevi ſperet eandem occaſionem; quia hoc eſſet illud contemnere, *Conc. Senon.* cujus contemptus eſt mortale.

Hinc 1. Graviter peccant parentes Confirmationem infantum poſt uſum rationis ſine ratione, & prævisione alterius occaſionis brevi futuræ differentes; quia periculis ſalutis probabiliter futuris circa fidem eos ſine ratione exponunt; vel adulti oblata occaſione illam ſine ratione negligentes; quia medium ſuæ ſalutis ſpernere cenſentur, niſi brevi eandem occaſionem ſperent. 2. Graviter peccat Confirmationem accipiens peccati mortalis conſcius ſine prævia confeſſione, vel perfecta contritione moraliter certa.

Quær. 5. *Quinam ſint Confirmationis effectus?*

Dico. Tres ſunt Sacramenti Confirmationis effectus præcipui; videlicet 1. eſt gratia ſanctificans, non quidem prima per ſe; quia eſt Sacramentum vivorum, ſed ſecunda, quæ eſt illius augmentum. 2. Gratia ſacramentalis, quæ eſt ipſa habitualis habens jus annexum ad gratias actuales neceſſarias ad Chriſti nomen intrepide confitendum, & tentationes contra Fidem fortiter ſuperandas. 3. Character, quo adſcribitur militiæ Chriſti. Effectus ſecundarius eſt cognatio ſpiritualis; quia ita indicat Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *c.* 2. Cæremoniæ ſunt ſex, 1. adhibitio unius tantum patrini confirmati pro maſculis, & unius matrinæ pro fœminis, qui non debent eſſe iidem, qui fuerunt in Baptiſmo; debetque patrinus confirmandum præſentare Epiſcopo, & in defectum patrini Baptiſmi erudire confirmatum; vel nullus adhibeatur, ubi conſuetudo eſt pro Confirmatione nullnm adhibendi; ne cognatio ſpiritualis, quæ eſt impedimentum matrimonium dirimens, multiplicetur, *Rit. Arg.* 2. Mutatio nominis, ſi

fuerit ridiculum, vel indecens. 3. Manus Epiſcopi impoſitio chriſmatica, & verſus confirmandos illius extenſio. 4. Levis alapæ inflictio, ut addiſcant adverſa pro Chriſti nomine pati. 5. Apprecatio pacis. 6. Circumligatio frontis faſcia linea per triduum pro reverentia Chriſmatis, & pro intimanda gratiæ acceptæ perpetua conſervatione, niſi alia ſit conſuetudo.

Hinc 1. Exiſtens in mortali, putans ſe eſſe in ſtatu gratiæ, & recipiens Confirmationem præmiſſa ſola attritione omnes recipit illius effectus; quia per accidens confert primam gratiam. 2. Patrinus non confirmatus graviter peccat, & non contrahit cognationem ſecundum communiorem apud *P. Gerv.* quia non eſt patrinus legitimus, *ibid.* Saltem impedimentum eſt dubium; quia ex utraque parte variæ ſunt opiniones probabiles, *la Croix*; deſuper conſulendus eſt Epiſcopus.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE EUCHARISTIA.

Hic Tractatus duas habet quæſtiones, 1. de Euchariſtia prout eſt Sacramentum, 2. de Euchariſtia prout eſt Sacrificium.

QUÆSTIO I.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

Quæritur. 1. Quid ſit Euchariſtia, & quænam ejus partes eſſentiales?

Dico. Euchariſtia eſt verum novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad ſpiritualem animæ refectionem, in quo Corpus, & Sanguis Chriſti vere, & realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus Panis, & Vini continentur. Unde non conſiſtit eſſentialiter in uſu; quia illius ſumptio eſt ſolum illius applicatio, & conditio, ut cauſet gratiam; non in actuali Conſecratione; quia illa peracta remanet Sacramentum; non in ſolis ſpeciebus; quia ſolæ non cauſant gratiam; non in ſolo Corpore, & Sanguine Chriſti: quia non ſunt ſignum ſenſibile ſine ſpeciebus; ſed conſtituitur eſſentialiter, & intrinſece, & in facto eſſe in re permanente; quia partes eſſentiales Sacramenti permanentis debent eſſe permanentes, videlicet in

ſpeciebus Euchariſticis Panis, & Vini, & in Corpore, ac Sanguine Chiſti tanquam materia; quia per Corpus, & Sanguinem Chriſti conſtituitur in ratione cibi, ac refectionis ſpiritualis, & per ſpecies Panis, & Vini fit ſenſibilis; & in verbis Conſecrationis moraliter perſeverantibus tanquam forma; quia virtute veritatis verborum perſiſtit realis Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentia. In fieri vero conſtituitur per Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Panis, & Vini tanquam materia proxima, quia proxime conſtituunt Cibum ſpiritualem animæ, & verbis actualibus Conſecrationis tanquam forma; Corpus, & Sanguinem Chriſti perficiente; quia per illa Corpus, & Sanguis Chriſti conſecrantur, & efficiuntur quoad eſſe reproductum ſub ſpeciebus Panis, & Vini. Quamvis plures, vel diverſæ ſint ſpecies Panis, & Vini, non ſunt tamen plura numero Sacramenta; quia ſub illis continetur idem Chriſtus, ac proinde eadem eſt refectio; fiunt autem plura numero Sacramenta, 1. pluralitate perſonarum, ſi plures perſonæ plures ſumant Hoſtias. 2. Morali disjunctione, quando unus plures ſumit Hoſtias diverſo tempore; non vero, ſi plures, vel diverſas eodem moraliter tempore, ſpecies accipiat.

Quær. 2. Quænam ſit materia remota, & proxima, ac forma Euchariſtiæ?

Dico. Materia remota Euchariſtiæ pro valore illius requiſita eſt ſolus panis triticeus ex aqua naturali igne aſſus; quia eſt ſolus Panis ſimpliciter, qui tempore, quo Chriſtus Paſcha celebravit, communi erat uſui Judæorum, & quo ipſemet Chriſtus uſus eſt pro hujus Sacramenti inſtitutione, ſive azimus, ſive fermentatus ſit, *Conc. Flor.* quia uterque eſt Panis verus; magis tamen conveniens eſt azimus, & in Eccleſia latina graviter præceptus; quia Chriſtus eo uſus eſt inſtituendo Euchariſtiam tempore azimorum, *Marc.* 18. quo Judæi utebantur juxta Legem ſuam. Materia vero Calicis eſt Vinum de vite uſuale; quia tale Chriſtus adhibuit, *Matth.* 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, & ex præcepto gravi Eccleſiæ paululum aquæ naturalis admixtum; quia ita declarat Concilium Flor. & Trid. *Seſſ.* 22. *c.* 7. Praxis, & Traditio ab Apoſtolis derivata, quæ non prius in Vinum, ſed immediate cum Vino in Sanguinem Chriſti convertitur, quia manet Vinum uſuale, licet paucæ illæ guttæ admixtæ non phy-

ſice

ſice prius in Vinum convertantur. Materia vero proxima ſunt Corpus, & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus Panis, & Vini; quia maxime conſtituunt Cibum ſpiritualem animæ ſenſibilem; & forma ſunt verba Conſecrationis, quæ eſſentialiter, & ſufficienter in his verbis conſiſtunt: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus, vel Calix Sanguinis mei;* quia per illa ſufficienter, ac efficaciter ſignificatur converſio Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, ac Chriſtus iisdem verbis conſecravit, *Marc.* 14. illaque pro forma inſtituit, *Conc. Flor. Traditio SS. Patrum*. Mortaliter tamen peccat omittens alia verba in Conſecratione Calicis adhiberi ſolita, excepta particula *enim* ſub veniali dicenda. Verba Conſecrationis ſunt hiſtorica ſimul, & aſſertiva; quia proferuntur a Sacerdote tanquam a Chriſto dicta cum narratione hiſtoriæ per verba: *qui pridie, quam pateretur, &c.* & ſimul cum intentione efficiendi, quod ſignificant, & Chriſtus fecit. Pronomina *hoc*, & *hic* ſignificant ſubſtantive Corpus, & Sanguinem Chriſti, non quidem clare, ſed confuſe, videlicet *hoc Corpus, quod eſt in fine prolationis. eſt Corpus meum. Hic Sanguis, qui eſt in fine dictionis, eſt Sanguis meus*; quia ſi clare ſignificarent Corpus, & Sanguinem Chriſti, eſſent identica, & nugatoria, idem, & eodem modo ſignificantia. Conſecratio utriuſque ſpeciei non eſt de neceſſitate Sacramenti; quia quælibet ſpecies poteſt eſſe Sacramentum, eſt tamen de neceſſitate Sacrificii commemorativi Paſſionis Chriſti, & gravis præcepti divini; quia ſine utriuſque Conſecratione non repræſentatur effuſio Sanguinis Chriſti, & Chriſtus utramque conſecravit, atque Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio Succeſſoribus conſecrandam præcepit, *Luc.* 22. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Hinc: 1. *Defectu Panis triticei*, invalida eſt materia Conſecrationis, 1. Panis ex hordeo, milio, avena, farre, *S. Thom. Tourn.* 2. Ex leguminibus, ut fabis, piſis, &c. ex fructibus arborum, ut caſtaneis, &c. ex radicibus, ut cyclamino, &c. *Paul. Lugd. P. Gerv. & alii*; quia omnia prædicta non ſunt panis ſimpliciter, ac triticeus. 3. Materia dubia eſt amylum, *P. Gerv.* ſpelta, ſiligo, ſecale, *Bill.* quia de eorum nominibus non conveniunt Lexica, nec Doctores de eorum valore; & ſaltem extra neceſſitatem non alius, niſi ex tritico preſſe ſumpto, gallice *fro-*

 ment,

ment, adhibendus eſt; quia quando agitur de valore Sacramentorum major ſecuritas, & in dubio ſub mortali tutior pars eſt tenenda; in neceſſitate autem non niſi illa ſpecies, quæ ex communi æſtimatione Diœceſis, ac judicio prudentum, pro ſpecie tritici habetur, *P. Gerv.* uti illa a S. Thoma cenſetur, quæ ex tritico in malis terris ſeminato naſcitur, & a quibuſdam ſpelta, ſiligo appellatur, vel ſecale, olyra, ſeu frumentum ſecundarium, *Diction. Pomai*, gallice *ſegle*, *P. Gerv.*

Hinc. 2. *Defectu præparationis*, invalida ſunt materia 1. placentæ, artocreata, & ſimilia ex farina quidem triticea, ſed melle, ſaccaro, lacte, butyro, aqua roſacea confecta, *Paul. Lugd.* quia non ſunt panis uſualis, niſi mixtio fieret in ita parva quantitate, ut in communi æſtimatione rationem veri panis triticei haberent, *P. Gerv.* 2. Invalida eſt materia, maſſa ex tritico, & aqua naturali cruda, vel in ſartagine fricta, vel ſole torrida, *P. Paul. Lugd.* quia non eſt panis; valida tamen eſt panis in furno, vel ſub cinere, vel in ferro calido coctus; quia verus eſt panis. 3. Valida eſt materia, ſed ſub gravi peccato in Eccleſia latina prohibita, panis fermentatus, vel in greca azimus, & nec pro præcepto Miſſæ audiendæ implendo, nec pro Viatico in neceſſitate dando adhibenda eſt, *P. Gerv. & P. Paul. Lug.* quia hic ritus in tanto myſterio ſemper ſtrictiſſimi juris eſt habitus, excepto, quando conſecrata utraque ſpecie panis deprehenderetur corruptus, nec alius, niſi fermentatus haberi poſſet, tunc prævaleret neceſſitas integritatis Sacrificii, & fermentatus eſſet conſecrandus, *Paul. Lugd.* vel ſi Sacerdos latinus ſolum tranſiret per Eccleſiam græcam, poſſet eidem ſe conformare, vel ſuum retinere ritum: domicilium vero figens, debet ſe conformare loco, & Grecus viciſſim in Eccleſia latina, *P. Gerv.* ſi Græci legitima poteſtate in Eccleſia latina pro ſuo ritu habeant Templa, poſſunt ipſi, non vero Latini in illis in fermentato conſecrare, *P. Gerv.*

Hinc 3. *Defectu vini uſualis*, invalida eſt materia Calicis, 1. vinum in uvis adhuc exiſtens, & nondum expreſſum, *S. Thom.* 2. Agreſta, ſeu omphacium ex uvis nondum maturis, & acetum; quia illud nondum eſt vinum, & iſtud eſt corruptum. 3. Sapa, ſeu muſtum ad dimidium, vel tertiam partem decoctum, ſeu defrutum, *Tourn.* ſeu vinum pani imbibitum; quia ceſſant eſſe potus quamvis

poſt

poſt Conſecrationem pani imbibitum Conſecrationem retineat, *P. Gerv.* quia manet eadem ſpecies vini. 4. Vinum totaliter congelatum non diſſolutum; quia licet quoad ſubſtantiam maneat, non tamen eſt uſuale, vel ſaltem eſt materia dubia; quia diverſæ deſuper ſunt Doctorum opiniones. 5. Vinum adustum, vel aromatibus, ſaccaro, &c. conditum, *Paul. Lugd.* vel mixtum aliena materia prædominante, vel adæquante, *P. Gerv.* vel vinum ex pomis, pyris, &c. expreſſum; quia non eſt vinum uſuale. 6. Materia valida, ſed illicita ſunt vappæ, muſtum, vinum parum aceſcens; quia ſunt vinum uſuale, quoad ſubſtantiam, ſed non ſatis purum ob fæces admixtas, nec conſuetudine longæva muſtum permittitur, *P. Gerv. Suar.* licet fieret in honorem alicujus Sancti; quia Sancti non debent honorari cum irreverentia Sacramenti digniſſimi: deficiente tamen alio vino, parum aceſcens poſſet adhiberi pro Sacrificio, *Gob. Suar.* & ita praxis ſatis communis in Parochis ruralibus docet. Etiam eſſet materia valida vinum miraculoſum, ſicut illud in Cana Gallilææ a Chriſto productum; quia eſſet uſuale, ſicut ex vite. 7. Graviter peccat mixtionem aquæ omittens, vel eam ante Miſſam faciens in dolio vel urceolo; quia non eandem habet ſignificationem ſicut in Miſſa; vel in nimia quantitate excedente tertiam partem, quam Concilium Tiburicenſe anno 995. permiſit, ſi nempe vinum fuerit robuſtum, ſi debile, vix quarta pars ſine ſcrupulo admiſceri poteſt, *P. Gerv.* imo octies plus vini exigit Paulus Lugd. ſecurius eſt, ut non multum aquæ infundatur, *P. Gerv.* unica guta ſufficit, *S. Thom.* in nullo vero caſu licet Miſſam incipere prævifo defectu aquæ, *Gob.* niſi metu mortis; quia præcepta humana non cum tanto periculo obligant, ſecluſo contemptu Fidei, aut Religionis.

Hinc 4. Materia in ſe valida invalide conſecratur, 1. *Defectu intentionis Miniſtri* ad illam determinatæ, ſic 1. invalide conſecrantur Hoſtiæ a Sacriſtano inſcio Sacerdote in Altari poſitæ; quia non cenſetur intendere eas conſecrare; nec conſecrantur fragmenta etiam poſt oblationem, ſed ante Conſecrationem ab aliis Hoſtiis deciſa; quia quoad deciſa videtur ceſſare intentio, quam habuit in oblatione, & non cenſetur velle conſecrare niſi, quod pro communione fidelium juxta uſum Eccleſiæ eſt conſecrabile; pro majori tamen ſecuritate cum aliis fragmentis

ſu-

ſumenda ſunt. 2. Non valide conſecrat volens ex decem Hoſtiis conſecrare quinque, illas non determinando, vel mediam partem Hoſtiæ, non ſpecificando dexteram, vel ſiniſtram: quia nulla per intentionem Miniſtri determinate particula *hoc* demonſtratur. 3. Non conſecrantur guttæ a vino in fundo Calicis ſeparatæ, & minus, exterius ei adhærentes, *Corinck*, *Baſſ. Suar. Laym.* niſi expreſſe illas conſecrare intendat, volendo conſecrare omne, quod eſt in Calice conſecrabile, quomodocunque exiſtens; quia volendo ſolum facere, quod facit Eccleſia, cenſetur tantum velle conſecrare, quod eſt in fundo Calicis per modum continui, non tamen abſtergantur; quia, cum Auctores non conveniant de illarum Conſecratione, Conſecratio aliquo modo dubia eſt: duas tamen Hoſtias ſibi cohærentes in manibus tenens, quamvis unicam eſſe credat, ambas conſecrat, *P. Gerv. & communis*; quia cenſetur velle conſecrare, quod habet in manibus; pro majori tamen ſecuritate ambas ſumat, nullamque ad adorandum conſervet; ſi ante Conſecrationem duas advertat, unam deponat, & poſt ſumptionem eam ſumat, vel alteri conſecrandam relinquat, *P. Gerv.* quia jam oblata fuit. 4. Si particula non conſecrata cadat in Ciborium, vel conſecrata miſceatur non conſecratis, poſſunt ſub conditione omnes conſecrari, quæ non ſunt conſecratæ, vel debent omnes ſumi; vel ſi unica non conſecrata miſceatur conſecratis, aliis diſtribui, dando cuilibet duas, *Lugo*; ſi vero gutta vini cadat in Calicem conſecratum, non eſt reiteranda Conſecratio ſub conditione; quia ſumitur per modum unius, *Lugo.* 2do *Defectu debitæ præſentiæ materiæ*, invalide conſecratur 1. Hoſtia a tergo poſita, quamvis ſapore, nutu, vel per ſpeculum eſſet ſenſibilis, *P. Gerv. cum communi*; nec ſub mappa Altaris, vel Corporalis, vel ſub pede Calicis occultata; nec poſt parietem, vel in Sacriſtia, vel cubiculo, vel Tabernaculo incluſa; quia non ita eſt præſens, ut particula *hoc* denotari poſſit: bene autem in Ciborio, etiam clauſo, vel Calice cooperto, *Lug. & alii*; quia juxta communem hominum ſenſum continens ſumitur pro contento, & particulis *hoc*, & *hic* ſatis demonſtratur, quamvis non diſcooperientes Ciborium, vel Calicem digni ſint reprehenſione. 2. Non conſecrantur particulæ in Altari, ſed extra Corporale poſitæ, licet in Sacriſtia intentionem particulas conſe-

cran-

crandi habuerit, *Suar. Tamb.* quia non ſunt præſentes juxta præceptum Eccleſiæ, nempe intra corporale, nec cenſetur velle eas in tali ſtatu, & ſituatione contra præceptum Eccleſiæ conſecrare, niſi intentionem habuerit expreſſe in tali poſitione conſecrandi; ſumendæ tamen ſunt poſt conſecratas ſpecies, vel ſub conditione in alia Miſſa cum aliis conſecrandæ ſunt; *Tamb.* intra corporale vero poſitæ, ſunt conſecratæ, licet in actu Conſecrationis de illis actu, non cogitaverit, *ita communis*; quia intentio virtualis ſufficit; etiam licite conſecrantur ante præfationem allatæ, facta prius illarum oblatione mentali, imo modo adſint ante Conſecrationem; ſi alias fideles ſine Communione eſſent mittendi, *Gob. Tamb. P. Gerv.* ſi tantum unus eſſet dimittendus, communicetur potius particula a majori Hoſtia deciſa, *Gob.* niſi in aliqua Diæceſi eſſet prohibitum, uti in Argentinenſi, excepto pro Viatico, *Rit. Arg.* & ſi non adeſſet numerus ſufficiens Hoſtiarum pro numero communicantium, redeat ad Altare, & ibi aliquas Hoſtias dividat pro ſingulis communicandis, *ibid.* poſſuntque diſtribui abſque mortali ſtatim poſt Conſecrationem; non vero ſine veniali abſque neceſſitate, *Gob.* quia eſt quædam inordinatio. 3. Non conſecrantur in nimia diſtantia, v. g. 30. paſſuum, *Paul. Lugd.* vel totum mare, ſi eſſet vinum, vel totus mons, ſi eſſet panis; quia materia non eſſet ſecundum tenorem verborum præſens, nec omnes partes maris, vel montis particulis, *hoc*, & *hic* ſunt demonſtrabiles; bene autem ſecundum aliquas partes, ſi determinentur. 4. Excedendo in quantitate graviter peccat, conſecrans majorem quantitatem, quam ante corruptionem ſpecierum conſumi poteſt, vel particulas notabiliter defiguratas, ut triangulares, quadratas; quia eſt contra communem Eccleſiæ uſum; valide tamen conſecrantur minimæ, modo ſint aliquo ſenſu, viſu, tactu, odoratu, &c. ſenſibiles, quia ſunt Panis verus: alias cæcus non valide conſecraret; non vero omnino inſenſibiles, quamvis poſt Conſecrationem factæ inſenſibiles, Conſecrationem retineant, *Laym. Corninck, Vaſq. Suar.* favetque huic opinioni Concilium Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 3.

Hinc 5. *Defectu formæ*, 1. invalide conſecrat omittens, *hic*, vel *hoc* vel *hic* intelligendo adverbialiter pro hoc loco; quia non ſignificaretur converſio in Corpus, & Sangui-

guinem Chriſti. 2. Valide conſecrat omittens *enim*, ſed venialiter peccat, & graviter, omittendo *Calix*, dicendo, *Hic eſt Sanguis meus*; *Paul. Lugd.* vel alia verba conſueta antecedentia, *qui pridie*, *&c.* vel *accipite*, *& manducate*, *& bibite*, *&c.* vel ſubſequentia, *novi & æterni Teſtamenti*, *&c.* quia eſt in re gravi contra præceptum, & uſum Eccleſiæ; quamvis ſine illis habeatur ſignificatio ſubſtantialiter integra. 3. Graviter peccat formam nimis alte proferens, ita ut ad 40. paſſus audiatur, *Gob.* quia in re graviſſima agit contra communiſſimum Eccleſiæ ritum; & venialiter, ſi ad 6. vel 7. paſſus audiatur; vel laicus ex joco, vel mimice illa proferens; quia gravis eſſet illorum verborum irreverentia; non vero peccat, ſi illa ex libro legat; vel ſine joco dicat, *Gob.* nec peccant infantes ſine illorum prolatione, & abſque Veſtibus ſacris facientes ſacra, *ibid.* Reliqua de mutatione formæ *vide de Sacram. in genere.*

Quær. 3. *An, & quomodo Chriſtus ſit, & fiat præſens in Euchariſtia?*

Dico, Chriſtus eſt vere, & realiter, ac ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia, & quidem ante uſum; quia Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum dixit ante uſum: *Hoc eſt Corpus meum*; *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; patetque ex perpetua Traditione Eccleſiæ, ac SS. Patrum jam primi, ſecundi, & tertii ſæculi, & praxi fidelium ad ægrotos in domos Euchariſtiam deferentium, & definitione Concilii Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 4. Fit autem præſens non per impanationem; quia eſſet unio hypoſtatica; non per conſubſtantiationem, quæ eſt ſimultanea Panis, & Corporis Chriſti præſentia, ſed per tranſubſtantiationem; quia ita Fides docet, quæ juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 2. eſt mirabilis, & ſingularis converſio totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem Chriſti manentibus duntaxat accidentibus Panis, & Vini, quæ tranſubſtantiatio non fit per adductionem Corporis Chriſti, nec per modum unionis, nec per actionem conſervativam; quia nulla harum eſt converſio totius ſubſtantiæ in Corpus Chriſti a Concilio Tridentino indicata, ſed fit per reproductionem Corporis, & Sanguinis Chriſti, non quidem ſimpliciter, ſed cum certis conditionibus, nempe 1. ex ſubſtantia Panis, & Vini, ita ut neutra remaneat; alias non eſſet converſio,

ſed

ſed illarum mutatio. 2. Ita ut alia ſubſtantia, nempe Corpus & Sanguis Chriſti ſuccedat; alias eſſet annihilatio. 3. Vi poſitionis Corporis, & Sanguinis Chriſti; quia ſi nulla eſſet deſitionis unius, & poſitionis alterius connexio, duæ eſſent actiones, una annihilatio, & altera creatio, neutra vero converſio. 4. Ut fiat ſine ſubjecti ſubſtantialis, ſed ſolum accidentalis, nempe quantitatis, & aliorum accidentium tranſitu; quia alias eſſet corruptio, & generatio.

Quær. 4. *Quid vi verborum ſit in Euchariſtia præſens?*

Dico. Vi verborum Conſecrationis ponitur ſub ſpeciebus Panis ſolum Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus Vini ſolus Sanguis; quia ſub ſpeciebus Panis ſolum Corpus, & ſub ſpeciebus Vini ſolum Sanguinem ſignificant; per concomitantiam vero naturalem ſub utraque ſpecie continetur Corpus, Sanguis, & anima; quia vi verborum ponitur ſub ſpeciebus Panis Corpus vivens, quod non eſſe poteſt ſine Sanguine, & anima, & ſub ſpeciebus Vini Sanguis vivus, quia non poteſt eſſe vivus ſine Corpore, & anima; & per concomitantiam ſupernaturalem divinitas, & perſonalitates, Conc. Trid. *Seſſ.* 13. *C.* 3. quia uniuntur eidem naturæ divinæ, & mediante unione hypoſtatica Corpori, & animæ Chriſti, etiam ſeparatis; quia *quod verbum ſemel aſſumpſit, numquam ſemel dimiſit.*

Hinc: ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti conſecraſſent; ſub ſpeciebus Panis ſolum Corpus, & ſub ſpeciebus Vini ſolus Sanguis fuiſſet præſens, & divinitas, & perſonalitates ſolum per concomitantiam.

Quær. 5. *Quomodo exiſtat Chriſtus in Sacra Hoſtia, & qualibet illius parte?*

Dico. Totus Chriſtus exiſtit ſub ſpecie Panis, & totus ſub ſpecie Vini, & ſub quavis earum parte. Conc. Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 3. etiam ſub parte quantumcumque parva, ac in infinitum diviſibili; *ita communis Thomiſtarum, & Scotiſtarum apud Maſtr.* quia, ſi non eſſet in una minori, nec eſſet in aliis majoribus, quæ ſunt ejuſdem rationis, ac proinde, nec in tota Hoſtia, etiam ante ſeparationem; quia alias facta ſeparatione partis a parte ſpecierum deberet de novo produci: non tamen eſt pluries actu ante ſeparationem, niſi virtualiter, & potentialiter eo modo, quo partes ſunt plures in continuo; nec eſt definitive in Hoſtia

Hoſtia ut anima, ita ut non ſit ſimul alibi; quia, ut Fides docet, eſt in qualibet parte ſeparata, & ſimul in cælo; nec circumſcriptive more corporum naturalium; quia non habet extenſionem externam impenetrabilem, & partes extra partes correſpondentes partibus loci, ſed ſolum internam, & partes extra partes in ordine ad ſe cum aptitudine proxima ad extenſionem externam, & impenetrabilem; quia eſt Corpus organicum habens quantitatem, quæ non conſiſtit in actuali extenſione, ſed in proxima aptitudine, & exigentia extenſionis impenetrabilis: exiſtit vero Corpus Chriſti in Euchariſtia modo quodam ſpirituali, ac definitivo, ſed miraculoſo, incomprehenſibili, ac ſacramentali, & circumſcriptive ſaltem mediate ratione ſpecierum in loco circumſcriptive exiſtentium. *Paul. Lugd.* habet etiam alia accidentia ſtatui ſacramentali non repugnantia, & a loco independentia, ut viſionem, & gaudium beatificum, velle, intelligere; quia habent connexionem naturalem, vel ſupernaturalem cum ſubſtantia Chriſti; non vero accidentia a loco, vel actuali extenſione externa, aut ſenſibus dependentia, ut audire, videre, &c. *S. Thom.* nec poteſt alterari, ut calefieri, frigefieri, moveri de loco, niſi per accidens ad modum ſpecierum; nec poteſt videri naturaliter; quia ſpecies objectorum, & dictæ alterationes ſunt materiales, quantæ, ac extenſæ dependentes ab extenſione in ordine ad locum.

Quær. 6. Quomodo in Euchariſtia exiſtant ſpecies Panis, & Vini, & illis corruptis deſinat Corpus Chriſti?

Dico. Totam Panis, ac Vini ſubſtantiam converti in Corpus, & Sanguinem Chriſti manentibus duntaxat ſpeciebus Panis, & Vini, de Fide conſtat; quia ita Concilium Conſtant. Lat. Flor. & Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 2. definierunt, quæ, in quocunque ſenſu accipiuntur, vel modo explicantur, non ſunt imaginariæ, vel phantaſticæ, ſed veræ, ac reales a ſubſtantia Panis, & Vini abſolute independentes in eſſe, & conſervari, ſenſus externos realiter, ut prius in Pane, & Vino ante Conſecrationem afficientes, nempe quantitas, quæ nulli inhæret ſubjecto, & color, ſapor, odor, durities, &c. nulli quidem ſubjecto mediato, nempe ſubſtantiæ, ſed ſolum immediato, videlicet quantitati inhærentes; quia ipſa eſt commune omnium accidentium ſubjectum; quibus ita corruptis, vel mutatis naturaliter, vel miraculoſe, ut etiam corrumpe-

re-

retur, vel deſineret ſubſtantia, ſi adhuc adeſſet, etiam deſinit Corpus, & Sanguis Chriſti, non per annihilationem; quia manet alibi, nempe in cælo; non per corruptionem; quia nulla perit forma, nec manet ſubjectum commune ſubſtantiale, cum totus ibi deſinat Chriſtus; non per converſionem; quia non deſinit vi productionis alterius ſubſtantiæ ſuccedentis; ſed quia corruptis accidentibus deſinit Verborum Conſecrationis veritas; ac proinde deſinit per mutationem ſubſtantialem privativam; quia deſinit, & nulla alia ſubſtantia producitur, ſaltem vi illius deſitionis, ſed propter exigentiam accidentium corruptorum, *P. Gerv.*

Hinc 1. Apparentibus miraculoſe in Euchariſtia aliis ſpeciebus, v. g. Carnis, vel Sanguinis ex Hoſtia fluentis, ita, ut etiam deſineret ſubſtantia Panis, ſi adeſſet, non remanet Chriſtus, ſi fiat in punitionem perfidiæ indigne ſuſcipientis, vel eam inhonorantis; permanet vero, ſi fiat dicta mutatio in confirmationem fidei, vel conſolationem ſuſcipientis, vel ſi ſpecies panis integræ ſubſtantialiter cum ſanguine maneant, *Coninck*; quia manentibus ſpeciebus, manet veritas Conſecrationis, & ſi non remanentibus ſpeciebus Panis non remaneret Chriſtus, non eſſet in confirmationem fidei, ne in ſuſcipientis conſolationem; modo mutatio ſpecierum non ſit perpetua; quia tunc ſpecies cenſentur corruptæ, vel corrumpendæ, & Chriſtus deſiturus, dictæque ſpecies non niſi ut Crux Chriſti eſſent adorandæ, & non ſumendæ, ſed in honeſto loco collocandæ; quia in carnem, vel Sanguinem mutatæ non habent modum convenientem ſumptionis; & ſi in Miſſa talis mutatio contingat poſt Conſecrationem, de novo eſt conſecrandum; non tamen ad id tenetur, *S. Thom. & communis*; quia Chriſtus tali miraculo cenſetur diſpenſaſſe integritatem Sacrificii. 2. Si miſceatur Sanguis Chriſti cum vino non conſecrato ejuſdem ſpeciei, non amittit Conſecrationem, *Maſtr.*, *& communis contra S. Thom.* quia remanet eadem ſpecies vini, & olim dum laicis utraque ſpecies dabatur, miſcebatur Sanguis ſpeciebus non conſecratis, ut omnibus ſufficeret, *Gob.* ſi miſceatur cum vino non conſecrato alterius ſpeciei, ut tertia exurgat, amittit Conſecrationem, *S. Thom. P. Gerv. & communis*; quia non remanent eædem ſpecies, poſſetque ordinariæ refectioni inſervire, *Lugo*; attamen ob reveren-

verentiam ſpecierum, & ad majorem ſecuritatem cum reverentia eſſet ſumendum, etiamſi unica duntaxat gutta Sanguinis integro infundatur dolio; & ſi eſſet ejuſdem ſpeciei, non niſi ad Sacrificium Miſſæ adhibendum, vel poſt Communionem eſſet ſumendum.

Quær. 7. Quiſnam ſit Miniſter Euchariſtiæ conſecrandæ, & diſpenſandæ?

Dico. Solus Sacerdos rite ordinatus eſt Miniſter Euchariſtiæ valide conſecrandæ; quia ſolis Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio Succeſſoribus Chriſtus hoc Sacramentum conficiens dixit *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem;* & conſtat ex Concilio Nicæno. I. *Can.* 18. Lateranenſi IV. Florent. & Trid. *Seſſ.* 22. *Can.* 2. ſoluſque Sacerdos eſt Miniſter Euchariſtiæ diſpenſandæ ordinarius; quia Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 4. ſolos Sacerdotes vocat Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, patetque ex Concilio Trid. *Seſſ.* 13. *Can.* 8. & quidem 1. ex officio Parochus, ſeu Paſtor illam adminiſtrare tenetur ſuis ſubditis ſub mortali, etiam ſolum ex devotione illam petentibus; quia ad Paſtores ſpectat paſcere oves ſuas, & ſuæ curæ commiſſis frangere Panem vitæ, non ſolum abſolute, ſed etiam ad ſpiritualem duntaxat profectum neceſſarium. 2. Poteſtate delegata, vel rationabiliter præſumpta Miſſam in eorum Eccleſiis celebrans, illam adminiſtrare poteſt aſſiſtentibus; quia exoptat Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *Can.* 8. ut fideles in ſingulis Miſſis adſtantes Euchariſtiæ fiant participes; non vero contradicente, vel invito Paſtore in propria ſua Eccleſia; quia nulli licet mittere falcem in meſſem alienam. 3. Ex privilegio Papæ Religioſi mendicantes poſſunt illam adminiſtrare, 1. in ſuis Eccleſiis, *Leo X. Nicolaus V. Sixt. IV. Paul. IV. & Clement. Relig. de Privil.* etiam Sæculares in eorum Eccleſiis de licentia Superioris ſaltem præſumpta celebrantes, *Jul. II. apud Baſſaum*. 1. In Miſſionibus, *P. Gerv.* 3. In Oratoriis publicis, ſeu privatis, *Bonagr.* ſi ibi conſervetur Euchariſtia. 4. In Oratoriis, & domibus nobilium, ac infirmorum, ſi ibi cum licentia Papæ, vel Epiſcopi celebrare contigerit, *P. Gerv.* modo Communionem ibi diſtribuere non ſit inhibitum, ut in quibuſdam Diœceſibus, excepto quoad omnia prædicta loca pro Viatico, & pro Communione Paſchali, niſi eſſent famuli in loco exempto habitantes, & commenſales, *Baſſ.* vel hoſpites

pites tranſeuntes intra monaſterium ægrotantes, quibus etiam extremam Unctionem dare poſſunt, *Bonagr.* vel in extrema, ſeu juſta, ac vera neceſſitate, *P. Gerv.* excepto tempore interdicti generalis, vel particularis perſonæ interdictæ. 4. In extrema neceſſitate poteſt, ac tenetur ſaltem ex charitate quilibet Sacerdos ſemper, & ubique Euchariſtiam adminiſtrare, etiam ſibiipſi; quia id poteſt Diaconus in gravi neceſſitate, ut dicetur infra, etiam extra mortis periculum, *Caſp. ex Con. Nican. Canon.* 14. non vero ex ſola devotione; quia eſt contra praxim Eccleſiæ.

Hinc: graviter peccat 1. Parochus negligens, vel recuſans adminiſtrare ſuo Parochiano Euchariſtiam etiam ex devotione ſolum petenti; quia gravi eum privat utilitate ex juſtitia debita; non vero alius Sacerdos; quia tenetur tantum ſub mortali ex præcepto charitatis illam adminiſtrare in neceſſitate petentibus, *Paul. Lugd.* 20. Invito, vel contradicente Parocho in ipſius Eccleſia adminiſtrans, vel in propria, vel alio loco pro Communione Paſchali, vel Viatico, vel in loco, vel perſonæ interdictæ; quia jus alienum in gravi materia violat.

Quær. 8. *Quiſnam ſit Miniſter extraordinarius Euchariſtiæ diſtribuendæ.*

Dico. Miniſter extraordinarius Euchariſtiæ diſpenſandæ eſt Diaconus ex commiſſione Sacerdotis in neceſſitate, licet non ſit extrema; quia ita declaravit Concilium Carthag. IV. *Can.* 38. poteſtque ſeipſum in neceſſitate communicare, *Conc. Nican. I. Can.* 18. *apud P. Paul. Lugd.* etiam extra mortis periculum, *Caſpenſ.* modo non obſtet Diœceſis conſuetudo, *P. Gerv.* non vero Subdiaconus, vel inferioris ordinis, patet ex Concilio Nicæn. I. Arelat, & Carthag. IV. ne quidem pro Viatico poteſt alios, vel ſeipſum communicare, *S. Thom.* quia Euchariſtia non eſt de neceſſitate medii, nec urget præceptum, ſi ſine irreverentia Sacramenti, & juxta Eccleſiæ ordinem impleri nequeat, excepto 1. in caſu, in quo Euchariſtia unicum eſſet ſalutis remedium, ut cum exiſtens in mortali omni adhibito conatu non poſſet elicere contritionem perfectam moraliter certam, nec aliud recipere Sacramentum. 2. Cum diſpenſatione Papæ; quia non jure divino inferioribus Diacono, vel laicis, ſed ſolum Eccleſiaſtico prohibitum eſt Euchariſtiam attingere, eamque in primi-

Digitized by Google

tiva Eccleſia laici ſibiipſis, & aliis adminiſtrabant; & de facto laicis, etiam peccatoribus, deficientibus aliis, Euchariſtiam e loco immundo, vel pro cavenda gravi profanatione amovere licet, *S. Thom.*

Hinc 1. Parocho impedito ob concionem, vel confeſſiones excipiendas, vel ipſo abſente, poteſt Diaconus ex illius commiſſione licite Euchariſtiam diſtribuere, etiam in neceſſitate gravi ſibi ſumere, *Conc. Nican. I. Can.* 14. etiam extra mortis periculum, ut in longo morbo, *Caſp.* modo non obſtet Diœceſis conſuetudo, *P. Gerv.* & in articulo mortis etiam ſine commiſſione ex præſumpta Parochi voluntate, vel ipſo irrationabiliter nolente, ex præſumpta Epiſcopi, vel Papæ facultate, *Paul. Lugd.* 2. Deficiente Miniſtro ordinario, & extraordinario poteſt Subdiaconus, vel etiam laicus Euchariſtiam pro Viatico aliis, vel ſibi adminiſtrare, ſi peccati mortalis reus, de ſufficienti contritionis perfectione pro prima gratia acquirenda ob animi perturbationem, vel morbi vehementiam rationabiliter dubitet, nec aliud recipere poſſit Sacramentum, *Paul. Lugd. & alii*; quia tunc unicum eſſet probabile ſuæ, vel proximi ſalutis remedium; cum gratiam primam ſanctificantem per accidens probabiliter cauſet.

Quær. 9. *Quinam ſint ſubjectum capax Euchariſtiæ?*

Dico. Omnis, & ſolus homo viator baptizatus ſanus, ſive ægrotus eſt ſubjectum capax Euchariſtiæ cum aliquo fructu percipiendæ, etiam parvuli ante uſum rationis, quia ipſis olim dabatur, Conc. Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 4. & a nativitate amentes, *Tourn.* quia parvulis æquiparantur. De facto autem a ſæculo duodecimo, *Tourn.* ex tacito Eccleſiæ præcepto non niſi rationis compoti eſt adminiſtranda, *Rit. Rom. Paul. V. & Lug.* quia ante annos diſcretionis nemo illam recipere tenetur, *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *c.* 4. *& Can.* 4. & ratione privati, ut amentes, & phrenetici vix ſine gravi irreverentiæ periculo, niſi habeant lucida intervalla, illam recipere poſſunt, ut etiam docet praxis Eccleſiæ.

Hinc: graviter peccat 1. Euchariſtiam adminiſtrans infantibus ante rationis uſum, vel a nativitate amentibus, vel a nativitate mutis, ac ſurdis nullum Euchariſtiæ deſiderium, vel fidei, ac pietatis indicium habentibus, vel energumenis ab immundo Spiritu continuo agitatis, nulla

luci-

lucida intervalla habentibus, vel mortaliter ebriis, aut mortuis; vel peccatoribus publicis nullum pœnitentiæ ſignum exhibentibus, ut in duello mortaliter læſis; *vid. de Sacr. in gen. Q.* 2. *q.* 7. *Hinc*; quia omnes prædicti, vel carent uſu rationis, vel ſunt indigni, & adminiſtrans contra communem in re gravi ageret Eccleſiæ uſum; nec debet dari reis ad mortem damnatis, licet confeſſis, niſi ubi permittitur, ut in Germania, & Italia, & tunc debent vinculis ſolutis communicari, & pridie, vel etiam eadem die, ut docet praxis Romæ, ac plures Auctores; non vero in Gallia, & Hiſpania; *Tourn.* uſus cujuslibet Diœceſis eſt ſervandus. 2. Non adminiſtrans Euchariſtiam amentibus, & energumenis lucida intervalla habentibus, *S. Thom.* ac debitam pietatem exhibentibus; *Rit. Argent.* in phreneſim ſubito in morbo verſis in articulo mortis etiam Viaticum dari debet, vel non mortaliter ebriis, *Gob.* ſi antea illius deſiderium, quod virtualiter perſeverare cenſetur, apparuerit, *Conc. Carthag.* 4. *Can.* 76. vel ſigna doloris comprimendo manus, vel pectus percutiendo dederint, quamvis antea in peccati obſtinati vixerint, *Nav.* & ſi non conſtet de mortali; in bono ſtatu præſumendi ſunt, *P. Gerv.* modo nullum ſit vomitus, vel alterius irreverentiæ periculum, quod; cum raro in actu amentibus; val ebriis deſit, ordinarie iis Euchariſtiam conferre non expedit, *P. Paul. Lugd. & Rit. Arg.* debet etiam dari ſemifatuis, licet levem rationis uſum habentibus, vel ſubito mutis, aut ſurdis teſtimonium voluntatis illius præteritæ, vel præſentis in ſuo nutu habentibus; *Conc. Arauſ. I. Can.* 12.

Quær. 10. *Quonam requirantur ad Euchariſtiam percipiendam ex parte Corporis diſpoſitiones?*

Dico. Ad Euchariſtiam cum fructu percipiendam tres requiruntur ex parte corporis diſpoſitiones, videlicet: 1. eſt jejunium naturale a primo ictu horæ duodecimæ nocturnæ, vel quadrantis, quando quadrantes ſonat; nihil, quantumvis parvum; per modum cibi; aut potus, aut medicinæ ab extrinſeco per os in ſtomachum per ſe, & non tantum per accidens, vel præter intentionem trajiciendo, non quidem ex præcepto divino, ſed eccleſiaſtico ab Apoſtolis derivato; quia ita docet Traditio, ac praxis Eccleſiæ, & Concilium Trid. *Seſſ.* 13. exceptis 1. moribundis, qui jejuni Viaticum recipere nequeunt. 2. Pro

D 2 caven-

cavenda Sacramenti irreverentia. 3. Ex metu gravi, pro vitando ſcandalo, vel infamia. 4. Pro integritate Sacrificii. 5. Cum diſpenſatione Papæ, *P. Gerv. & communis*; quia etiam ab initio Eccleſiæ non jejunis dabatur. 2. eſt puritas carnis, & immunitas a pollutione, etiam inculpabili, vel per pœnitentiam retractata. 3. eſt habitus, ac corporis ad modeſtiam, & pietatem compoſitio, *S. Carolus Borrom.*

Hinc 1. Ob fractionem jejunii naturalis ſub mortali a communione abſtinere tenetur, 1. qui cibum, vel potum ſumpſit, etiam in minima quantitate; quia non datur parvitas materiæ, audito jam primo ictu duodecimæ noctis; vel primo quadrantium, ſi quadrantes horologium ſonet, *P. Gerv. & communis*; poteſt tamen quis ſequi quodlibet horologium, modo communiter non erret, vel non tarde ambulet, *Baſſ. & alii communiter*; poteſt etiam quis ſtatim poſt mediam noctem communicare, quamvis paulo ante comediſſet, *Baſſ.* eſt tamen minus decens, *ibid.* 2. Ex induſtria deglutiens ſaccarum, ſeu glycyrrhizam in ore liquefactam, vel ſuccum tabaci illud maſticando; non vero frangitur jejunium, ſi exſpuantur, & aliquæ guttæ ſalivæ adhærentes præter intentionem deglutiantur, vel ſi aliquæ guttæ aquæ os lavando, vel per nares ſumptæ, vel tempore pluvioſo in os cadentes, vel aliquæ guttæ vini, aut juſculi illud guſtando, vel ſanguinis ex digito vulnerato extractæ, vel ex naribus, vel gingiva, vel ſudoris ex facie, aut alterius humoris ex capite fluentis, vel reliquiæ ex priori die dentibus adhærentes, vel muſca reſpirando deglutiantur, *Baſſ. P. Gerv. & alii communiter*; modo prædicta non ex induſtria deglutiantur, vel in notabili quantitate, ùs os aqua plenum, *P. Gerv.* quia ſi caſualiter præter intentionem deglutiantur in parva quantitate ſalivæ adhærendo, non ſumuntur per modum cibi, nec impediunt communionem. 3. Maſticans & ex induſtria deglutiens chartam, papirum, terram, vel carbones, *Billuart*; quia ſaltem eſt dubium, an jejunium naturale frangant, cum aliqui affirment; quia ſunt digeſtibilia; alii negant; quia non ſunt cibus; in dubio autem de jejunio a communione eſt abſtinendum; quia ſtat poſſeſſio pro lege: non vero jejunium naturale frangit aurum, argentum, &c. vitrum, oſſiculum, fruſtulum ligni, filum, fumus, vel pulvis Tabaci per nares ſumpti, *Lugo*, *Baſſ.*

Baſſ. & alii; quia non ſunt cibus, nec digeſtibilia, nec per modum cibi ſumpta; nec frangitur jejunium per ablutionem ante Hoſtiam, vel particulam palato, vel calici adhærentem ſumptam; *P. Gerv.* quia, cum communio ſit actus ſucceſſivus, ſufficit, quod quis ab illius initio, cum Hoſtia ſumitur, ſit jejunus; nec frangitur per Hoſtiam conſecratam, *ibid.* quia binatio, non ſumpta ablutione, in neceſſitate permittitur, & triplex Miſſa in Nativitate Domini ex devotione.

Hinc 2. Non jejuno communicare licet, 1. pro Viatico, urgente mortis periculo, ſi jejunus communicari nequeat, nec communio ſcrupuloſo differenda eſt, ſuppoſito mortis periculo, nec pro communicando jejuno, Euchariſtia poſt mediam noctem ad ægrotum deferenda eſt, *Bill.* quia non eſt in uſu, & Concilium Conſtantienſe infirmos pro Viatico a jejunio eximit; etiam licet pluries in eodem morbo, præſertim morbo ingraveſcente, aut novo periculo imminente, *Rit. Arg. Lugo, P. Gerv. & alii*; etiam non jejuno, *P. Gerv. Billuart, Lugo*; & ita uſus Eccleſiæ obtinuit, *Lugo*; modo dies non pauci intercesſerint, qui prudentum paſtorum arbitrio determinandi relinquuntur, *Rit. Arg.* prout ſunt ſex, ſeptem, vel octo dies, *Lug. Billuart*; vel decem, *Rit. Pariſ.* & infirmetur ad mortem, *Bill.* ſi vero non tantum ſit periculum, vel illud infirmi evaſerint, non niſi jejunis danda eſt Euchariſtia ex devotione communicare volentibus, *Rit. Rom. & Arg. Tourn.* niſi forte talis eſſet infirmitas, ut jejunium ſufferre nequeant, *Tourn.* præcipue ſi diu ſint infirmi, & nunquam Jejuni communicare poſſint; nec licet non jejuno celebrare pro dando Viatico, *Lugo, Baſſ. & communior*; quia præceptum Viatici non obligat, niſi poſſit dari juxta ritum gravem Eccleſiæ; nec poteſt incidens in periculum mortis eadem die, qua celebravit, vel Euchariſtiam ſumpſit, adhuc ſemel communicare pro viatico, *Tourn. P. Gerv. & communior*; quia præcepto jam ſatisfecit, licet periculum ignoraverit; ſicut audiens Miſſam, ignarus, eſſe Dominicam; & prohibitum eſt eadem die bina vice communicare, niſi ſpecialiter forte in aliqua Diœceſi permittatur pro Viatico, uti in Argentinenſi, *Rit. Arg.* conſulendum tamen, ut altera die iterum communicet pro Viatico, quamvis non teneatur, etiamſi tres, ſex, vel octo dies antea communicaſſet, *Lug. Baſſ.* quia

præceptum non obligat, niſi circa mortem, ſive nota, ſive ignota ſit, quæ aliquando etiam longiori tempore, poſt ſumptum Viaticum ſequitur. 2. Non jejuno Sacerdoti, vel ipſo abſente, laico communicare licet pro ſalvanda Sacramenti reverentia, ne igne comburatur, a beſtiis devoretur, vel ab infidelibus indigne tractetur. 3. Pro evitanda, infamia, vel ſcandalo, ſi inchoata Miſſa, præſertim ſolemni, recordetur, ſe non eſſe jejunum, poteſt pergere; ne diffametur, vel ſcandalum, aut murmur in populo pariat. 4. Pro integritate Sacrificii, ſi Sacerdos poſt conſecrationem deficiat, poteſt, ac debet non jejunus proſequi, ſi non adſit jejunus; vel ſi ſumpto calice advertat, ſe aquam, vel aliam materiam non conſecrabilem conſecraſſe, debet denuo conſecrare, & licet non jejunus ſumere; vel ſi poſt ſumptionem fragmenta inveniat; vel etiam finita Miſſa, vel in Sacriſtia, veſtibus tamen ſacris adhuc indutus, poteſt illa ſumere, *Tamb. Baſſ. Granad.* quia pertinent, ut ſupponitur, ad idem Sacrificium; non vero, ſi pertineant ad aliud Sacrificium, niſi commode ſervari nequeant, *Lugo*, *Tamb. & alii*.

Hinc 3. a Communione abſtinendum, ſaltem ex decentia, ob copulam eadem die, vel licite in matrimonio, aut pollutionem in ſomno habitam; vel illicite, ſed per pœnitentiam retractatam, *S. Thom.* quia propter naturalem ſuam fœditatem turpem imaginationem, tepiditatem, ac diſtractionem ordinarie cauſat, & devotionem impedit, niſi infamiæ periculum, Feſti ſolemnitas, Jubilæi conſecutio, vel celebrandi obligatio ex juſtitia, vel periculum lapſus in mortalia, vel ſingularis ſpiritualis profectus, vel obedientia eam ſuadeant, vel ſolum animo conſequendæ prolis, vel petitioni debiti ſatisfaciendi cauſa fuiſſet habita; quia tunc non ita devotionem impedit, nec propter communionem debitum petitum negandum eſt, niſi de conſenſu compartis; quia Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 7. ait: *nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*.

Hinc 4. a Communione abſtinendum ob tuſſim, vel vomitum, niſi cibum, vel parvam particulam non conſecratam, cum qua fieri poteſt experientia pro Viatico, ſaltem per horam retinere queat, in dubio tamen poteſt dari, *Gob.* quia Sacramenta inſtituta ſunt propter homines; vel ſi vomitus non ex cibo, ſed morbo creatur; ſed non, niſi

niſi ceſſante, poſt ſex horas vomitu, vel judicante Medico, ſumpta Euchariſtia, per horam non eſſe vomiturum; ſi per accidens evomat, & ſpecies Hoſtiæ integræ appareant, ſervetur rubrica, & caute ſeparatæ in loco ſacro (non in Tabernaculo, *Rit. Arg.*) ſerventur, & corruptæ in Sacrarium mittantur, *Rub. Miſſ.* ſi non appareant, vomitus comburatur, & cineres in Sacrarium mittantur, *Rub. Miſſ.* nec vomitorium ſumatur, niſi poſt horam à communione, niſi poſt communionem in tantum incideret morbum, ut neceſſitate urgente vomitorio juvari deberet, *Gob.*

Hinc 5. Non accedant ad ſacram Communionem facie picta, aperto ſinu, vultu ad luxuriam compoſito, *Innoc. XI.* ſed præter faciem nihil nudum cernatur, genibus flexis, non pectore, brachiiſque ſcabello innixi, *S. Carol. Borrom.* non tamen communionem impedit immunditiès veſtimentorum, ſi non habeant meliores, nec menſtruum, nec fluxus ſanguinis, nec lepra; ſi tamen aliis horrorem cauſaret, ſaltem in publico non communicet lepra affectus, *P. Gerv.*

Quær. 11. *Quot requirantur ad Euchariſtiam diſpoſitiones ex parte animæ?*

Dico. Tres quoque ex parte animæ requiruntur diſpoſitiones ad Euchariſtiam cum fructu percipiendam, videlicet, 1. eſt ſtatus gratiæ, & quidem per confeſſionem ſacramentalem ex gravi præcepto divino, & eccleſiaſtico omnes Chriſtianos, etiam Sacerdotes quomodocunque contritos ſub mortali obligante, niſi deſit copia Confeſſarii, & urgeat gravis celebrandi, vel communicandi neceſſitas, *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *c.* 7. quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione cum ſola contritione celebraverit, quamprimum confiteatur, id eſt proxima occaſione, ſub novo mortali, & non ſuo duntaxat tempore, quando confitebitur, *Alex. VII. in damnatione propoſitionis* 38. *&* 39. 2. eſt immunitas a veniali; quia peccata venialia devotionem actualem, ac fervorem charitatis refrigerant, ac effectum ſaltem aliquem, nempe remiſſionem venialium, quæ ſine retractatione non remittuntur, impediunt; non tamen requiritur ſub præcepto; nec ſub novo veniali, modo non habeat affectum ad veniale, nec in ipſo actu communionis ſit commiſſum; quia tunc ob irreverentiam novum eſſet veniale. 3. Eſt devotio actua-

lis, & reverentia magna erga hoc Sacramentum, *S. Thom.* quia excellentia tanti Sacramenti eam ex decentia exigit, & communio abſque legitima præparatione per actus fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, &c. & actuali devotione eſt perniciosa, & timendum, ne ut tepidus quis ex ore Chriſti evomatur.

Hinc 1. Graviter peccat Sacerdos, ſeu laicus peccati mortalis conſcius ſine prævia confeſſione celebrans, vel communicans, quamvis prius contritionem elicuerit; quia contra grave Dei, & Eccleſiæ agit præceptum, niſi, 1. deficiente copia Confeſſarii in mortis articulo communicaverit pro Viatico, vel celebraverit pro Viatico dando moribundo, *P. Gerv. Paul. Lugd.* 2. Ne populus propriæ Parochiæ in Feſto, vel Dominica ſine Miſſa maneat; vel ne murmurandi, temere judicandi, vel diffamandi occaſionem præbeat; vel ut exequias corpore præſente faciat; vel matrimonium, advenientibus jam nubentibus, benedicat, vel Miſſam pro certa die annunciatam dicat; vel ſi Miſſa jam inchoata peccati mortalis memor, recedendo ab Altari, gravem infamiam ſibi, vel ſcandalum aliis cauſet, *S. Thom. Paul. Lugd.* quia ſunt veræ neceſſitates; ſi tamen confeſſio poſſet præmitti, puta inchoata Miſſa poſt Evangelium ſub concione confitendo in Sacriſtia janua clauſa; vel honeſto prætextu Miſſam populo annunciatam differendo, ad hoc tenetur, *Bill.* non vero poſt Conſecrationem Miſſam interrumpere, *ibid.* nec ante Conſecrationem cum populi admiratione: non vero ſufficit, 1. ſimplex metus admirationis, vel ſuſpicionis ingerendæ, ut ſi privatus non celebret; vel Clericus, Monachus, aut Monialis non communicet in die a ſtatutis, vel conſuetudine pro communione indicta, *Paul. Lugd.* quia non gravis oritur inde infamia, nec ſcandalum; cum ſuſpicio, & admiratio aliorum non ſit grave peccatum, nec deſunt media prætexandi aliam indiſpoſitionem. 2. Nec ſufficit obligatio ſatisfaciendi oneri Capellaniæ, vel ut pro ſtipendio celebret, ut ex eo vivat, niſi eſſet neceſſitas valde gravis, vel extrema, *Tamb.* 3. Nec ut ipſe, vel alius particularis in Feſto, vel Dominica Miſſam audiat. 4. Nec pro evitanda etiam gravi infamia, ſi quis ob pravam conſuetudinem abſolutionem non acceperit; quia ſtat penes ipſum opitulante Dei gratia ſe emendare, & abſolutionis ſe dignum efficere. 5. Nec ſi ultima

die

die quindenæ Paſchalis defuerit copia Confeſſarii; quia impotentia excuſat a præcepti obligatione, & poteſt confeſſio paſchalis differri; nec ſi ſolum abſit Confeſſarius ordinarius, vel in quem ſingularem habet confidentiam, vel ſi in præſentem omnino nullam habeat, vel ſua ſcelera ei revelare pudeat; quia hæc ſunt onera confeſſioni intrinſeca, quæ omnes ſubire debent; nec ſi ſolum adſit Confeſſarius pro non reſervatis, ſed ſi reſervata confitenda habeat, illa cum aliis ei confiteri tenetur, & indirecte abſolvi, cum onere proxima occaſione alteri habenti poteſtatem ea confitendi; *Lugo. Bill. & alii;* nec excuſatur, ſi Confeſſarium abſentem ſine gravi incommodo accedere queat, ut non niſi per horam diſtantem favente tempore, ſanitate, ac negotiis, & hora celebrandi non urgente; quia tunc non eſt vera neceſſitas ſine confeſſione celebrandi.

Hinc 2. Graviter peccat in neceſſitate deficiente copia Confeſſarii celebrans, vel communicans non præmiſſa contritione moraliter certa, niſi irruentibus hoſtibus præcipue hæreticis gravem timeret Sacramenti irreverentiam, & ante illius ſumptionem ob animi perturbationem non poſſet conteri, vel Miſſa jam inchoata, vel ante linteum communicaturus flectens, tam cito contritionem perfectam elicere non poſſet, nec ſine ſcandalo, vel infamia recedere, *Lugo, Vaſq.* non ſufficit tamen quilibet ignominiæ metus, nec facile in Miſſa excuſari poteſt; cum parvam in ea morulam facere, & occulte mente conteri poſſit. 2. Graviter peccat Sacerdos, ſi neceſſitate deficiente Confeſſario contritus celebraverit, & non quamprimum habita prima occaſione confeſſus fuerit, ſed ſuo ſolum tempore poſt tres, quatuor, aut plures dies neglecta prius habita occaſione, quamvis non celebraverit, ſed ſolum communionem laicam ſumpſerit; vel ſi non mortalis conſcius, ſed ex oblivione in mortali acceſſerit, vel non in neceſſitate, ſed ex malitia celebraverit, *P. Gerv. & alii*; vel ſolum de mortali dubitaverit, *P. Gerv. cit.* cum Communiſſima, licet non amplius ſit celebraturus, *P. Paul. Lugd.* quia in prædictis eadem eſt ratio, ac ſi in neceſſitate mortalis conſcius celebraſſet, & dubia ſunt ſicut cætera confitenda, niſi eſſet ſcrupuloſus, *Gob. Tamb.* quia iſti timent, ubi non eſt timor; vel niſi dubium ob rationes ſufficientes depoſuerit, *P. Gerv.* non tamen tenetur

lai-

laicus, vel non Sacerdos ſumpta in mortali Euchariſtia quamprimum illud confiteri, ſed ſufficit ſuo tempore, quando alias confitebitur, *Suar. Vaſq. Paul. Lugd. P. Ger.* quia Concilium Trid. loquitur tantum de Sacerdotibus; nec peccat celebrans non integre abſoluta pœnitentia, *Alex. VIII. in damnatione propoſitionis oppoſita, Thom. ex Charm.* nec peccat conſcius plurium tantum venialium non præmiſſo dolore, *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *Cap.* 7. & 8. quia veſte nuptiali gratiæ ſanctificantis cenſetur indutus, modo in ipſo actu communionis non actu peccet voluntaria diſtractione, vana gloria, vel de veniali complacentia; quia tunc novum veniale committeret ob ſpecialem contra Sacramentum irreverentiam, *Gob. Rhod.* nec carens ſuavi perfectæ charitatis ſenſu, nec is, cui non ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers a communione arcendus, *Alex. VIII. cit.* congruenter tamen, & laudabiliter, & aliquando neceſſario ſacra differtur communio pravis conſuetudinibus implicatis, vel nuperrime in enormia peccata prolapſis, vel tepidis ad ſacram communionem ſæpe accedentibus, & de venialibus ſe non emendare curantibus, donec ſe pietatis operibus dignum Chriſti habitaculum pro frequentiori communione ſufficienter præparaverint, modo non urgeat præceptum, vel alia communicandi neceſſitas, *P. Paulu Lugd.*

Quær. 12. *Quænam ſit Euchariſtia neceſſitas, & obligatio communionis?*

Dico. Euchariſtia non eſt per ſe ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii, nec in re, nec in voto ſaltem proprio; quia ſine illa, ac illius voto proprie dicto ſalus obtineri poteſt, ut a parvulis prout de fide definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *Can.* 4. & ab adultis ſtatim poſt Baptiſmum morientibus; quia, cum habeant gratiam ſanctificantem, per Baptiſmum ſunt in Chriſto, & nihil illis, qui in Chriſto ſunt, eſt damnationis, *Rom.* 8. poteſt tamen neceſſaria, 1. neceſſitate medii in voto improprie dicto, & ſumpto pro voluntate generali ſervandi omnia mandata Dei, ac proinde ſumendi Euchariſtiam tempore præcepto; quia hæc voluntas requiritur ad primam gratiam ſanctificantem in adulto; vel in re per accidens, ſi in peccato mortali ſolum attritus uſu rationis privaretur, & nullum aliud poſſet recipere Sacramentum, nec extre-

mam

mam Unctionem, *Thom. ex Charm.* quia tunc nullum aliud haberet remedium recuperandi primam gratiam. 2. Neceſſitate præcepti jure divino omnes adultos ratione utentes, etiam infideles obligantis, quia Chriſtus omnibus etiam capharnaitis infidelibus, *Joan. 6.* illud impoſuit, ſuppoſitis debitis diſpoſitionibus per Baptiſmum, Fidem, &c. & infantes quamprimum annos diſcretionis, *Conc Trid. Seſſ. 21. Can. 4.* vel uſum rationis judicio Parochi ſufficientem adepti fuerint, qui aliquibus circa annum decimum; aliis modo circa 14. contingere ſolet, *Tourn.* præcipue autem per ſe obligat, 1. in articulo mortis; quia Concilium Nic. ita ſtatuit, & ad ſuperandas tentationes in ultima lucta ordinarie vehementiores præcipue eſt neceſſaria. 2. Pluries in vita; quia anima ſpirituali nutritione ſæpius indiget; quam obligationem Eccleſia acepta a Chriſto poteſtate determinavit pro omnibus perfecto uſu rationis gaudentibus, 1. ut fiat ſemel in anno tempore Paſchali a Dominica Palmarum 15. diebus, comprehenſo Sabbato Palmarum, ſi incidat Feſtum Annunciationis B. V. Mariæ. 3. In Eccleſia parochiali; quia ita innuunt Canon: *omnis utriuſque*, ac variæ Bullæ præcipue *Paul. IV. & Clem. VIII.* 3. De manu proprii Parochi, *ibid.* vel illius ſubſtituto, *Tourn.* 4. Non ſacrilege, *Innoc. XI. in damnatione propoſitionis* 55. quia non eſſet refectio animæ, ſed mors. Pœnæ autem excommunicantes in tempore Paſchali latæ ſunt ferendæ ſententiæ, *Laym.* & non niſi jubente Epiſcopo infligendæ, *P. Gerv.* Denique obligat per accidens, quoties pro vincenda gravi tentatione, vel evitando mortali judicatur neceſſaria: quia quilibet tenetur adhibere remedia; quando ad ſalutem æternam conſequendam ſunt neceſſaria.

Hinc 1. Graviter peccant Parochi communionem ex negligentia ſine ratione infantibus perfecto uſu rationis gaudentibus differentes, vel parentes eam illis non procurantes; quia obligantur præcepto; vel Viaticum in articulo mortis, quando doli certo ſunt capaces, nimirum quando ſciunt diſtinguere inter Euchariſtiam, & alium cibum, quando advertunt, ſe male agere, & homines propter talia a Deo puniri, *P. Gerv.* ſi dubitetur de uſu rationis, poteſt dari; quia olim etiam ante uſum rationis dabatur, & Sacramenta ſunt in favorem hominum inſtituta; vel non dari, *Hug. Rhod.* quia nondum contraxerunt, nec agnoſcunt

ſcunt obligationem. 2. Graviter peccant ægroti lethaliter decumbentes communionem negligentes; vel rei morte condemnati, ſi illam poſſint habere; vel milites prælium inituri, ſi prius communicare poſſint, nautæ longam, ac periculoſam navigationem inſtituentes, præcipue in mari; puerperæ primo parientes, vel partu ordinarie periculoſo laborantes; quia omnes prædicti cenſentur in periculo mortis verſari. 3. Graviter peccat faciens communionem paſchalem, ſed ſacrilege, vel in aliena Eccleſia, vel in propria non de manu Parochi, vel alterius de ipſius licentia, ſed invito, vel contradicente Parocho, vel in Eccleſia Cathedrali, niſi ſimul ſit ſua parochialis, quamvis eam de manu Epiſcopi loci, ſed ignorantis, eum non eſſe parochianum, acceperit; quia non cenſetur, eum velle diſpenſare a lege communi, *Tourn.* vel peregrini, advenæ, itinerantes, in Eccleſiis Regularium communicantes, *Tourn. Nav. Lug. & alii*; quia etiam Viaticum ex Eccleſia parochiali accipere tenentur, & in dubio, cum auctores quoad horum communionem ſint diviſi, tutior pars eſt tenenda; vel faciens primam ſuam communionem non in Eccleſia parochiali, *Tourn.* Sacerdotes tamen, etiam ſæculares ubique celebrantes ſatisfaciunt communioni paſcali; *Ethic. Amor. Simonet, & alii apud Tourn.* quia conſuetudine ita eſt receptum; ſæcularibus tamen Sacerdotibus conſulendum eſt, ut eam in Parochia faciant, *ibidem*; etiam ſatisfaciunt Religioſi Clerici, ac laici, eorumque famuli intra ſepta, & loco exempto degentes, & commenſales in eorum Eccleſiis communicantes; quia hoc privilegio a SS. Pontificibus conceſſo gaudent nemine contradicente, *Paul. Lug. Tourn. Henr. a S. Ign.* etiam eorum hoſpites intra clauſtra ægrotantes, quibus etiam Viaticum, & extremam Unctionem dare poſſunt, *Baſſ. Gerv. Bonag.* non vero extra clauſtra commorantes; ſed tenentur adire Parochiam, *S. R. Congr.* ſufficit tamen pro communione paſchali licentia interpretativa, vel de futuro ratihabitio, *Tamb. P. Gerv.* quia non de valore, ſed de liceitate agitur; in praxi tamen ſine expreſſa, vel in ſcriptis exhibita non dari debet. 4. Graviter peccat omittens communionem paſchalem, vel eam non faciens in Eccleſia parochiali, & omittens elapſo anno ſimul annualem denuo peccat, ac toties quoties advertenter, ac voluntarie eam differt, *Tourn, Suar, Azor,* quia duplex eſt præceptum,

ceptum, unum præcipiens communionem paſchalem, alterum implicite negativum prohibens, ne ultra annum differatur, *Auct. cit.* qui annus videtur currere a Paſchate ad Paſcha; quia ultra illud tempus ſine ratione non poteſt differri, & Parochi eam elapſo Paſchate urgere ſolent ſupponentes; ommiſſa Paſchali, nec annuam fuiſſe factam; facta vero ante Paſcha communione annuali in propria Parochia, & omiſſa ſolum Paſchali, non tenetur ſub novo peccato elapſo tempore Paſchali communicare, *Tourn. Bill. Paul. Lugd.* quia Paſchalis affixa eſt tempori, & jam implevit præceptum communionis annualis quoad ſubſtantiam, & circumſtantiam loci. 5. Prævidens impedimentum annuæ communionis, & non præveniens ante annum elapſum: non vero peccat prævidens impedimentum Communionis paſchalis facta ante Paſcha annuali in propria Parochia; quia Communio paſchalis affixa eſt tempori paſchali, & communio ante Paſcha facta habet rationem communionnis anticipatæ, *Tourn.* quamvis ſecurius ſit, ut ſumpta eo anno jam communione prævifo impedimento pro communione paſchali, adhuc brevi ante Paſcha eam ſumat, *Pont. V. communio*, & prævidens impedimentum in ſecunda hebdomade, tenetur communicare in prima; quia intra tempus præſcriptum poteſt, & debet fieri: ob eandem rationem prævifo impedimento pro tempore Paſchali, facta communione anticipata pro annuali, adhuc tenetur tempore Paſchali, ſi eo durante ex improviſo impedimentum illius tollatur, *Paul. Lugd.* ſaltem ſecurius eſt, & ſtrictæ ad illam eſt monendus, *Tourn.* præcipue, ſi ſine Parochi licentia, & ſcitu eam anticipaſſet; qui plura habet domicilia, debet præferre longioris moræ; vel ubi actu manet tempore Paſchali: ibi ſatisfaciat, *Pont.* qui actu eſt Pariſiis tempore Paſchali, poteſt ire in ſuam villam ibidem communicaturus, *Tourn.* 6. Graviter peccat omittens communionem Paſchalem, quia ligatus eſt cenſura, vel quia ob odium, voluntatem nocendi, vel non reſtituendi, veniam petendi abſolutionem non obtinuit; quia poteſt, & tenetur abſolutionem a cenſura ſibi procurare, & per emendationem vitæ abſolutionis ſe reddere dignum, nec poteſt ipſe propria malitia ſuffragari; non vero peccat, ſi Confeſſarius differat abſolutionem ob confeſſionem generalem judicatam neceſſariam, ad probandum, an concubinam ejiciat, inimico condonet, reſti-

reſtitutionem faciat, vel alia cauſa rationabili, *Tourn. Pont.* non vero excuſatur falſa humilitate ſe proprio judicio indignum communione reputans, *Tourn.* quia non ſubſiſtit vera humilitas cum legis tranſgreſſione.

Quær. 13. *An Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſit neceſſaria?*

Dico. Quamvis Euchariſtia ſub utraque ſpecie a Chriſto Domino fuerit inſtituta, non tamen Jure divino laicis ſub utraque ſpecie fuit præcepta; ſed ſolum Sacerdotibus illam conſecrantibus; ita definivit de fide, Concilium Trid. *Seſſ.* 21. *Cap.* 1. quia ſub unica ſpecie totus ſumitur Chriſtus cum Corpore, & Sanguine, & ſumptioni unius ſolum ſpeciei Panis totus a Chriſto promittitur Euchariſtiæ effectus eſſentialis, nempe vita æterna, *Joan.* 6. Nec Jure divino utriuſque ſpeciei ſumptio fuit prohibita; cum primi fideles eam aliquando ſub una, aliqaando ſub utraque ſumpſerint ſpecie, *Actor*, 11. & ita docuit Traditio, ac praxis Eccleſiæ uſque ad 12. ſærulum; poſtea tamen creſcente numero fidelium Eccleſia juſta de cauſa laicis uſum Calicis interdixit: videlicet 1. ob periculum effuſionis ſepius ſecutæ ob multitudinem populi Chriſtiani accedentis. 2. Ob difficultatem ſpecies relictas conſervandi. 3. Ob multorum ex eodem Calice bibendi repugnantiam. 4. Ob penuriam vini in multis Regionibus. 5. Ne ob hæreticorum contentionem, & ob continuum uſum Jure divino crederetur neceſſaria; nec Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumentibus major confertur gratia ex opere operato; quia eſt eadem res ſub utraque ſpecie, & ita declarat Concilium Trid. *Seſſ.* 21. *c.* 3.

Quær. 14. *An Communio quotidiana ſit licita?*

Dico. Quamvis quotidiana communio exiſtenti in ſtatu gratiæ non ſit ſub mortali prohibita, & in ſe, & ex parte Sacramenti laudabilis, & a Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *Can.* 6. exoptata, ut fiat ab omnibus fidelibus; ex parte tamen ſumentium illius utilitas ex eorum diſpoſitione, puritate conſcientiæ, qualitate ſtatus, & negotiorum dijudicanda eſt; & ex SS. Patribus recte infertur 1. pauciſſimos hoc tempore utpote frigido eſſe, quibus quotidiana communio permitti poſſit; cum non niſi extraordinario fervore ardentibus, & ab omni affectu venialium liberatis, ac in ſtatu primitivæ Eccleſiæ exiſtentibus concedenda ſit. 2. Pauciſſimos eſſe, quibus hebdomadaria poſſit prohiberi;

cum

cum ſuppoſito ſtatu gratiæ ſolum tepide ſæpius accedentibus, de venialibus ſe emendare non curantibus, vel nuperrime in enormia peccata lapſis aliquando differenda ſit, *Paul. Lugd.* 3. Nullum eſſe in ſtatu gratiæ exiſtentem, cui menſtrua non poſſit conſuli; quia antidotum eſt, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus preſervamur, *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *c.* 2.

Quer. 15. *Quinam ſint effectus Eucharistiæ?*

Dico. Euchariſtiam non per ſe conferre remiſſionem peccatorum, ac primam gratiam ſanctificantem, de fide conſtat, *Thom. ex Charm.* quia eſt Sacramentum vivorum primam gratiam tanquam diſpoſitionem ſupponens, prout indicat Apoſtolus 1. 11. *probet autem ſeipſum homo:* bene autem illam cauſat per accidens, *S. Thom.* unde ſex ſunt effectus ſpirituales, nempe primarius eſt nutritio ſpiritualis animæ per augmentum gratiæ ſanctificantis, & jus ad gratias actuales ad conſervandam vitam ſpiritualem, charitatem, ac unionem cum Chriſto; quia primario ad hoc a Chriſto eſt inſtitutum, quem cauſat cum manducatur trajiciendo, & recipiendo ſpecies in ſtomacho: 2. Eſt remiſſio venialium, partim vi Sacramenti, partim mediantibus auxiliis ad pios affectus contritionis, &c. *Maſtr. P. Gerv.* & præſervatio a mortalibus, *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *c.* 3. Eſt dulcedo ſpiritualis animæ, niſi pravis, & inordinatis affectibus impediatur; quia eſt cibus ſpiritualis animam recreans. 4. Pœnæ alicujus remiſſio, *S. Thom.* 5. Eſt gloriæ adeptio, *S. Thom.* quia eſt pignus futuræ noſtræ gloriæ, ac æternæ hæreditatis, *Conc. Trid. ei.* 6. Eſt Viaticum; quia præbet vires viæ ad patriam: effectus vero corporales ſunt quatuor, nimirum 1. unio carnis Chriſti cum noſtra, ita SS. Patres, non per unionem hypoſtaticam, nec per phyſicam per modum formæ; nec ſolum localiter per realem præſentiam, ſed moraliter ſimul, & realiter nos in Chriſtum convertendo amore, ac imitatione, & ſpiritu ſuo nos informando, etiam conſumptis jam ſpeciebus, *P. Gerv.* 2. Diminutio ardoris, ac fomitis concupiſcentiæ, *S Thom.* quia eſt vinum germinans virgines, *Zach.* 9. 3. Cordis hilaritas, vultus lætitia, oculorum modeſtia, linguæ refrænatio, & honeſta ſenſuum, ac totius corporis compoſitio. 4. Reſuſcitatio in noviſſimo die corporis glorioſi, ad majorem nempe ſplendorem, & gloriam, quia *Joan.* 6. Chriſtus ita promiſit;

po-

poteſtque Euchariſtia prodeſſe alias, etiam defunctis, non quidem ut Sacramentum ex opere operato, *S. Thom.* quia eſt cibus ex operę operato non niſi ſumenti proficiens; bene autem ut Sacrificium, ut dicetur infra, & ut Sacramentum ex opere operantis, etiam defunctis, ut declaravit *S. Congr. Card. Concil. Trid.* damnando propoſitionem contrariam.

Hinc: 1. In mortali inculpabiliter vel ignoranter cum ſola attritione communicans per accidens recipit primam gratiam; ſi vero culpabiliter vel ſcienter, fiat cum ſacrilegio ſua peccata auget; quia eſt Sacramentum vivorum. 2. Retinens ſpecies Euchariſtiæ in ore uſque ad eorum corruptionem, nullam vi Sacramenti recipit gratiam; quia illud non manducavit; bene autem poſt illius comeſtionem illas e ſtomacho ejiciens incorruptas; quia vere manducavit; conſulendum ei tamen eſt, ut iterum communicet, ſi urgeat præceptum, quod non ſolum comeſtionem, ſed etiam retentionem Sacramenti videtur exigere, nec ſatis certo conſtat, quo tempore gratias cauſet. 3. Non majorem recipit gratiam diutius ſpecies in ſtomacho incorruptas retinens, ſaltem ex opere operato; quia alias major Hoſtia, & major vini quantitas majorem producerent gratiam, cum corruptioni diutius reſiſtant, quod videtur carere fundamento; bene autem per accidens pios eliciendo affectus, *P. Gerv. & alii*. 4. Offerens ſacram Communionem pro amico, vel anima in Purgatorio ſibi ſoli ex opere operato prodeſt; quia cauſat gratiam per modum cibi ex opere operato, & aliis, pro quibus offertur, ex opere operantis per bonos affectus, quia datur communicatio ſuffragiorum.

QUÆSTIO II.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Sacrificium?

Reſp. 1. Sacrificium late eſt quælibet actio Deo oblata, ut Oratio, Eleemoſyna, &c. ſtrictius, & proprie dictum definitur: oblatio externa rei ſenſibilis legitime

time inſtituta, & ſoli Deo facta a legitimo Miniſtro per realem Hoſtiæ immutationem, vel deſtructionem ad teſtandum ſupremum Dei Dominium in omnes creaturas; & noſtram ſubjectionem; vel brevius: eſt deſtructio rei Deo oblatæ, qua Deum vitæ, ac mortis Auctorem agnoſcimus, *Bellarm.* eſtque inter omnes actiones Religionis excellentiſſima. 2. Sacrificia antiqui Teſtamenti varia erant ratione rei oblatæ, ac modi; Sacrificium vero novi Teſtamenti, licet in ſe ſit unicum, ratione finis tamen dividitur 1. in latreuticum, quod Deo offertur ad ipſum cultu latriæ colendum. 2. In Euchariſticum, ſeu pacificum, quod Deo offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo acceptis. 3. In impetratorium, quod Deo offertur pro beneficiis ab eo impetrandis. 4. Propitiatorium quod Deo offertur pro remiſſione peccatorum.

Quær. 2. An Miſſa verum ſit Sacrificium, & in quanam actione conſiſtat?

Dico. Euchariſtia eſt verum, ac proprie dictum Sacrificium, quod in Miſſa offertur; 1. quia habet conditiones ad verum Sacrificium requiſitas, cum Corpus, & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus Panis, & Vini ſenſibiles ſoli Deo a legitimo Miniſtro Sacerdote immolentur, quatenus vi verborum ſolum Corpus ſub ſpeciebus Panis, & ſolum Sanguis ſub ſpeciebus Vini ponitur, & ſic quaſi gladio ſpirituali a ſe invicem ſeparantur ad recognoſcendum ſupremum Dei Dominium. 2. Quia ita definivit Concilium Nic. I. *Can.* 18. & Trid. *Seſſ.* 22. *Can.* 1. & perpetua Eccleſiæ, ac SS. Patrum Traditio ita docet: ideoque eſſentialiter conſiſtit in ſola Conſecratione; quia per illam recte & eſſentialiter mors Chriſti repræſentatur, & victima myſtice, ac realiter deſtruitur, & quidem myſtice, quia Corpus, & Sanguis vi verborum ſeparantur; & realiter; quia Chriſtus per Conſecrationem recipit quaſi vulnus lethale, & ponitur in ſtatu proximo ad deſtructionem realem, & actualem quoad eſſe reproductum per ſumptionem, quam importat tanquam partem integrantem; quia per illam realiter, & actualiter deſtruitur Chriſtus quoad eſſe reproductum, & ideo ab Eccleſia præcipitur facienda ab alio Sacerdote, etiam non jejuno pro complendo Sacrificio, ſi Sacerdos celebrans poſt Conſecrationem deficiat: non tamen ſumptio eſt eſſentialis; quia per ſumptionem deſtruitur primario in utilitatem ſumentis, & non

ad recognoſcendum ſupremum Dei Dominium; ſed per ſolam Conſecrationem; alias quælibet communio eſſet Sacrificium; & quidem Conſecratio utriuſque ſpeciei eſt de eſſentia, & neceſſitate Sacrificii, ac præcepti divini, quatenus Miſſa eſt commemoratio Sacrificii cruenti; 1. quia ſine utriuſque ſpeciei Conſecratione non repræſentatur Sacrificium crucis per effuſionem, & ſeparationem Sanguinis a Corpore oblatum, quam ſpecies ſeparatim poſito myſtice denotant; 2. Quia Chriſtus hoc Sacrificium ita inſtituit, & continuandum præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*, *Luc.* 22. non vero eſt utriuſque ſpeciei Conſecratio de neceſſitate Sacrificii ſimpliciter, *Paul. Lugd. Suar. Lugd. & communior;* quia per unius Conſecrationem ponitur ſolum Corpus vi verborum, ac proinde ut ſeparatum a Sanguine, & mortuo modo.

Hinc 1. Miſſa in die Paraſceves non eſt verum Sacrificium; quia non fit in ea Conſecratio, nec eſt obligatio illam audiendi in die annuntiationis B. V. in eam cadentis, 2. Nullo in caſu licet conſecrare unam ſpeciem ſine altera; quia Chriſtus utriuſque Conſecrationem præcepit, & eſt de eſſentia Sacrificii, prout eſt ab eo inſtitutum in memoriam Paſſionis; niſi poſt Conſecrationem Panis agnoſceret, Vinum eſſe venenatum, vel notabiliter immundum, nec aliud poſſet haberi; tunc nec poſſet, nec teneretur illud conſecrare; quia ſumptio venenati eſſet moraliter impoſſibilis, ac illicita, *P. Gerv.* & notabiliter immundi contra reverentiam Sacramenti, ac prohibita. 3. Sacrificium crucis, Cœnæ Domini, & Miſſæ ſunt idem numero quoad rem oblatam, non vero crucis quoad modum; quia iſtud eſt cruentum, alia incruenta, & illud Cœnæ, & Miſſæ differunt numero quoad diverſas numero Conſecrationes, & ſpecies, *P. Gerv.* 4. Differt Sacrificium a Sacramento, 1. quia Sacrificium conſiſtit partim in actione ſacrificandi per Conſecrationem, partim in victima immolata; Sacramentum vero in re permanente. 2. Quia ad eſſentiam Sacrificii requiritur utraque ſpecies ad repræſentandam mortem, & paſſionem Chriſti; ad Sacramentum vero ſufficit unica. 3. Sacrificium primario & immediate ordinatur ad cultum Dei; Sacramentum vero ad noſtram ſanctificationem.

Quær. 3. *Quotuplex ſit Sacrificium Miſſæ, illius fructus, & portio?*

Dico.

Dicò. Idem Sacrificium Miſſæ eſt, 1. latreuticum; quia offertur Deo ad teſtandum ſupremum ejus dominium in omnes creaturas, 2. Euchariſticum; quia offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. Propitiatorium; quia remittit peccata mortalia, ac venialia, quoad pœnam temporalem immediate, & quoad æternam, & culpam per gratias actuales veræ pœnitentiæ. 4. Impetratorium; quia diverſa per illud impetrare poſſumus bona ſpiritualia, & temporalia: unde triplex eſt fructus Miſſæ, nempe 1. ſatisfactorius pro pœna temporali ex opere operato. 2. Impetratorius gratiarum actualium etiam ex opere operato. 3. Meritorius gratiæ ſanctificantis, remiſſionis culpæ ac pœnæ æternæ, aliorumque bonorum temporalium, & ſpiritualium ex opere operantis mediante pœnitentia, & aliis operibus prædictarum gratiarum actualium: etiam triplex eſt portio fructus ex opere operato, nempe ſatisfactorii, ac impetratorii, 1. eſt generalis proveniens ex Miſſæ Sacrificio, quatenus in nomine Eccleſiæ a Sacerdote, ut Miniſtro Eccleſiæ offertur, & toti Eccleſiæ æqualiter prodeſt, ſive pro multis, ſive pro paucis offeratur; quia licet iſta portio intenſive ſit determinata, ac finita; extenſive tamen ſyncathegorematice eſt infinita, & poteſt pluribus æque, ac paucis ex Chriſti liberalitate prodeſſe. 2. Eſt ſpecialis, ſeu miniſterialis, aut media, quæ oritur ex Sacrificio, quatenus a Sacerdote ut Miniſtro Chriſti, ac in ipſius perſona offertur, & prodeſt iis, quibus eam Sacerdos pro libitu applicat; vel qui ſpeciali modo ad Sacrificium concurrunt offerendo ſtipendium, vel alia ad Sacrificium neceſſaria. 3. Specialiſſima, quæ provenit ex Sacrificio, quatenus Sacerdos in propria perſona celebrat, ipſique ſoli prodeſt, quamvis pro aliis applicet, *Tourn. P. Gerv.*

Hinc 1. Actio Sacrificii Miſſæ quatenus fit a Chriſto non eſt meritoria; quia cum Chriſtus non ſit amplius viator, via ordinaria non poteſt amplius mereri, ſed certam portionem meriti crucis Sacrificio tribuit pro ſatisfactione, & impetratione ex opere operato: eſt tamen meritoria quatenus fit a Sacerdote ex opere operantis; quia eſt actio bona, quæ omnes poteſt habere conditiones meriti. 2. Sacrificium non producit immediate primam gratiam, nec per accidens prout eſt Sacrificium; quia non eſt a Chriſto ad hunc effectum immediate producendum inſtitu-

tum; bene autem, prout eſt Sacramentum ſaltem per accidens, ut ſupra dictum eſt *de Sacr. in gen.* 3. Quamvis Sacrificium Miſſæ gratias actuales ad opera pœnitentiæ, & meritoria, ex opere operato, & infallibiliter conferat, non tamen infallibiliter habent effectum defectu noſtræ cooperationis, nec alia bona ſpiritualia, ac temporalia ex opere operato, & infallibiliter conferuntur; ſed in quantum nobis ſunt ſalutaria, & pro ratione devotionis offerentis, & adſtantium.

Quær. 4. *An valor Miſſæ ſit infinitus?*

Dico. Quamvis Sacrificium Miſſæ ex parte rei oblatæ, & quoad ſufficientiam infiniti ſit valoris; quia eſt eadem Hoſtia, quæ in cruce fuit oblata, ſola offerendi ratione diverſa. *Conc. Trid. Seſſ.* 22. *cap.* 2. quæ infiniti eſt valoris utpote perſonæ infinitæ dignitatis; quoad effectum tamen, applicationem, & ex opere operato eſt finitus, ac determinatus; 1. quia Chriſtus non vult omnes paſſionis ſuæ meritum in qualibet Miſſa applicare, ut frequentior fiat illius oblatio, & fidelium magis excitetur devotio. 2. Quia ſi eſſet infinitus quoad applicationem, unica Miſſa ſufficeret pro omnibus vivis, ac defunctis, pro omnibus ſtipendiis, ac fundationibus, quod eſt contra praxim Eccleſiæ, & damnationem propoſitionis oppoſitæ ab Alex. VII. valor tamen Sacrificii Miſſæ eſt infinitus ſyncathegorematice ex opere operantis ex parte offerentium, & aſſiſtentium; quia poteſt magis, ac magis, pluribus, & pluribus æqualiter prodeſſe ex liberalitate Chriſti juxta majorem devotionem celebrantis, ac numerum aſſiſtentium; & nunquam exhauritur, nec, quomodocunque multiplicatis aſſiſtentibus, ſic in Miſſa parochiali in Dominica non minor percipitur fructus, quam in alia Miſſa, in qua pauciores aſſiſtunt: minuitur vero portio miniſterialis ex opere operato, ſi iſta pro pluribus applicetur, quia alias unica Miſſa poſſet pluribus ſtipendiis ſatisfieri, quod damnatum eſt ab Alex. VII.

Hinc 1. Miſſa mali Sacerdotis ex opere operato tantum valet, quantum boni; quia fructus ex opere operato datur prout ab ipſo Chriſto offertur juxta ipſius determinationem: minus vero valet ex opere operantis, quoad orationes; quia Deus peccatores non audit, & execrabilis eſt ejus oratio, *Prov.* 28. 2. Fructus eſt opere operantis non minuitur, ſive plures, ſive pauciores Miſſæ aſſiſtant;

quia

Digitized by Google

quia quilibet recipit pro ſua devotione ex Chriſti liberalitate; minuitur vero ex opere operato, & quilibet minus percipit, ſi pluribus applicetur, quam ſi uni applicaretur; quia portio a Chriſto ex opere operato dividitur inter eos, quibus applicatur, *P. Gerv.*

Quær. 5. Quiſnam ſit Miniſter Sacrificii Miſſæ?

Dico: Chriſtus Dominus priamarius eſt, ac æternus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Hoſtia ſimul, & principalis offerens in Miſſa; quia in qualibet ſeipſum Deo offert miniſterio Sacerdotis ut Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 2. indicat; & ſolus Sacerdos rite ordinatus poteſt eſſe Miniſter conſecrans, & Sacrificium immediate Deo offerens tanquam publicus Miniſter Chriſti, Eccleſiæ, ac populi, etiam excommunicatus, ſuſpenſus, vel degradatus, ſaltem valide, ſed non licite; quia ſolus Sacerdos a Chriſto ad ſacrificandum eſt conſtitutus, & a nemine alio hoc caractere, ac poteſtate poteſt privari; fideles vero illud offerunt mediante duntaxat Sacerdote tripliciter, 1. modo quodam generali, ut membra Eccleſiæ, cujus nomine a Sacerdote offertur. 2. Modo quodam ſpeciali, movendo Miniſtrum ſtipendio, vel neceſſaria ad Sacrificium ſuppeditando, ut pro ipſis ſacrificet. 3. Miſſæ aſſiſtendo, illamque audiendo, & cum Sacerdote illam offerendo.

Quær. 6. Pro quibuſnam Sacrificium Miſſa poſſit, & debeat offerri?

Dico. Poteſt Sacrificium Miſſæ offerri pro omnibus omnino hominibus vivis, atque defunctis, *Conc. Trid. Seſſ.* 22. *Can.* 3. quia inſtitutum eſt pro omnibus, & Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; niſi ſpecialis obſtet Eccleſiæ prohibitio, ne illius nomine pro quibuſdam publice oretur, prout prohibet publice, & nominatim orare pro excommunicatis non toleratis. *Tourn.* & pro infidelibus, vel ſi nullius fructus Sacrificii ſint capaces, ut damnati. Tenetur ſecundum probabiliorem, ac ſecuriorem quilibet Sacerdos, etiamſi curam animarum non habeat, ſæpius, aut frequenter in anno celebrare, *Baſſ. P. Gerv. Tourn.* vel ſingulis Dominicis, ac Feſtis ſolemnibus, ſi Epiſcopus jubeat. S. *Thom.* & applicare portionem miniſterialem, ſeu mediam iis, quibus ratione officii, fundationis, ſtipendii, vel feriæ promiſſionis obligatus eſt, per intentionem ante Miſſam, vel ſaltem ante Conſecrationem factam, vel per

virtualem ſaltem implicitam, aut habitualem non revocatam, *P. Thom. ex Charm. Laym.* quia applicatio ſe habet per modum donationis, quæ valet, donec revocetur; non vero ſufficit interpretativa, vel conditionata de futuro, *Paul. Lugd.* quia fructus Miſſæ non poteſt ſuſpendi; portio autem generalis non poteſt applicari; niſi toti Eccleſiæ, cujus nomine celebrat, & ſpecialiſſimam non niſi ſibi ipſi; quia utraque ex natura rei a Chriſto, & ab Eccleſia ita eſt determinata, *Tourn. P. Gerv.*

Hinc 1. Graviter peccat *Miſſam offerendo*, 1. Sacerdos eam offerens nomine Eccleſiæ, vel populi pro infidelibus, & excommunicatis non toleratis; quia Eccleſia graviter prohibet cum illis publice communicare in divinis ipſius nomine peractis. 2. Pro damnatis; quia ſupponeret redemptionem ex inferno contra fidem; poteſt tamen Miſſa offerri, 1. pro infidelibus, ac hæreticis indirecte; quia poteſt offerri pro extirpatione infidelium, & hæreticorum, ac dilatatione Eccleſiæ, quæ fiunt per eorum converſionem. 2. Directe pro Lutherano, Judæo, Turca, ſaltem a Miniſtro, ut eſt perſona privata mentaliter, *P. Gerv. & alii;* quia Eccleſia prohibet tantum ſuffragia communia publica ipſius nomine pro ipſis applicanda, & gratiarum actualium pœnitentiæ, ac converſionis, aliorumque bonorum impetrandorum ſunt capaces; indecens tamen eſſet a Judæo, vel Turca ſtipendium accipere. 3. Pro fidelibus juſtis, ac injuſtis; quia licet peccatoribus non proſit ſatisfactio, quæ ſupponit remiſſionem culpæ, prodeſt tamen quoad gratias actuales ad pœnitentiam, & mediante illa ad primam gratiam, ac meritum. 4. Pro parvulis baptizatis; quia illis prodeſt ad conſervandam, vel impetrandam ſanitatem, ac vitæ prolongationem. 5. Pro cathecumenis; quia ſupponuntur in gratia per deſiderium Baptiſmi. 6. Pro defunctis beatis; quia ipſis poteſt obtineri gloria accidentalis, ac veneratio in Eccleſia, & pro infantibus poſt Baptiſmum mortuis; quia ſunt beati. 7. Pro animabus in Purgatorio, *Conc. Trid. Seſſ.* 22. *Can.* 3. quia ipſis ex opere operato prodeſt ad remiſſionem pœnæ, *Maſtr. Suar. Vaſq. & alii;* & poteſt ipſis impetrari, ut fideles pro earum liberatione orent. 8. Pro ſanitate pecorum, ut bovis, equi, &c. pro pluviis, &c. prout ſunt hominis bona; quia non pro bove, ſed hominis bono offertur.

Hinc

Hinc 2. Graviter peccat *non celebrando*, 1. ſimplex Sacerdos, licet nullam animarum curam vel beneficium habeat, toto anno nunquam celebrans, vel non ad minimum ter, vel quater in Feſtis præcipuis, ſaltem ſecundum probabiliorem, & ſecuriorem, *Auct. ſupra cit.* quia Innocentius III. in Concil. Later. IV. graviter eos increpat, & Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 1. dicit, Chriſtum etiam Succeſſoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepiſſe; unde gravem obligationem prædicti Auctores colligunt; vel non celebrantes ſingulis Dominicis ac Feſtis ſolemnibus, ſi Epiſcopus mandet: *S. Thom.* & quamvis S. Bonaventura non videatur gravem agnoſcere obligationem aliquoties in anno celebrandi; attamen dicit: cum Sacerdos ex negligentia celebrare omittit, privat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio, & in Purgatorio exiſtens refrigerio; Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina, & remedio. 2. Graviter peccat Parochus non celebrans in diebus, quibus obligantur ipſius ſubditi audire Miſſam, vel non niſi diebus de obligatione, & nunquam, vel valde raro aliis dibus celebrans, ita ut ipſius ſubditi ex devotione Miſſam audire nequeant: quia non ſolum tenetur ſuis ovibus paſcua abſolute neceſſaria adminiſtrare, ſed etiam proficua, & in iis devotionem, & perfectionem chriſtianam promovere. 3. Superiores Eccleſiarum Cathedralium Collegiatarum, non procurantes, vel negligentes Miſſam capitularem, vel conventualem, vel duplicem in feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, vigiliarum, occurrente in iis Feſto novem lectionum, *Paul. Lugd. citans cap. cum creat. de celebr. Miſſa*; excepta die infra Octavam, in qua unica duntaxat dicenda eſt de feria, niſi eſſet Octava Corporis Chriſti, *Rub. gen.* vel ſi una, aut altera tantum omitteretur ob parvum Sacerdotum numerum, *P. Gerv.* nec ad eas tenentur Regulares ſub mortali, nec Moniales ad applicationem Miſſæ conventualis ſecluſa conſuetudine, vel fundatione: nos Capucini tenemur ex conſuetudine, & ordinationibus generalibus ann. 1613. ad conventualem pro fratribus, ac benefactoribus applicandam. *Bonagr.* & ad alias in feriis, ut Eccleſiæ Collegiatæ, *Cap. gen.* 1637. non vero ſub eadem obligatione, *Baſſ. Gavant.* quia Eccleſiæ Regularium non ſtricte Collegiatæ, ſed Conventuales ab Innocentio IV.

nuncupantur. 4. Beneficiatus obligatus ex fundatione qualibet die ad dicendam Miſſam per ſe, vel per alium, illamque non qualibet die dicens, nec per alium ſupplens; non tamen mortaliter peccaret, eam ſemel in hebdomade omittendo ob infirmitatem corporalem, vel ad celebrandum indiſpoſitionem, aut gravia negotia; nec eam per alium ſupplens, ſi non expreſſe habeatur in fundatione per ſe, vel per alium, *Panormit. Cabaſſ. & Canoniſtæ communiter apud P. Thom. ex Charm.* quia non cenſetur fundator ita rigide velle obligare. Sic etiam obligatus ſingulis ſeptimanis ad Miſſam pro defuncto, ſatisfacit eas anticipando, & eas per 52. dies continuos dicendo; quia ſolvit actuale debitum cum majori defunctorum, ac promptiori auxilio, niſi ita ſingulis ſeptimanis eſſent affixæ, ne locus nulla ſeptimana ſit ſine Miſſa, vel niſi pro defunctis ſucceſſive morientibus eſſent fundatæ, *Lug. Tamb.* quia tunc poſtea morientes iis Privarentur.

Hinc 3. Graviter juxta multos peccat *non applicando*, 1. Parochus non applicans ſingulis diebus ſaltem Dominicis, ac Feſtivis principalioribus pro ſuis ovibus, *Baſſ. Paul. Lugd. & S. Congr.* vel ſemel in hebdomade, *Baſſ. cit.* quia Concilium Trid. ait: quibus cura animarum commiſſa eſt, præcepto divino mandatum eſſe, oves ſuas agnoſcere, & pro eis Sacrificium offerre, *Seſſ. 23. Can. 1.* niſi beneficium haberet valde tenue, & vix pro ſuſtentatione mediocri ſufficiens, ut Parochi Regii. 2. Graviter peccat non applicans Miſſam ex voto, juramento, ex obedientia Superioris, ſtatuto, vel conſuetudine graviter obligante debitam, vel ex charitate in gravi, vel extrema neceſſitate ſpirituali, vel ex promiſſione ſeria, vel pro ſtipendio facta, vel fundatione, ſaltem, ſi non una tantum vice omittatur; quia obligatio unius Miſſæ levi ſtipendio poteſt redimi, niſi relative fiat gravis ob damnum; valet tamen applicatio contra obedientiam, vel aliam obligationem facta. 3. Religioſus, vel alius ex præcepto obligatus ex inadvertentia nemini applicans, cenſetur applicaſſe ad intentionem Superioris, vel præcipientis, *Gavant. & alii*; quia habitualiter, ac implicite cenſetur velle implere voluntatem Superioris; ſi Superior nullam habuit, cenſetur ſibi applicaſſe, *P. Gerv.* quia habitualiter, & ita actu cenſetur velle; ſi fructus ſit incapax, tranſit in theſaurum Eccleſiæ, non tamen ſufficit intentio, quam habuiſſet appli-

plicandi pro amico, ſi ſciviſſet, eum eſſe mortuum, vel illa indigere; quia eſt de futuro, nec valet pro primo morituro, vel oblaturo ſtipendium, *S. Congr. Card. ſub Clem. VIII.* quia fructus Miſſæ non poteſt ſuſpendi, nec ſolvi debitum nondum contractum: valeret tamen; ſi tempore applicationis jam eſſet defunctus, vel ſtipendium depoſitum, *Baſſ.* quia obligatio eſt actualis, licet ignota, etiam valet applicatio ante duos, vel tres dies facta, quamvis de ea non amplius cogitet, *Paul. Lugd. Thom. ex Charm.* imo ante decem vel totidem annos, *P. Gerv.* modo eam non implicite, alteri applicando, vel explicite, eam revocando, retraxerit; quia ſe habet per modum donationis, quæ valet donec revocetur; etiam valet applicatio ad intentionem Superioris, vel pro anima, quam ſcit Deus magis indigere, vel pro charitate debita, licet celebrans hæc ignoret; quia ſatis eſt determinata.

Hinc 4. Graviter peccat, 1. *accipiendo ſtipendium* pro labore intrinſeco Miſſæ, ut genuflectendi, orandi, vel pro triplici fructu; quia non ſunt pretio æſtimabilia, & eſſet ſimonia. 2. Rigoroſe exigens ſtipendium notabiliter ſupra taxatum a Papa, vel Epiſcopo, aut conſuetudine; non vero ſi majus ſponte offeratur; quia volenti non fit injuria. 3. Plura ſtipendia taxa minora pro pluribus Miſſis accepta, auctoritate propria ad numerum ſtipendii ſoliti eas reducens, *S. Congr. Card.* vel duplicatum pro eadem Miſſa accipiens, *Alex. VII.* vel ad certas Miſſas ex fundatione obligatus eas ſimul pro ſtipendio applicans; quia eſſet duplicatum pro eadem Miſſa accipere ſtipendium; vel accepto ſtipendio pinguiori pro Miſſa, & eamdem dans alteri pro ſtipendio minori, *Urb. VIII. Alex. VII. Ben. XIV.* poteſt tamen aliquando aliquid ab æditue pro expenſis cereorum, panis, vini, & ornamentorum retineri, ſi non adſint alii reditus, *Urb. VII. P. Gerv. Tour.* nec tenetur Beneficiatus ad certas Miſſas obligatus dare ſtipendium pro Miſſis reditibus ſui beneficii proportionatum legenti illas, ſed ſufficit dare ordinarium, *S. Congr. & P. Gerv. contra Tourn.* & promittens Miſſam uni pro ſanitate, alteri pro patre defuncto, tertio pro converſione infantis improbi, poteſt unica Miſſa ſatisfacere, *Tamb. Gob.* quia quilibet recipit partem ſibi promiſſam ſine alterius præjudicio, modo mens promittentis non fuerit cuilibet Miſſam ſpecialem applicare, ſic

poteſt

poteſt Miſſam defuncto ex charitate debitam applicare pro defuncto, quoad ſatisfactionem, & alios fructus ſibi, vel alteri reſervare, *Gob.* in neutro vero caſu pro ſtipendio; quia fructus debetur offerenti ſtipendium, qui defunctis non eſt applicabilis. 4. Graviter peccat oblato, & accepto ſtipendio ſine determinatione numeri Miſſarum eas non juxta taxam Diœceſis, ſed in minori numero applicans, *S. Congr. Card. ſub Urb. VIII.* vel recipiens onera perpetua Miſſarum ſine licentia Epiſcopi ſub pœna interdicti, vel Regulares ſine licentia Generalis ſub pœna privationis omnium officiorum, vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia, *S. Congr.* vel recipiens ſtipendium pro tot Miſſis, ut intra modicum tempus celebrari nequeant, *Urb. VIII.* quale cenſetur unus, vel duo menſes, *Lug. & alii*; præcipue ſi non petantur pro neceſſitate urgente, ut pro remiſſione peccatorum, dono pœnitentiæ, refrigerio animarum in Purgatorio, &c. niſi eas longius differat de conſenſu petentium ſaltem præſumpto, cum ſciant petentes, eas ob quantitatem Miſſarum in tali loco petitarum non poſſe citius dici. 5. Miſſam pro præſenti neceſſitate urgente petitam, ut pro moribundo, puerpera periclitante, vel pro felici litis mox dirimendæ exitu differens, donec præterierit neceſſitas, teneturque ad reſtitutionem ſtipendii; quia non niſi hac conditione petitæ ſunt, ut ſtatim dicantur; vel ſæpius dicens Miſſam contra intentionem fundatoris ſine juſta cauſa, vel Epiſcopi diſpenſatione, *P. Gerv.* non tamen peccat graviter non dicens votivam, vel de requiem, vel in tali Altari, vel loco, ſed dicens Miſſam ordinariam in alio loco, vel Altari, & nullum eſt peccatum, ſi fiat legitima ex cauſa; quia, v. g. dies votivam, vel de requiem non permittit, etiam lucratur indulgentiam in Altari privilegiato per Miſſam de Feſto, modo pro anima defuncta applicetur, ſi applicatio fuerit præſcripta, *P. Gerv.* ſecurius tamen eſt, dicere Miſſam de requiem, ſi rubrica illam permittit; etiam valet applicata in ſtatu diſgratiæ, & lucratur indulgentias pro defunctis, *Baſſ.* quia ſufficit poſitio conditionis præſcriptæ pro indulgentia defunctorum. Etiam gratius eſt Deo, applicare pro defunctis, quam pro vivis, *Lugd. Suar, &c.* quia vivi ſeipſos juvare poſſunt, & magis prodeſt offerenti; quia defuncti non omnium fructuum ſunt capa-

capaces, quos ſibi reſervare poteſt, niſi pro ſtipendio applicet.

Quær. 7. Quomodo, quoties, & ubi celebrare liceat?

Dico. Per ſe licitum eſt, & laudabile, quotidie Miſſam celebrare; quia S. Andreas ait: *ego quotidie immolo Agnum immaculatum*, excepta die Paraſceves, in qua omnes ſub mortali, (*P. Gerv.*) veræ prohibentur Miſſæ, in quibus conſecratur, *Cap. Sabb. de Conſecra. diſt.* 3. etiamſi in eam incidat Feſtum Annunciationis B. V. Mariæ, *Gob. & com.* & excepta Cœna Domini, ac Sabbato S. in quibus una ſolemnis duntaxat in qualibet Eccleſia permittitur, & privatæ prohibentur, *S. R. Congr.* 11. *Febr.* 1690. & 16. *Apr.* 1710. ex rationabili tamen cauſa etiam in iſtis, nempe Cœna Domini, & Sabbato ſancto, Miſſæ privatæ in loco privato ante ſolemnem dici poſſunt, *P. Gerv. & alii*; imo etiam publice incidente in iis Feſto Annunciationis B. V. juxta diſpoſitionem Ordinarii, *Auct. Cit.* in Miſſa Sabbathi Sancti omiſſis Prophetiis, & introitu, quo Miſſa caret, dicto Pſalmo *Judica* cum *Gloria*, & confeſſione incipiendo a *Kyrie eleiſon*, & in fine dicendo Veſperas; quia ſunt pars Miſſæ, *P. Gerv.*, poteſt quoque Feſtum, etiam quoad forum transferri, *P. Gerv.* præcipue ubi eſt conſuetudo illud transferendi. Semel duntaxat in eadem die celebrare licet, *Alex. II. Honor. III.* excepta Nativitate Domini, & vera neceſſitate] ab Epiſcopo recognita; nec celebrare licet de Jure communi ante auroram, id eſt ante crepuſculum contingens duabus circiter horis cum media in æſtate, & duabus horis in hyeme ante ortum, ſeu apparitionem corporis ſolis in noſtris partibus, *Bill.* nec poſt meridiem, *P. Gerv. & communis*; excepto Feſto Nativitatis Domini, & caſu neceſſitatis, vel privilegii; nec extra Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam, aut ab eodem, vel alio de illius licentia benedicta, vel extra oratorium ab Epiſcopo ad celebrandum deputatum, benedictum, vel non benedictum celebrare licitum eſt abſque neceſſitate, diſpenſatione, aut privilegio; quia jus graviter prohibet, *Sylveſt. Pap. & Conc. Trid. Seſſ.* 22. *& communis*.

Hinc 1. *Ratione temporis*, 1. non licet celebrare Miſſam in die Paraſceves, etiam incidente in eo die Feſto, v. g. Annunciationis B. V. Mariæ; ut populus audiat Miſſam, *P. Gerv. & communis*; nec pro dando Viatico, *ibid.* nec defi-

deficiente majori Hoſtia pro ſepulchro, vel cæremoniis, ſed ſumenda eſt parva ex Ciborio, præmonito populo; *P. Gerv.* ſi tamen etiam parva deeſſet, & timeretur ſcandalum, ac murmur populi, poſſet privatim de paſſione, ſeu de cruce celebrari, & alius, vel ſi non adeſſet, idem Sacerdos, non ſumpta purificatione, cum illa publice celebrare officium, *Gob.* quia Jus naturæ pro evitando ſcandalo publico tribuit licentiam, ſi ab Epiſcopo haberi nequeat. 2. Incidente Feſto Annuntiationis B. V. vel alterius in die Cœnæ Domini, vel Sabbati Sancti, poſſunt aliquæ privatæ juxta determinationem Epiſcopi, etiam publice dici, ſed ante ſolemnem finiendæ, ut populo præbeatur occaſio ſatisfaciendi præcepto; vel nullo incidente Feſto, in loco privato pro dando Viatico moribundo; non vero ſolius devotionis propriæ, vel alienæ cauſa; quia devotioni prævalet conſuetudo, ac decreta S. Congregationis. 3. Plures eadem die licitum eſt dicere Miſſas, non ſumpta purificatione, ſi Parochus plures habeat Parochias, conſentiente Ordinario, vel ad evitandum ſcandalum publicum, ac murmur populi, vel pro dando Viatico, *P. Gerv.* modo adhuc ſit jejunus, & ex alia Parochia haberi nequeat; ſtandum tamen quoad hoc conſuetudini loci, & ſcandalum eſt evitandum, quod poſſet oriri, ſi bis celebraret. 4. Graviter peccat celebrans ſtatim poſt mediam noctem, vel in hyeme ſtatim poſt matutinum, ubi media nocte dicitur, vel una hora ante crepuſculum, vel poſt meridiem, *ita communis*; quia notabiliter excedit tempus præſcriptum, & venialiter, ſi minor fuerit exceſſus, in noſtris tamen partibus in ſumma æſtate Miſſa dici poteſt hora prima cum media poſt mediam noctem; quia circa hoc tempus aurora, ſeu crepuſculum juxta ſupra dicta incipit, & communiter duabus horis ante apparitionem ſolis, *Bill.* excipitur 1. Miſſa noctis Nativitatis Domini. 2. Caſus neceſſitatis pro dando Viatico, vel præbendo occaſionem audiendi Miſſam populo ante crepuſculum peregrinaturo, eum alias non audituro, *Thom. ex Charm.* ob confeſſiones audiendas, exequias ſolemnes celebrandas, vel ſupplicationes publicas, concionem, ſolemnitatem Officii, ubi eſt conſuetudo celebrandi Miſſam privatam, poſt ſolemnem poſt meridiem tantum finitam, *Bill.* 3. Conſuetudo ab Epiſcopo ſaltem tacite approbata, ſic in hyeme in partibus ſeptentrionali-

bus

bus hora quinta, vel una aut duabus horis ante crepuſculum celebrari ſolet, *P. Thom. ex Charm. P. Gerv.* 4. Ex privilegio; ſic Epiſcopi poſſunt una hora ante auroram, vel poſt meridiem celebrare, vel facere pro ſe celebrari, *Billuart*; & mendicantes poſſe tribus horis ante auroram ex rationabili cauſa, vel ſtatim poſt meridiem, vel poſt mediam noctem matutino nondum finito celebrare, multi docent, ſed huic privilegio videtur derogatum per Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *de obſervandis*. Denique graviter peccat Miſſam conventualem ſolemnem ante matutinum, & Laudes in Choro perſolutas dicens, ubi publice cantari, vel legi ſolent; quia eſt gravis inordinatio; non vero graviter peccat celebrans Miſſam privatam non recitato matutino; quia rubrica non eſt præceptiva, nec alibi extat præceptum ſub mortali obligans, *Tourn. & alii*; peccat tamen venialiter, ſi fiat ſine cauſa; quia eſt contra rubricam directivam, quæ aliquam ſaltem importat obligationem per accidens defectu finis honeſti, & nullum, ſi fiat ex aliqua cauſa honeſta.

Hinc 2. *Ratione loci*, graviter peccat 1. celebrans in Eccleſia polluta ante reconciliationem ab Epiſcopo factam, ſi fuerit conſecrata, vel ex commiſſione Papæ, vel ab eo privilegiato, uti ſunt Prælati, & Guardiani FF. Minorum pro eorum Eccleſiis Aqua benedicta ab Epiſcopo, vel a ſe, ſi Epiſcopus ſit mortuus, vel 14. horis diſtet. *Leo X. Laym. Bil. P. Gerv.* vel a delegato ab Epiſcopo, ſi ſolum fuerit benedicta, *cap. ult. de Conſecr.* imo defacto uſus obtinuit, ut etiam a ſimplici Sacerdote ex Epiſcopi commiſſione ea fieri poſſit, etiamſi Eccleſia conſecrata fuerit poluta, *Rit. Argent.* tuncque delegatus adhibere debet ritum in Pontificali præſcriptum, & uti aqua, quæ dicitur Gregoriana, id eſt cum ſale, vino, & cinere ab Epiſcopo benedicta, *ibid.* niſi eſſet celebrandi neceſſitas, ut ſi populus diu deberet manere ſine Miſſa, præcipue in Dominica, vel Feſto; vel moribundus mori ſine Viatico; prius tamen petendus eſt conſenſus Epiſcopi, niſi neceſſitas urgeat *Billuart. & alii communiter*: non tamen per talem Miſſam Eccleſia polluta reconciliatur, *ibid.* niſi fuiſſet dicta antequam illius pollutio fuerit nota, *P. Gerv. Curel. a Crem. & alii*; quia minus requiritur ad reconciliationem, quam ad conſecrationem. 2. Graviter peccat, polluta Eccleſia, ante Canonem non rece-

recedens, non vero eo incepto; quia Sacrificium cenſetur inchoatum, non autem antea: polluitur autem Eccleſia quatuor ex cauſis, quæ debent eſſe publicæ evidentia facti, vel juris, *Billuart*. 1. Copioſa, ac mortaliter mala ſanguinis effuſione; non ſufficiunt tamen aliquæ duntaxat guttæ ex naribus, nec ex percuſſione non mortali, ut inter pueros rixantes; nec mutilatio ſine Sanguinis effuſione, nec effuſio Sanguinis ex vulnere extra Eccleſiam accepto; ſufficit tamen notabilis Sanguinis effuſio extra Eccleſiam ex vulnere in Eccleſia accepto, *Tourn*. 2. Homicidio voluntario, & mortaliter Eccleſiæ injurioſo, etiam maleficantis, *Laym. & alii communiter*; ſive in, ſive extra Eccleſiam moriatur, modo vulnus in ea acceperit, *Billuart*; non vero ſi joco, caſu, in amentia, vel pro juſta ſui defenſione fuerit factum, vel exiſtens in Eccleſia occidiſſet exiſtentem extra Eccleſiam, licet poſtea eam ingrediatur, ac in ea moriatur; bene autem, ſi exiſtens extra Eccleſiam occidat exiſtentem in Eccleſia. 3. Voluntaria ſeminis humani effuſione, etiam licita, ut in actu conjugali, *Thom. ex Charm. P. Gerv.* niſi ob diuturnam, ac neceſſariam in Eccleſia cohabitationem, ut tempore belli, excuſentur, *P. Gerv.* quia Eccleſia non cenſetur uſum matrimonii cum tanto animæ periculo magis prohibere in Eccleſia, quam homicidium pro ſui defenſione factum, nec ſufficit una, aut altera gutta; quia actus non eſt perfectus, nec in ſomno, quamvis ex cauſa culpabili ſit orta, *Billuart*; quia non videtur ita turpis. 4. Sepultura hæretici denuntiati, vel cujuſcunque nominatim excommunicati. *Cap. Conſul. apud Tourn.* vel non baptizati, *ibid.* niſi eſſet infans in utero matris, *Laym.*; quia eſt pars matris; bene autem, ſi fuerit ex utero ſectus, & rurſus in ea repoſitus, *Sylvius*; quia perinde eſt, ac ſi mater mortuum peperiſſet: corpus interdicti debet exhumari, non tamen polluit Eccleſiam, *Laym.*; nec hæretici non denuntiati, licet ſit publicus, *Tourn*. 5. Execratur Eccleſia, & amittit Conſecrationem ſine illius pollutione, ſi omnes parietes, vel major pars ſimul deſtruatur, *Cap. lign. de Conſecr.* vel omnis eorum cruſta, vel major pars, *Tourn.* quia in ea Conſecratio conſiſtit, & in ea cruces, ac Chriſmatis Unctiones fiunt; non vero ſi ſucceſſive reparentur, modo pars reparata ſemper ſit minor relicta, *Billuart citans Cap. lign. extra de Conſecr.*

nec

nec per deſtructionem tecti, vel aliorum lignorum, *Cap. lign. cit.* nec amittit Benedictionem deſtructis parietibus, *Caſp. & alii communiter*; quia Benedictio inhæret pavimento, & Conſecratio parietibus, nec amittit Altare fixum Conſecrationem deſtructis parietibus, nec Eccleſia deſtructis Altaribus, *Tourn.* bene autem polluta Eccleſia polluntnr Altaria fixa, & viciſſim, *Tourn.* quia pollutio afficit totum locum, cujus Altare pars eſt, non vero portatilla; quia loco non ſunt annexa; polluta Eccleſia etiam polluitnr Cœmeterium, ſed non viciſſim, *C. ſi Eccl.* nec polluto cœmeterio polluitur aliud pariete ſeparatum, *ibid.* nec deſtructa Eccleſia execratur cœmeterium: reconciliata Eccleſia reconciliatur ſimul cœmeterium ex pollutione Eccleſiæ pollutum, *Bill.*

Hinc 3. Extra Eccleſiam ſub dio, vel tentorio celebrare licet, I. *ex neceſſitate*, ſic celebrare licet extra Eccleſiam, 1. ſi Eccleſia fuerit diruta, vel combuſta *Cap. conced.* 2. In longa peregrinatione per loca infidelium, in quibus non reperiuntur Eccleſiæ, & peregrinantes diu, ut per menſem, vel Feſtis ſolemnioribus Miſſa carere deberent, *ibid.* 3. In caſtris pro exercitu, & in littore maris pro navigantibus, *Cap. 3. de Conſecr.* 4. In navi, ſi abſit periculum effuſionis Sanguinis, ut ſi mare ſit tranquillum, vel alius Sacerdos, aut Diaconus calicem teneat, *Bill.* ſaltem cum licentia Papæ. 5. In ſolemni Feſto, ut Dedicationis, Primitiis, &c. cum parva Eccleſia magnum populi concurſum capere nequeat, *P. Gerv.* 6. Quoties ex illius omiſſione cultus Dei notabiliter minueretur, *Baſſ.* petenda tamen licentia Epiſcopi, ſi haberi poſſit, *ibid.* II. *ex diſpenſatione Papæ, vel Epiſcopi*, in domibus nobilium, pro ægrotis, &c. quia licet quoad Epiſcopos Concilium Trid. videatur contrarium, intelligitur, tantum, ut non ſine rationabili cauſa permittant, *Sylvius, Nav. & alii*. III. *ex privilegio* poſſunt Epiſcopi itinerantes ubique, ſi Eccleſiam commode accedere nequeant, vel non itinerantes in loco decenti celebrare, vel facere ſibi celebrari, *Cap. ult. de Reliquiis in 6.* & Regulares mendicantes in ſuis Oratoriis, & aliis locis decentibus ſuorum Conventuum, *Rodriq. Peirm. Lez. & alii*; quia Concil. Trid. prohibet celebrare tantum in dominibus privatis extra Eccleſiam; Monaſteria autem non ſunt domus privatæ, & ſub nomine Eccleſiæ comprehenduntur, *Cap.*

Alb.

Abb. SS. hac autem diſt. 54. patetque ex uſu, nemine reclamante: privilegio autem celebrandi extra ſuos Conventus in omni loco honeſto videtur derogatum per Concilium Trid. *Seſſ.* 22. vel derogandum ab Epiſcopis; quia Concilium Trid. eos monet, ne patiantur in privatis domibus extra Eccleſiam, & ad divinum cultum dedicata, & ab ipſis deſignanda Oratoria a ſæcularibus, & Regularibus quibuſcunque Sacrificium peragi, non obſtantibus privilegiis, vel exemptionibus quibuſcunque; nec ipſis licet celebrare in Oratorio privato, licentia pro una tantum Miſſa conceſſa, niſi in caſibus a Jure communi in loco profano permiſſis, ut in neceſſitate pro Viatico, vel ſi Dominus, in cujus gratiam licentia fuit conceſſa, non adfuiſſet primæ Miſſæ, *Quintanadvennas apud P. Gerv.* nec in neceſſitate in cameris ſæcularium, ubi ipſi cum fœminis dormiunt, & conjunguntur, niſi eſſet urgentiſſima, *Baſſ.*

Quær. 8. *Quænam ad Miſſam celebrandam requiratur?*

Dico. Ad Miſſam celebrandam requiritur 1. neceſſario, & ſub mortali Altare lapideum non notabiliter fractum, illius magnitudinis, ut majorem partem Calicis, & Hoſtiam cum Patena contineat, fixum, vel portatile ab Epiſcopo, vel ex ſolius Papæ commiſſione ab alio Sacerdote conſecratum, coopertum tribus mappis, vel duabus, quarum una ſit duplicata, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem, benedictis; cum duobus cereis accenſis, Miſſali Canonem continente, & Miniſtro maſculo ſecluſa neceſſitate, *ita communis*. 2. Sub veniali Crux, etiam venerabili ſolemniter expoſita, *S. R. Congr. 16. Junii* 1703. ubi hoc Decretum uſu eſt receptum; duo candelabra, cereus pro Elevatione ex parte Epiſtolæ, antipendium, tabellæ ſecretarum, & campanula ad Sanctus, & Elevationem movenda, cuſſinus, ampullæ vitreæ, vel ex alia materia pro aqua, & vino, cum pelvicula, & manutergio mundo, *Rubr. & communis*. 3. Requiritur ſub mortali Calix cum Patena ex auro, vel argento, vel ſaltem, cogente paupertate, ex ſtanno ab Epiſcopo, vel alio privilegiato a Papa conſecratus, & corporale lineum, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem, benedictum; & ſub veniali palla ex parte, quæ tangit Calicem, linea, ſimiliter benedicta; velum Calicis, Burſa, non neceſſario benedicta, *P. Gerv. & alii communiter*; quia non ſunt

Digitized by Google

ſunt tanti momenti, ut Corporale, nec Purificatorium, *P. Gerv. communis contra Tourn. & Paul. Lugd.* quia rubrica de illius Benedictione nullam facit mentionem, & ipſi Auctores adverſæ ſententiæ fatentur, poſſe aliud linteum mundum loco illius adhiberi, nec Miſſam defectu illius eſſe omittendam, *Paul. Lugd.* quia non Corpus Chriſti immediate tangit, ut Corporale, ſed ſolum reliquias Sanguinis; & pro Palla poteſt adhiberi Corporale; quia eſt pars illius; nec debet conſecrari lunula Monſtrantiæ, ne Ciborium, ſed ſolum benedici ab habente poteſtatem benedicendi alia Paramenta; quia tangunt Euchariſtiam, ut Corporale. 4. Requiritur ſub mortali Humerale, ſeu Amictus, Alba, Planeta, Stola, & Manipulum, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem, benedicta, non notabiliter lacera, aut ſciſſa, *Rubr.* & ſub veniali Cingulum ſimiliter benedictum, *Gobat. & alii*; quia res levis ipſis videtur, & poteſt ipſius loco Stola adhiberi, *P. Gerv.* ac color correſpondens Feſto, ſaltem ſub nullo ex rationabili cauſa. 4. Requiritur ſub mortali Tonſura cum habitu clericali, *P. Gerv.* niſi gravis excuſet neceſſitas; quia ſevere præcipiuntur, *C. ſi quis de vit. & hon. cler.* & non ſit cooperto capite, præcipue ſub Canone; quia Zacharias Papa & Urbanus VIII. diſtricte id inhibuit, nec cum baculo Veſtibus ſacris indutus eat ad Altare, *C. nullus de Conſecr. diſt.* 1. 5. Requiritur ſub mortali, ut ſerventur reliquæ rubricæ præceptivæ, & directivæ non negligantur cum ſcandalo, vel contemptu, aut animo novum introducendi ritum, *P. Gerv.* quia hoc graviter a S. Pio V. & Concilio Trid. prohibetur.

Hinc 1. *Defectu Altaris*, graviter peccat 1. celebrans in Altari non conſecrato, vel notabiliter fracto, præcipue circa medium, ubi eſt ſepulchrum, vel fracto ſigillo ſepulchri, *Paul. Lugd. & alii*; vel omnibus cornibus, *P. Gerv.* quia in ipſis ſit unctio; vel ita fracto, ut majorem partem calicis, & Hoſtiam cum Patena non contineat, *P. Thom ex Charm.* 1. *& alii*; vel ſi fuerit fixum, ſeparata menſa a reliqua ſtructura, niſi ſeorſim fuerit conſecrata, vel tota ſtructura ſimul, menſa non ſeparata, in alium locum fuerit translata; quia in omnibus prædictis amittitur Conſecratio. 2. In Altari non cooperto tribus mappis, vel ſaltem duabus, quarum una eſt duplicata; vel non benedictis ab Epiſcopo, vel alio privilegiato a Pa-

pa, vel licentiam non benedicta, *Ruff. & alii*; quia non videtur hoc præceptum ita rigoroſum. 3. Sine duplici cereo ardenti, ſufficit tamen unus cereus in neceſſitate, vel in graviori ex ſevo, vel oleo, *P. Gerv. & alii*; & ſi Miſſa jam incepta fuiſſet extinctum, ante Conſecrationem, ſi aliud haberi nequeat, eſt recedendum ab Altari, nec pro Viatico celebrandum, *Lohn. & Ruff.* poſt Conſecrationem vero pergendum, *Ruff.* quia prævalet integritas Sacrificii; & ſi aliud haberi poteſt, eſt exſpectandum. 4. Sine Miſſali ſaltem Canonem continente, *P. Gerv. & alii*; quia ſine eo ſe exponit periculo graviter errandi; ſi tamen certo ſciret, ſe non erraturum, & propriam Miſſam in charta ſcriptam ante ſe haberet, in gravi neceſſitate ſine illo celebrare liceret, *Lohn. & alii* 5. Sine miniſtro maſculo, *Cap. in ſub. de cohob. Cler. & mul.* niſi eſſet in neceſſitate, *P. Gerv.* vel ne in die Feſto ipſe, & populus Miſſa careant, vel pro Viatico celebraret. *Beſſ.* etiam toleratur in quibuſdam locis ex conſuetudine, ut Moniales a longe, vel a Choro reſpondeant, Sacerdote ſibi ipſi vinum, & aquam miniſtrante; nec graviter peccat celebrans ſine cruce, & ſi haberi nequeat, nec venialiter, etiamſi ex devotione tantum celebraret, *Lohn. Ruff.* ſufficit etiam picta in icone Altaris, vel in tabella ſecretarum; *Merati*, *P. Gerv.* non tamen ſufficit crux parva ſuper Tabernaculo poſita, *S. Rit. Congregatio. 16. Junii* 1603.

Hinc 2. *Defectu Vaſorum ſacrorum*, graviter peccat celebrans in Calice notabiliter fracto, & refecto, vel de novo inaurato ſine nova Conſecratione; quia ſi ad uſum Sacrificii non amplius fuerit aptus, vel per novam inaurationem, juxta probabiliorem, amittit Conſecrationem, cum novam acquirat ſuperficiem: non vero per lotionem, nec ſi hæretici impie eo abuſi fuiſſent; decet tamen, ut ab Epiſcopo, vel ſimplici Sacerdote benedicatur, *Billuart*; nec amittit Conſecrationem per amiſſionem inaurationis; quia licet juxta rubricas cupa, ac ſuperior pars Patenæ debeat inaurari, non tamen jubet præceptive, decens autem eſt, ut rurſus inauretur, ac conſecretur, *Rit. Argent*; nec per parvam refectionem; quia adhuc remanet aptus ad uſum Sacrificii; nec peccant reficientes eum tangentes; bene autem laici venialiter, vel Clerici non Subdiaconi ſine juſta cauſa tangentes Calicem, Patenam, Corporale,

Pal-

Pallam, Purificatorium, Ciborium, & Lunulam, poſtquam uſui fuerint applicata; quia antea licet ea tangere, & Linteamina lota, non vero Calicem, vel Patenam poſt Conſecrationem, *Billuart*; quia ita docet uſus; niſi eſſent Clerici, vel laici mendicantium ex officio, vel juſſu Superiorum tangentes, *Tamb. Baſſ.* & ſi Corpus Chriſti actu contineant, tangentes mortaliter peccant; quia eſt res graviſſima, *Thom. ex Charm.*

Hinc 3. *Defectu Veſtimentorum ſacrorum*, graviter peccat 1. celebrans Veſtibus ſacris enormiter immundis, vel indecenter laceris, *Lohn. Ruff. & alii*; quia gravis eſt irreverentia; vel adhibens Albam, cujus manica fuit extracta, & iterum refecta ſine nova Benedictione; quia priorem amiſit, cum ad Sacrificium facta fuerit inepta; vel Superior munda, & integra procurare graviter negligens; inferiores poſſunt judicio Superiorum de inmunditia notabili, vel fractione acquieſcere; *Laym. Ruff.* detritæ non ad uſus profanos, ſed ad alios ſacros debent adhiberi, vel comburi, ex profanis tamen poſſunt fieri ſacræ, quia Benedictione purificantur. 2. Celebrans ſine Humerali, vel Alba, aut Planeta, Stola, vel Manipulo, niſi fieret ſine uno, aut altero ex minoribus, in gravi neceſſitate; *P. Gerv.* ut pro communicando moribundo, vel ad vitandum murmur populi, vel pro ſatisfaciendo præcepto, *Tamb. & alii*, ſine omnibus vero non licet celebrare, niſi ex metu mortis non in contemptum fidei incuſſo. Advertens in Miſſa, ſe non habere Stolam, vel Manipulum, ſi habeat multos obſervatores, pergat; ſi paucos, illum petat, *Gob.* venialiter tantum peccat ſine Stola extra Miſſam communicans, vel ſine Cingulo celebrans, vel iterum nexo, ſi neutra pars amplius fuerit ſufficiens cingendo Sacerdoti; quia amiſit Benedictionem; nec graviter peccat non ſervans colorem juxta Feſtum, ut celebrando in Paramentis albis in Feſto Martyris; & nullum, ſi fiat ex rationabili cauſa, ut in pauperibus Eccleſiis, vel in magno celebrantium concurſu deficientibus Paramentis, &c. *Billuart*; niſi notabilis inde oriretur deformitas, ut adhibendo nigrum in Feſto Paſchæ. Aurum æquivalet albo, rubro, & viridi, non vero violaceo, & nigro; *Merat, & alii*; ſi Paramentum plures habeat colores, & nullus prævaleat, pro nullo valet, *Merat*; quia nec album, nec rubrum, &c. dici poteſt; niſi neceſſitas,

vel uſus aliter ſuadeat; ſi unus prævaleat, pro illo tantum valet, ſecluſa neceſſitate, *Mer. cit. Turri.* in alienis Eccleſiis debet adhiberi color illus, in diebus, in quibus in iis Votivæ prohibentur, licet aliud Feſtum recitaverit, *S. R. Congr.* 11. *Junii.* 1701. 3. Graviter peccat celebrans ſine Tonſura, & habitu clericali, vel cum baculo; poteſt tamen cum baculo ſine Paramentis ſacris accedere ad Altare, & in cornu Evangelii ſe induere, ſi reliqua ſine baculo poſſit peragere, *Gloſſ. & Baſſ.* 4. Celebrans tecto capite, etiamſi ſit infirmus, ſine diſpenſatione Papæ, vel Epiſcopi, vel proprii Prælati Regularis, ſi difficilis ſit ad Papam recurſus. *P. Gerv. Tamb.* 5. Nudis pedibus, peccat ſaltem venialiter, niſi eſſet Ordinis diſcalceati, *Paul. Lugd.* ex decentia tamen etiam ab iſtis adhibendæ ſunt crepidæ, *Lolm.*

Hinc 4. *Circa rubricas* graviter peccat 1. ſcienter, vel negligentia graviter culpabili contra rubricam præceptivam, vel Decretum S. R. Congr. in forma rigoroſa Decreti promulgatum, vel declarationem rubricæ præceptivæ agens, vel quæ partem notabilem efficiunt, tales ſunt rubricæ, 1. de jejunio naturali, de materia, forma, intentione Miniſtri, ſtatu gratiæ, reverentia Sacramenti, de loco, hora, ara, lumine, miniſtro maſculo, de munditia, integritate, benedictione, ac numero veſtimentorum ſacerdotalium, de Calice, Patena, Corporali, Miſſali, Canone ſecreto dicendo, de Concordia Miſſæ conventualis cum Officio in Eccleſiis Collegiatis, non vero in Regularium, *hactenus Lolin*, *Gav.* 2. In ipſo actu celebrationis, præter verba Conſecrationis, gravia ſunt, confeſſio ante gradum Altaris cum precibus annexis, Epiſtola, Evangelium, Hoſtiæ, & Calicis oblationes, Præfatio, Oratio dominica, Oratio *Libera nos* in Canone, verba quæ dicuntur in fractione, & mixtione Hoſtiæ cum Sanguine, trina *Agnus Dei* repetitio, *Domine non ſum dignus*, *Ruff.* item mixtio aquæ cum vino, elevatio Hoſtiæ, & Calicis poſt Conſecrationem, fractio Hoſtiæ, ac mixtio cum Sanguine, fragmentorum collectio, Patenæ, & Calicis purificatio, Calicis poſt Hoſtiam Conſecratio, & illius ſumptio, *Ruff.* notabilis pars Canonis, ut aliqua illius Oratio, vel integra periodus, vel notabilis illius diſtractio voluntaria; non vero extra Canonem, *Paul. Lugd.* quia prædicta communiter a Theologis gravia judicantur. 3.

Per

Per accidens partes leves fiunt materia gravis, cum eas quis omittit, negligit, vel immutat cum ſcandalo aſtantium, vel ex contemptu, aut habituali indevotione, & negligentia; quia tunc adeſt contemptus, ſaltem interpretativus; vel cum intentione novum ritum introducendi, ut faciunt illi novatores, qui ſecreto dicenda, alta voce proferre affectant, vel in tanta quantitate omittentes, vel male facientes, v. g. faciendo inclinationes, & genuflexiones tantum ſimulatas, vel loco crucis confuſas manum circulationes, &c. ut omnia in eadem Miſſa ſimul ſumpta prudentum judicio novum ritum, vel notabilem materiam efficiant, *Ruff.* vel eas faciens ita celeriter præcipue ex conſuetudine, ut quis vix in celebratione Miſſæ, quadrantem horæ impendat, vix a mortali excuſari poteſt; quia ob ſcandalum aſtantium, irreverentiam tanto Sacramento illatam, & contemptum Sacrificii ſic quaſi perfunctorie celebrati, videtur res gravis. *Paul. Lugd.* & pro aliorum devotione celebrans ultra tres quadrantes eam ſine ratione extendens, vix excuſatur a veniali, *ibid.* quia tædium, murmurationem, ac indevotionem aſtantibus ingerent, illorum peccati fit particeps, econtra vero materia levis ſunt preces ante Miſſam, vel ſe veſtiendo recitari ſolitæ, *Gloria in excelſis*, *Credo*, *Evangelium S. Joannis* in fine, una, aut altera Collecta, vel quæ certo tempore, ut Paſchali, Pentecoſtes, &c. ſolent ſuperaddi in Præfatione, *communicantes*, vel *hanc igitur*, vel quæ ſolent omitti in Miſſis defunctorum; unum, aut aliud verbum in Canone, ut Papæ, Epiſcopi, vel alicujus Sancti, vel *enim* in forma Calicis, nonnullæ oculorum elevationes, inclinationes, genuflexiones, peccatoris tunſiones, populi ſalutationes, vel mutatio unius, aut alterius Collectæ, Epiſtolæ, Evangeli, Gradualis, &c. vel dicendo unam Miſſam pro alia, ut votivam in Dominica, vel duplici, vel Octavis prohibitis, aut Feriis, ſecluſo in omnibus prædictis ſcandalo, contemptu, vel animo, novum introducendi ritum, *P. Gerv. Paul. Lugd. & alii*. 4. Qui omiſerit *Gloria in excelſis*, *Credo*, Collectam, vel aliam Epiſtolam, aut Evangelium dixerit, vel aliud omiſerit, non ſunt reſumenda immutando ordinem Sacrificii, *S. Thom.* niſi ſint de ſubſtantia Sacrificii, vel ad ſequentes cæremonias neceſſaria, ut fractio Hoſtiæ, *P. Gerv. Paul. Lugd.* ſic dicto *Dominus vobiſcum*, non amplius dicendum

Digitized by Google

Gloria in excelſis, vel *Credo*; quia inverteretur ordo; ſi quis non recordetur, an aliquid dixerit, non propterea præciſe repetendum; ſi probabiliter dubitet, & ſit de eſſentia Conſecrationis, reſumendum a forma Conſecrationis, ſi non ſit de eſſentia, non repetendum, *Ruſſ. & alii*; nec ſi recordetur abſoluta Miſſa, ſe non conſecraſſe, *Paul. Lugd.* quia eſſet actio diſtincta. Infirmus, ſi partem notabilem, vel partium minorum notabilem quantitatem omittere deberet, non poteſt celebrare, *Ruſſ.* ſi ſolum genuflectere nequeat, celebrare poteſt, ſecluſo ſcandalo, quod in ſacello privato facile evitatur, *Ruſſ.*

Quær. 9. *An Miſſam aliquando interrumpere liceat?*

Dico. Miſſam ſine gravi cauſa interrumpere nunquam licet; quia eſt una totalis actio, quam interrumpere prohibetur in Jure *Cap. nullus Epiſc. de Conſecr. D.* 1. *& c.* 7. *Q.* 1. majorque requiritur ratio pro interruptione poſt Conſecrationem, quam ante Conſecrationem; & adhuc major, ſi poſtea non eſſet continuanda: cauſæ autem legitimæ interrumpendi Miſſam ſunt 1. praxis Eccleſiæ. 2. Impotentia moralis, ſeu neceſſitas propria, vel aliena corporalis, vel ſpiritualis. 3. Impotentia phyſica.

Hinc 1. Graviter peccat ſine juſta cauſa Miſſam notabiliter interrumpens, puta per horam, vel forte etiam per ſemi-horam, *Bill.* præcipue ſi fiat cum ſcandalo, murmuratione aſtantium, &c. quamvis fieret ante Conſecrationem, vel animo eam poſtea continuandi, *ibid.* quia in re gravi agit contra praxim Eccleſiæ; & venialiter, ſi brevior ſit interruptio, ſecluſo ſcandalo, *ibid.* quia minori ſit deformitate.

Hinc 2. Miſſam interrumpere licet. 1. ante Conſecrationem ob concionem poſt Evangelium, vel ob promulgationem Edictorum, Sponſalium &c. ob ſolemnitatem Profeſſionis Religioſæ, vel ob Ordines, etiam poſt Conſecrationem ob neceſſitatem propriam, ut ventris, morbi, &c. vel alienam, ut propter baptizandum infantem periclitantem, vel infirmum morti proximum abſolvendum, vel adminiſtrandum, alias ſine his Sacramentis probabiliter morituros; quia neceſſitas propria, vel proximi ita exigit. 3. Ante, vel poſt Conſecrationem, etiamſi Miſſa poſtea non eſſet perficienda, abſoluta tamen ſumptione, ſi fieri poſſit, ſi Sacerdos ſubito infirmetur, vel ob periculum mortis imminentis, quod aliter vitari nequit, puta

ob

Digitized by Google

ob incendium, vel ſubitaneam Eccleſiæ ruinam, vel incurſum ſicariorum; quia eſt impotentia phyſica, etiamſi enim Sacerdos maneret, Sacrificium pariter maneret imperfectum; niſi mors inſtaret in odium fidei, *Bill.* quia tunc videtur Sacrificium complendum, & pro cavenda Sacramenti irreverentia ſumptio ſaltem facienda. 4. Ante Conſecrationem Miſſam interrumpere, & etiam non perficere licet, dum Sacerdos recordatur, ſe eſſe in mortali, vel non eſſe jejunum, vel aliqua cenſura eſſe ligatum, ſi poſſit ab Altari recedere ſine ſcandalo, vel nota infamiæ; quæ ordinarie contingere ſolent, ſi celebret publice, & tunc pœniteat, & proſequatur; vel ſi excommunicatus expelli nequeat Canone nondum incepto, vel poſt ſumptionem, Canone jam incepto, reliqua in Sacriſtia abſolvendo, *vide Tr. de Cenſ. Q. 2. quær. 4. Hinc 3.*

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

DE PŒNITENTIA.

Hic Tractatus dividitur in ſeptem quæſtiones; 1. de eſſentia & exiſtentia, materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, 2. de Contritione, 3. de Confeſſione, 4. de Satisfactione; 5. de Miniſtro, 6. de effectibus Pœnitentiæ, 7. de Satisfactione per Purgatorium, Suffragia, & indulgentias.

QUÆSTIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. Quid ſit Pœnitentia, ut Virtus, & ut Sacramentum?

Reſp. PŒnitentia poteſt conſiderari, ut virtus, vel ut Sacramentum; ut virtus definitur: habitus ſupernaturalis, quo homo movetur ad odium, & deteſtationem peccati commiſſi, quatenus eſt offenſa Dei, & injuria, cum propoſito non peccandi de cætero, Juſtitiæque divinæ ſatisfaciendi; unde illius actus ſunt, 1. vitæ prioris mutatio. 2. Odium, deteſtatio, ac dolor peccati. 3. Propoſitum vitæ melioris. 4. Vitæ prioris vindicta ſatisfaciendo Juſtitiæ divinæ. Ut Sacramentum vero definitur: Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad peccata poſt Baptiſmum

mum commiſſa remittenda per actus pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis.

Quær. 2. *An detur virtus Pœnitentiæ, & quanam ſit illius neceſſitas?*

Dico. Datur Pœnitentia, quæ ſpecialis, & ab aliis diſtincta eſt virtus; quia habet objectum formale diſtinctum, nempe Juris divini læſi reparationem; & quovis tempore mortali peccato inquinatis fuit neceſſaria neceſſitate medii; quia via ordinaria ſine Pœnitentia, vel formali, ſi de peccato cogitet, vel ſaltem virtuali in charitate perfecta inclusa, ſi de peccato non cogitet, non fit illius remiſſio; & neceſſitate præcepti obligantis per ſe in probabili mortis periculo, & ſæpe in vita; charitate erga nos obligamur ſalutis noſtræ eſſe ſollicitos; & de facto ex præcepto Eccleſiæ ſingulis annis; quia virtus pœnitentiæ eſt diſpoſitio, & quaſi materia Sacramenti Pænitentiæ ſingulis annis præcepti.

Quær. 3. *An etiam detur Sacramentum Pœnitentiæ, & quanam ſit illius neceſſitas, & effectus?*

Dico. Datur quoque verum, ac ſpeciale Pœnitentiæ Sacramentum a Baptiſmo, ac Baptiſmi memoria diſtinctum; qnia ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 1. *ac Can.* 2. & graviter lapſis poſt Baptiſmum abſolute neceſſarium in re, vel in voto; quia ita declarat idem Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 2. in quo abſolutio ſacramentalis peccata vere, ac proprie dimittit, & non tantum declarat remiſſa: quia abſolutio, & verba Chriſti veram remiſſionem, & non ſolum veniæ declarationem indicant, ut definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 9. Nullumque eſt in hac vita crimen vere pœnitenti irremiſſibile; quia Chriſtus nullam facit exceptionem.

Quær. 4. *Quanam ſit materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa; ſive ea ſint mortalia, nondum confeſſa, quæ ſunt materia neceſſaria; quia neceſſario in confeſſione manifeſtari debent; ſive venialia, & mortalia jam abſoluta, quæ ſunt materia libera, & ſufficiens; quia non neceſſario in confeſſione ſunt declaranda, ſufficiunt tamen pro ſacramentali abſolutione. Materia proxima ſunt actus pœnitentis; videlicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio; quia ita indicare videtur Concilium Flor.

Flor. ac Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 4. & forma ſunt verba abſolutionis; ſuntque partes illius eſſentiales, excepta ſatisfactione, quæ licet in voto ſit eſſentialis, actualis tamen eſt tantum pars integrans; quia ſine illa haberi poteſt Sacramentum.

Hinc: peccatum originale non eſt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, nec imperfectiones, quæ ſunt contra conſilium, ut non obtemperare fideliter divinis inſpirationibus, nonnullas mortificationes ad perfectionem conducentes negligere, afferre ſufficientem exiguam tamen præparationem ad Sacramenta, commoditates in victu, & veſtitu optare, incurium eſſe in ſuis rebus; niſi in certis circumſtantiis ſimul ſint venialia, unde pro majori ſecuritate aliud certum addendum eſt peccatum pro materia abſolutionis.

Quær. 5. *Quibuſnam verbis forma Sacramenti pœnitentiæ exprimatur?*

Dico. Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter debet exprimi verbis humana voce prolatis, quia ita declarat Concilium Flor. & Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 3. & ex inſtitutione Chriſti eſſentialiter debet eſſe indicativa, nec ſufficit deprecatoria, vel ſolum declaratoria; quia eſt inſtar actus judicialis; ut ait Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 6. nec valet conditionata de futuro; quia illius effectus non poteſt ſuſpendi; & quamvis conditionata de præſenti ſit valida, non tamen eſt licita ſine rationabili cauſa, qualis eſt ſi Miniſter dubitet, 1. an abſolverit. 2. An materia allata ſit ſufficiens. 3. An pœnitens habeat uſum rationis, *P. Gerv.* forma de neceſſitate gravis præcepti conſtat his verbis: *abſolvo te a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* quia ita habet uſus Eccleſiæ vim Legis habens, & ſub veniali: *Amen*; de neceſſitate vero Sacramenti ſolum conſiſtit in his verbis: *Abſolvo te*; quia ſufficienter exprimunt Miniſtrum, ſubjectum, ac effectum, quem producunt; verba tamen antecedentia, & ſubſequentia in Rituali Romano Pauli V. præſcripta, quamvis ſine omni peccato poſſent omitti; quia Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 3. tantum ait, illa verba laudabiliter adjungi, ſine cauſa tamen non ſunt intermittenda, *P. Gerv.*

Hinc 1. Juxta Rituale Romanum, impoſita Pœnitentia, Sacerdos manibus junctis ait: *Miſereatur tui, &c.* deinde manu dextra verſus pœnitentem elevata, & ſiniſtra pectus tan-

tangens dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, &c.* deinde *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate illius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis* (*ſuſpenſionis*, ſi ſit Clericus) *& interdicti in quantum poſſum, & tu indiges; deinde ego te abſolvo a peccatis tuis* (formando Crucem) *in nomine ✠ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, amen: ita Rituale Rom. Paul. V.* urgente neceſſitate, ut in articulo mortis, ſufficit: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis in nomine Patris, &c. ibid.* quando pœnitens vero accedit ad confeſſionem, dicit Confeſſarius: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut bene & integre confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Rit. Argent.*

Hinc 2. Invalide abſolvit dans abſolutionem ſola mente, verba eſſentialia abſolutionis cogitando; vel abſenti per ſcripturam, vel internuncium, *Clem. VII. in damnatione propoſitionis contrariæ;* vel adhibens verba non idem ſignificantia, vel ſolum declaratoria, ut, *declaro te abſolutum;* vel obſecratoria, ut: *obſecro, ut Deus remittat peccata tua:* vel *miſereatur tui omnipotens Deus, &c.* vel *indulgentiam, & abſolutionem, &c.* abſolutio tamen ab excommunicatione poteſt dari quibuslibet verbis, imo nutibus, ſignis; ſcriptura; quia aliquando datur per modum conceſſionis, *Thom. ex Charm.* 2. Graviter peccat adhibens alia verba, quamvis idem ſignificantia, ut: *remitto tibi peccata tua;* vel *impendo tibi Sacramentum pœnitentiæ, jubeo te abſolvi, abſolvaris a peccatis tuis, Hugo, & alii.* 3. Omittens verba *a peccatis tuis, &c.* ſolum vero venialiter peccat omittens *Amen*, vel tuis, *P. Gerv.* vel in lingua latina, *ego;* *quia abſolvo* perſonam ſatis clare indicat. 4. Graviter peccat non prius dicens: *te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis*, ſi vere ſit excommunicatus. 5. Nec venialiter peccat omittens verba antecedentia, & ſubſequentia abſolutionem in neceſſitate, quando eſt concurſus populi, vel periculum mortis, vel alia cauſa rationabilis accelerandi; vel dicens: *Paſſio Domini noſtri Jeſu, &c.* exeunte jam pœnitente ex Confeſſionali, etiam ſine neceſſitate, *P. Gerv.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE CONTRITIONE.

Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Contritio, Timor, & Amor?*

Reſp. 1. Contritio generice ſumpta eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato, ut eſt offenſa Dei, cum propoſito non peccandi de cætero, cum voto confitendi, & ſatisfaciendi; & duplex eſt, perfecta, & imperfecta. Contritio perfecta eſt animi dolor, & deteſtatio ſuper omne deteſtabile, de peccato commiſſo, ut eſt offenſa Dei ſumme, & propter ſe dilecti, cum propoſito non peccandi de cætero. Contritio vero imperfecta, ſeu attritio eſt dolor de peccato per motiva ſupernaturalia inferiora dilectione Dei perfecta, ut ex metu gehennæ, & pœnarum etiam temporalium, ſed ut a Deo infligendarum, quia ut ſic ſimul dolet de peccato, ut eſt offenſa Dei, a quo punitur; vel ex turpitudine peccati, quatenus eſt offenſa Dei, cum amore aliquo initiali in utroque caſu, non quidem perfectæ charitatis, ſed ſpei, quo quis Deum tanquam fontem totius juſtitiæ diligere incipit.

2. Timor alius eſt mundanus, qui eſt fuga mali temporalis per peccatum; alius ſervilis, qui eſt fuga peccati, ut pœnæ a Deo infligendæ, cauſativi, & eſt duplex; nempe ſimpliciter ſervilis, & ſerviliter ſervilis, ſive cum ſervilitate. Timor ſimpliciter ſervilis eſt fuga peccati, ut pœnæ per fidem apprehenſæ cauſativi, ſine affectu illud committendi, ſi pœna abeſſet. Timor ſerviliter ſervilis, eſt fuga peccati, ut pœnæ cauſativi, cum affectu illud committendi, ſi pœna abeſſet. Timor alius eſt initialis, quo quis initio converſionis fugit peccatum, quatenus eſt offenſa Dei, & pœnæ inductivum. Alius filialis, quo quis fugit peccatum, quatenus eſt offenſa Dei propter ſe ſuper omnia dilecti.

3. Amor alius eſt affectivus, & inefficax, qui ſiſtit in ſolo affectu inefficaci, & complacentia de ſumma Dei bonitate. Alius effectivus, & efficax, ſeu obedientialis, qui ſimul includit voluntatem efficacem adimplendi Dei volun-

luntatem, & omnia ipſius mandata. Alius eſt amor concupiſcentiæ, ſeu ſpei, quo Deus ſuper omnia diligitur, ut nobis bonus, beatitudo, ac finis noſter ultimus. Alius amicitiæ, ſeu perfectæ charitatis, quo Deus ſuper omnia diligitur propter ſe, prout in ſe ſumme bonus eſt; & hic adhuc a quibuſdam dividitur in amorem ſimplicis benevolentiæ, quo Deus amatur, ut eſt in ſe bonus, nondum ut amicus, & ut nos redamans; & benevolentiæ amicabilis, quo Deus amatur, ut in ſe ſumme bonus, amicus, & nos mutuo redamans, & ſe communicans per gratiam, & gloriam jure in hac vita, & re in altera. Alius eſt intenſive ſummus, quo Deus ſumma ac ferventiſſima inclinationis tendentia amatur. Alius appretiative ſummus, quo Deus ſuper omnia amatur, aut facta comparatione, omnibus præfertur.

Quær. 2. Quot conditiones Contritio habere debeat?

Dico. Contritio in genere, ut ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ ſufficiens, ſeptem habere debet conditiones; videlicet 1. debet eſſe vera, ac realis, & non ſolum putativa; quia alias non vere immutat peccatorem. 2. Formalis, & expreſſa, nec ſufficit virtualis in actu charitatis incluſus; quia eſt pars Sacramenti eſſentialis, quæ debet adeſſe formaliter explicite. 3. Debet eſſe interna, & ſpiritualis; nec ſufficit mere ſenſibilis; quia debet eſſe in voluntate. 4. Supernaturalis, tam ratione auxilii gratiæ: quia debet eſſe impulſus Spiritus Sancti, *Conc. Trid. Seſſ. 14. cap. 4.* quam motivi; ut gehennæ, vel perfectæ charitatis per fidem propoſiti, ac proinde exper omnis culpæ etiam venialis, actum intrinſece ratione finis, vel motivi afficientis; quia actus ſic venialiter intrinſece affectus non poteſt eſſe impulſus Spiritus Sancti, nec a gratia productus, 5. Univerſalis ad omnia mortalia nondum remiſſa generatim, ſaltem ratione motivi generalis, ſe extendens; quia unum ſine alio non poteſt remitti. 6. Summa appretiative; ſaltem ratione motivi, ut vi illius potius mallet omnia mala ſubiiſſe, & omnia bona amiſiſſe, amicitia Dei recepta, quam peccaſſe: non tamen neceſſario intenſive ſumma, vel ſenſibilis; quia appretiative ſumma ſufficienter reſtituit rationem finis ultimi. 7. Propoſitum univerſale, ſaltem quoad omnia mortalia: efficax, & abſolutum non peccandi de cætero, & quidem explicitum, *Tourn. & alii*; eſtque ſecurius; quia Concilium Florentinum, ac Tri-

Tridentinum, præter dolorem, propoſitum expreſſe requirunt. Ut autem ſit Contritio perfecta, inſuper requiritur 1. amor Dei ſuper omnia, efficax; ſaltem virtualis in charitatis perfectæ motivo incluſus; quod eſt bonitas Dei, *Lug. Suar. & alii*. 2. Ut ſit expers omnis culpæ, etiam venialia, actum etiam duntaxat concomitantis, *Suar. Tanner, Gobat., ac alii apud P. Gerv.* quia actus, etiam ſolum peccato veniali concomitatus non procedit a charitate Dei perfecta; eo enim tempore, quo quis Deum leviter offendit, non perfecte eum amat, ac proinde etiamſi actus peccato veniali concomitanter duntaxat conjunctus poſſit eſſe bonus, non tamen eſt ex amore Dei perfecto. *Vide Tract. de Act. hum. Quæſt. 4. quær.* 8. Indicia autem veræ Contritionis ſunt 1. fuga occaſionis peccati. 2. Frequens de Deo cogitatio. 3. Ardens inquirendi, ac inveniendi Deum, deſiderium. 4. Studium bonorum operum. 5. Vindicta peccati. 6. Conſtantia in obſervatione mandatorum Dei.

Hinc: non valide abſolvitur 1. habens dolorem fictum, licet invincibiliter verum credat; quia licet de novo peccet, non tamen juſtificatur. 2. Habens ſolum charitatis actum ſine dolore explicito; quia deficit pars eſſentialis Sacramenti, licet extra Sacramentum juſtificet. 3. Lacrymis ſolum, ac fletu veniam petens ſine interna voluntatis deteſtatione peccati; quia eſt mere ſenſibilis, ac dolor externus. 4. Dolens tantum ob moralem, vel civilem peccati turpitudinem, vel ob infamiam, quæ, v. g. ex furto, adulterio, &c. oritur; vel quia eſt contra rationem, vel illativum mali temporalis ſine relatione ad Deum; vel parentum offenſivum, ac eorum pœnam inductivum: vel ex naturali ſolum, vel temperamenti inclinatione; quia dolor non eſt ſupernaturalis. 5. Dolens ſolum ex motivo turpitudinis alicujus peccati particularis, v. g. fornicationis, cum alia adhuc confiteatur peccata mortalia; quia non eſt univerſalis. 6. Si magis timeat homines, vel amittere bona temporalia, ac vitam, quam offendere Deum; quia non eſt ſummus, & ſuper omnia. 7. Si velit abſtinere a peccatis, non tamen reſtituere, vel condonare inimico, vel vitare occaſionem proximam; quia propoſitum non eſt univerſale, vel efficax; vel eliciens dolorem, non tamen cogitans de propoſito; quia propoſitum non eſt explicitum; ac proinde in

omni-

omnibus prædictis caſibus confeſſio eſt reiteranda. 8. Non tamen requiritur, ut dolor ſit ſenſibilis, nec illius certa temporis menſura; quia poteſt peccator in inſtanti a Deo converti; longius tamen tempus a peccatoribus inveteratis, & graviſſimis peccatis deditis eſt adhibendum; nec certus intenſionis gradus; nec formalis, & explicita ad omnia mala comparatio; ſed ſufficit virtualis, dolendo de Deo ſummo bono, dilecto, & per peccatum offenſo; nec debet eſſe ſingularis de ſingulis peccatis in particulari, nec examen, vel explicita, ac diſtincta peccatorum in particulari cogitatio, niſi per accidens ratione reſtitutionis, confeſſionis, vel mediorum; nec debet neceſſario ante confeſſionem elici; quamvis conſultius ſit, ſed ſufficit ante abſolutionem elicitus; quia confeſſio adhuc moraliter durat, & fit doloroſa per dolorem ſubſequentem; nec debet immediate ante confeſſionem elici, modo non ſit revocatus formaliter, vel virtualiter per novum peccatum, vel nimis diſtet a confeſſione; quia partes debent moraliter in ſe, vel ſua virtute durare, & uniri, ut unum ſimul morale efficiant judicium, quod fit, ſi domi doleat, & eat ad Eccleſiam, vel ante quatuor horas, vel etiam veſpere, ſi mane confiteatur, *Baſſ. Tamb. Lugo*; etiamſi dolor actu non referatur ad confeſſionem, & ſine intentione confeſſionis fuerit elicitus, *Tamb. Lug. & communior apud Gerv.* quia virtualiter ad illam refertur per propoſitum in dolore incluſum ſervandi mandata Dei, ac proinde confitendi, vel poſtea refertur; debet enim aliquo modo uniri comparti; nec debet neceſſario renovari, ſi immediate poſt abſolutionem confiteatur peccatum antea oblitum; quia prior adhuc moraliter perſeverat, *Lugo*, *cum communiori apud P. Gerv.* ſed in praxi tene ſecurius, & paulo ante confeſſionem, & pro qualibet abſolutione renova dolorem; quia novum fit Sacramentum, & in re tanti momenti, quod ſecurius, eſt præferendum; nec debet eſſe univerſalis, quoad omnia venialia pro valore Sacramenti, bene autem pro omnium remiſſione vi Sacramenti; nec requiritur, ut pœnitens credat, ſe non amplius mortaliter peccaturum, *Nav.* ſed ſufficit, ſi ita ſit affectus, ut nolit, & proponat, cum gratia Dei non amplius peccare.

Quær. 3. *Quomodo Contritio ſit neceſſaria?*

Dico. Contritio generatim ſumpta quovis tempore fuit ne-

neceſſaria, peccatori neceſſitate medii ad impetrandam peccatorum mortalium veniam, ut indicat Scriptura; & Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. nec per ſe ſufficit ſola virtualis in charitate Dei perfecta incluſa, *Thom. ex Charm.* quia Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 4. requirit contra Lutherum ad juſtificationem impii, præter novæ vitæ propoſitum, veteris etiam odium, nec ſine eo videtur poſſe ſubſiſtere perfecta charitas, dum cogitatur de peccato: poteſt tamen virtualis, ac implicita ſufficere per accidens extra Sacramentum non cogitanti de peccato naturali oblivione, vel nimia intentione ad actum charitatis, vel martyrii, *P. Gerv. & alii*; quia ſine explicita in non cogitante de peccato poteſt perfecta eſſe charitas; requiritur etiam ſaltem virtualis dolor extra Sacramentum neceſſitate medii ad remiſſionem venialium, *S. Thom*, vel ſaltem virtualis peccatorum commiſſorum diſplicentia in actibus aliarum virtutum incluſa, quibus homo ita in Deum, vel res divinas fertur, ut venialia diſplicerent, ſi in memoriam venirent, *S. Thom.* Contritio quoque perfecta, vel imperfecta cum confeſſione eſt neceſſaria neceſſitate Præcepti divini, & Eccleſiaſtici homini graviter lapſo; quia variis in Scripturæ locis Pœnitentia præcipitur, quæ ſufficienter pro remiſſione non fit ſine contritione perfecta extra, & ſaltem imperfecta cum Sacramento, quod obligat per ſe in probabili vitæ, vel perpetuæ amentiæ periculo, & ſæpe in vita; quia charitate erga nos, & Deo volente obligamur, eſſe ſalutis noſtræ ſollicitos, & ab Eccleſia præcipitur annua confeſſio, cujus contritio, vel attritio pars eſt eſſentialis; per accidens vero obligat, 1. ratione alterius præcepti obligantis ad ſtatum gratiæ; ut pro Sacramentis vivorum ſuſcipiendis, vel adminiſtrandis. 2. Quando judicatur neceſſaria ad gravem tentationem ſuperandam, vel ad grave malum a Republica avertendum: non tenetur tamen peccator ſtatim poſt mortale, vel quamprimum commode poteſt, conteri, *S. Thom. & alii*; quia præceptum Pœnitentiæ eſt affirmativum, quod non ſtatim, & pro ſemper obligat; nec ſpeciale impœnitentiæ peccatum committitur, niſi quando per ſe directe obligat, *P. Gerv. & com. ibid.* quia tunc ſpecialiter cenſetur impœnitens.

Hinc 1. Non juſtificatur impius ſolum eliciens charitatis actum, nullum prioris vitæ habens odium, Concilium

lium Trid. *Seſſ.* 12. *cap.* 4. quia licet charitas operiat multitudinem peccatorum, non videtur tamen eſſe perfecta, niſi accedente peccatorum diſplicentia, vel retractione, ſi illorum recordetur; ſecus, ſi nullius ſit memor, vel ſolum venialia habeat; quia tunc ſufficit virtualis in charitate perfecta incluſa, *S. Thom.* 2. Non ſpeciale impœnitentiæ peccatum, præter ſacrilegium, committit Sacramenta in mortali ſine Pœnitentia ſuſcipiens, vel adminiſtrans; nec in tentatione defectu contritionis ſuccumbens aliud impœtentiæ, præter id, in quod vi tentationis labitur; nec pro avertendis populi calamitatibus ſe non reconcilians, aliud committit, præter id, in quo labitur conra charitatem, aut juſtitiam legalem, non promovendo bonum commune; quia per ſe non directe, ſed ſolum per accidens in prædictis obligat præceptum Pœnitentiæ. 3. Bene autem peccat peccato impœnitentiæ ſpeciali poſt mortale non conterens in probabili vitæ, vel inſaniæ perpetuæ periculo; vel nunquam pœnitere volens; vel contritionem nimis, & ultra annum differens, *Laym.*, *P. Gerv. & alii*; quia in his præceptum Pœnitentiæ per ſe obligat, & cenſetur habere cor impœnitens, quod ſibi iram Dei theſaurizat, *Rom.* 2. nec minus, quam præceptum charitatis urget: non tamen peccat peccato impœnitentiæ ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis, vel quoties, ac quamprimum peccatum memoriæ occurrit, non conterens; quamvis omnibus tanquam ſalutare conſilium frequens ſuadenda ſit contritio.

Quær. 4. *In quo conſiſtat Contritio perfecta, & quomodo peccatorem juſtificet?*

Dico. Contritio perfecta eſſentialiter conſtituitur, & diſtinguitur ab imperfecta, ſeu attritione per proprium motivum amoris Dei ſuper omnia propter ſe dilecti, & non per certum intenſionis gradum, & in quocunque gradu intenſionis, cum voto Sacramenti ſaltem implicite in contritione perfecta incluſo juſtificat extra Sacramentum, non tantum in caſu neceſſitatis, ſed ſemper, & ordinarie; quia quilibet perfectæ charitatis gradus, eſt perfecta charitas, ac proinde juſtificat cum contritione, & voto Sacramenti, ut S. Scriptura, SS. Patres, & Concilium Trid. expreſſe docent, nullam de certo intenſionis gradu faciendo mentionem; nec poſſet dici, in quo gradu requiratur, ſemperque deberemus eſſe anxii.

Digitized by Google

Quær. 5. *An Contritio imperfecta, ſeu Attritio ſit bona, laudabilis, ac ſufficiens ad Sacramentum diſpoſitio?*

Dico. Attritio concepta ex timore ſimpliciter ſervili eſt bona, ac laudabilis; quia illius motivum, nempe metus gehennæ per fidem cognitæ eſt bonum, & laudabile, prout S. Scriptura, & SS. Patres indicant, nos illo deterrendo a peccatis, & Concilium Trid. expreſſe definivit *Seſſ.* 6. *can.* 8. eſtque ſupernaturalis, & voluntatem peccandi excludens, ac proinde ſufficiens pro Sacramento diſpoſitio, quia juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 7. eſt impulſus Spiritus Sancti, & viam parat ad juſtitiam in Sacramento: ut tamen ſufficiat cum Sacramento, & diſponat ad juſtitiam in eo recipiendam, requiritur aliquis amor initialis, nempe ſpei; quia juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 6. Ad juſtificationem requiritur, ut pœnitens Deum juſtitiæ fontem diligere incipiat, quod fit per amorem ſpei; quia ut juſtitiæ fons eſt nobis bonus, & objectum amoris ſpei, & ſi requireretur perfecta charitas, ſuperfluum eſſet Sacramentum; quia nunquam primam conferret gratiam.

QUÆSTIO III.

DE CONFESSIONE.

Quæritur. 1. *Quid ſit Confeſſio, & quot illius conditiones?*

Reſp. 1. Confeſio definitur: ſacramentalis accuſatio peccatorum ſuorum poſt Baptiſmum commiſſorum facta Sacerdoti ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.

2. Sexdecim vulgo a Theologis aſſignantur conditiones, vel ad validitatem, vel perfectionem Confeſſionis requiſitæ, his verſibus contentæ.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis.
Nec non nuda, frequens, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, & lacrimabilis. accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Inter has conditiones integritas, & ſecretum, ſeu ſigillum potiſſimum ſunt conſideranda.

Quær. 2.

Quær. 2. Quotuplex ſit integritas Confeſſionis, & quot illius conditiones?

Reſp. Integritas duplex eſt, materialis, & formalis. Integritas materialis eſt accuſatio omnium omnino peccatorum mortalium, nullo dempto. Integritas formalis eſt accuſatio peccatorum, quæ pœnitens poteſt, & debet hic, & nunc confiteri. Ad integritatem Confeſſionis requiritur 1. examen morali diligentia factum. 2. Accuſatio peccatorum mortalium quoad ſpeciem, & numerum, ac circumſtantias ſpeciem mutantes, vel in eadem ſpecie notabiliter aggravantes; quamvis de his non conveniant Auctores.

Quær. 3. Quid ſit ſigillum Confeſſionis?

Reſp. Secretum, vel ſigillum Confeſſionis eſt ſtrictiſſima, & indiſpenſabilis obligatio ſervandi ſub ſecreto, quæ in Confeſſione ſacramentali fuerunt audita.

Quær. 4. Quando obliget præceptum Confeſſionis Sacramentalis?

Dico. Confeſſio omnium peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum præcepta eſt Jure divino; quia Chriſtus Apoſtolos, eorumque Succeſſores Judices inſtituit, eiſque dedit poteſtatem judiciariam dimittendi, & retinendi peccata, *Joan.* 20. quam prudenter ſine prævia per Confeſſionem notitia exercere nequeunt; & ita de fide definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *can.* 6. eſtque antiquus, ac perpetuus Confeſſionis auricularis in Eccleſia uſus, ut teſtantur SS. Patres jam in quinque primis ſæculis, S. Clemens, S. Iræneus, Origenes, S. Ambroſius, S. Auguſtinus; & lapſos in mortale obligat Jure divino per ſe in articulo mortis, ac ſæpius in vita, *Tourn.* & per accidens, quando ſumenda eſt Euchariſtia, vel ſine illa gravis tentatio vinci nequit; ex præcepto vero eccleſiaſticó ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & privationis ſepulturæ eccleſiaſticæ per ſententiam imponenda, ſemel in anno juxta Concilium Later. IV. facienda proprio Sacerdoti, id eſt Parocho; ſine excluſione tamen Papæ, ac Epiſcopi, aliorumque Sacerdotum ab Epiſcopo delegatorum, vel generaliter & ſine exceptione temporis approbatorum, etiam Regularium; quia ita expreſſe declaravit Clemens X, & alii SS. Pontifices; etiamſi in approbationis inſtrumento addita ſit clauſula ordinaria, *de conſenſu Parochorum*, quæ ex condeſcenſu, non ex neceſſitate ap-

poni, declaravit Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1655. ut dicetur infra.

Hinc 1. Graviter peccat, & invalide abſolvit Sacerdos a longe, non pœnitentem, ſed ſolum illius domum, in qua eſt, videns; quia deeſt Confeſſio ſenſibilis; vel dans abſolutionem abſenti per litteras, *Clem. VIII.* valeret tamen abſolutio, ſi mutuo Confeſſarius, ac pœnitens ſe audire poſſent, v. g. ex cubiculo, etiam oſtio clauſo, vel ſi Confeſſarius pœnitentem a tribunali ſeptem, vel octo paſſibus jam diſceſſum adhuc videat; quia cenſetur adhuc ſufficienter præſens, *P. Paul. Lug.* 2. Graviter peccat confitens nutibus, vel per nuntium, aut ſcripto, cum proprio ore confiteri poſſit, niſi porrigendo ſcripturam addat, ſe accuſare de contentis in charta, *Lug. Rhod.* præcipue ſi fiat ex rationabili cauſa, ut ex nimia verecundia in puella, vel ob difficultatem loquendi in ægroto, *P. Cerv. Gob.* ſecus ſi nihil addat, præcipue mala fide; quia eſt contra praxim communem Eccleſiæ in re gravi, ideoque defectu diſpoſitionis invalide abſolvitur, licet per ſe eſſet valida, ac licita in neceſſitate, ſi alio modo confiteri non poſſet, ut moribundus, qui dedit ſigna etiam in abſentia Confeſſarii. 3. Graviter peccat Confeſſarius confeſſionem ſine examine ſufficienti factam advertens, & Pœnitentem non examinans; rudiores tamen non increpandi, ſed juvandi ſunt; quia Confeſſarius non ſolum Judicis, ſed etiam Medici vices gerere debet.

Hinc 2. Graviter peccant 1. omnes Confeſſionem annuam omittentes uſum rationis habentes, qui in pueris circa ſeptimum, vel octavum annum, malum puniri, bonum remunerari cognoſcentibus, contingere ſolet: annus vero a tempore Paſchali ad alterum eſt deputandus; quia ita mos invaluit, quem Concilium Trid. tanquam pium retinendum probat. 2. Graviter peccant in peccato mortali ſine prævia Confeſſione prælium, vel periculoſam navigationem aggredientes, vel mulieres gravidæ omittentes Confeſſionem inſtante primo partu, vel alio, ſi periclitari ſoleant; vel imminente captivitate ab hæreticis, vel barbaris, vel amentia perpetua, vel operatione periculoſa per Chyrurgum facienda; quia omnes iſti cenſentur in periculo mortis, vel non implendi præceptum tempore præſcripto: quamvis a communione eſſent excuſati, ut pueri ante annum duodecimum, vel moribundi ob pericu-

riculum vomitus, vel alio impedimento, etiamſi annuam fecerint, quia tunc præter præceptum annuæ confeſſionis, præceptum divinum adhuc obligat, nec poteſt Confeſſio diſpenſari; quia eſt de jure divino; poteſt tamen differri Confeſſio Paſchalis ex juſta cauſa, *Conc. Later. IV. Can. omnis*. 3. Graviter peccat toties, quoties, non facta Confeſſione annua, occaſionem confitendi ſcienter quis negligit, vel ſi prævifo impedimento Confeſſionem non anticipet: confitens tamen prima die hujus anni, & ultima ſequentis anni, v. g. die lunæ poſt Dominicam in Albis hujus anni, & Dominica in Albis ſecundi anni, ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, licet duobus annis diſtet Confeſſio, *Lug.* ſed minus conformiter fini præcepti; unde ſecurius eſt, ut una non diſtet ultra annum ab altera; ſi confitens in Dominica in Albis, & die lunæ ſequenti, ſatisfacit pro duobus annis, præcedenti nimirum, & ſequenti; non tamen tenetur eam anticipare ob periculum oblivionis peccati mortalis, *Sylv. Navar. & communior contra Tourn.* quia Concilium Trid. requirit tantum Confeſſionem peccatorum, quæ poſt diligens examen memoriæ occurrunt, & fideles non tenentur ad diligentiam extraordinariam, uti eſt indilata Confeſſio, alias vix ab uno poſſet Confeſſio differri ad annum, a paucis ad medium, vel aliquot menſes, niſi ſtatim peccata ſcribant in charta. 3. Nec tenetur confeſſus per annum, & tempore Paſchali ſolum venialia, iterum confiteri; ſi in eodem tempore lapſus ſit in mortale, vel ſi recordetur mortalis ſine culpa, ex oblivione, vel juſta cauſa omiſſi, *Tour.* quia Confeſſione venialium ſatisfacit præcepto, ſi quis non habeat mortalia confitenda, *Rhod. P. Gerv.* quia lex ſine differentia Confeſſionem præcipit, licet, ad venialium non obliget; bene autem, ſi ſua culpa mortale omiſerit, quia tunc Confeſſio fuiſſet ſacrilega, qua non impletur præceptum, *Alex. VII.* in Paſchate tamen, vel in articulo mortis poſt diligens examen non reperiens niſi venialia, etſi non per ſe abſolute teneatur confiteri, tenetur tamen per accidens ratione ſcandali, ad vitandum præſumptionis peccatum, vel ne ſeipſum decipiat, putando venialia, quæ forſan ſunt mortalia, ac ſe tempore Paſchali ſaltem Sacerdoti præſentare, & ſe nullius mortalis conſcium eſſe, teſtari, *S. Thom.* nec tenetur pluribus annis non confeſſus tot facere poſtea Con-

feſſiones, quot omiſit; quia obligationes annorum præcedentium in hac hujus anni ſimul circa idem præceptum concurrunt, eademque Confeſſione omnibus ſatisfacit; in praxi tamen tutius eſt, ut qui una Confeſſione ſatisfecit pro annis elapſis, alia adhuc ſatisfaciat pro anno currente, præcipue ſi de novo mortaliter peccaverit, *Billuart.*

Quær. 5. *Quanam pertineant ad integritatem Confeſſionis?*

Dico. Ad integritatem Confeſſionis pertinent non ſolum peccatorum numerus, ſpecies, & circumſtantiæ ſpeciem mutantes, ut definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 7. ſed etiam in eadem ſpecie notabiliter aggravantes, debenteque in Confeſſione declarari, & præcipue in certis peccatis, ut in furto, & quando propter illas notabiliter diverſum judicium circa pœnitentiam, & media eſſet ferendum; quia rationes a Concilio Trid. pro declaratione circumſtantiarum ſpeciem mutantium allegatæ etiam militant pro notabiliter aggravantibus; cum ſine illis peccata non integre innoteſcant Judici, ut de gravitate, & pœna, ut opportet, judicare poſſit, & quia ſæpe malitiam magis augent, quam ſpeciem mutantes.

Hinc 1. Qui uno actu plures occidit, veneno fontem inficiendo, vel integrum pagum combuſſit, toti ſocietati, vel familiæ detraxit, tenetur dicere numerum perſonarum, ſi de diſtiucto cogitaverit; quia tot ſunt numero diſtincta peccata; ſecus ſi plures confuſo cogitaverit; quia tunc de pluribus confuſe ſe accuſare dicendo, ſe occidiſſe, vel combuſſiſſe totum pagum, vel detraxiſſe toti familiæ, ſocietati, &c. 2. Accuſans, ſe furtum grave commiſiſſe, & reſtituiſſe, non ſatis ſe accuſat, ſi furtum fuerit, v. g. centum aureorum; bene autem ſi eſſet unius, vel alterius taleri; quia Confeſſarius notabiliter aliter judicaret, & majorem pœnitentiam imponeret furto 100. aureorum, quam unius, vel alterius taleri; ſic accuſans, ſe decies perjuraſſe, non addendo ex longæva conſuetudine voluntaria, non recte ſe accuſavit; quia ob hanc circumſtantiam aggravantem notabiliter efficaciora media adhiberet.

Quær. 6. *An peccata dubia etiam pertineant ad integritatem Confeſſionis, & an mentiri in Confeſſione ſemper ſit mortale?*

Dico. Non minus ad integritatem Confeſſionis pertinent peccata dubia, quæ ut dubia declarari debent, ſive dubium

bium ſit de ſubſtantia actus, an illum commiſerit; ſive an ſit mortale; ſive an peccatum ſit confeſſus, modo dubium nitatur aliqua ratione; quia peccata, de quibus tenemur conteri, & quæ ſunt in conſcientia, debent declarari, prout ſunt in conſcientia, & ita docet S. Thomas cum aliis, & communis praxis Eccleſiæ, ac ſenſus fidelium, niſi eſſet ſcrupuloſus, vel longum tempus interceſſerit, poſt quod moraliter impoſſibile eſſet, omnium recordari, vel ſi dubium eſſet negativum, nulli, vel levi, ac inſufficienti rationi innixum; quia tunc eſſet irrationabile, & ut ſcrupulus deponendum; imo quodcunque peccatum mortale, ut dubium confeſſum, poſtea ut certum cognitum, debet quis ut tale iterum confiteri, ſive illud in genere, ſive in particulari, ſive numerum notabiliter minorem dixerit; quia notabiliter aliter eſt in conſcientia, *Lug. P. Gerv.* non vero, ſi majorem, vel ut certum declaraverit, quod poſtea dubium apparet; quia abſoluto majori, vel certo, etiam minus in eo incluſum, & incertum cenſetur abſolutum: mentiri autem circa materiam Confeſſionis neceſſariam eſt peccatum grave; quia in re gravi decipit Confeſſarium, irritum quoque facit Sacramentum, & eſt leve in materia non neceſſaria, ut circa peccata venialia, vel mortalia confeſſa; niſi venialia eſſet pro materia Sacramenti, vel notitia de mortali confeſſo eſſet neceſſaria Confeſſario pro cognitione diſpoſitionis, & ſtatus pœnitentis.

Hinc 1. Graviter peccat ſciens numerum certum, puta ſexies ſe peccaſſe, ſi addat circiter, vel plus minuſve; quia ſextum peccatum, quod eſt certum, declarat, ut dubium, & aliter, ac eſt in conſcientia, vel ſi dicat, ſexies, vel ſepties; quia ſuperaddit dubium, quod non eſt in coſcientia, ac proinde ſaltem mentitur in re gravi, *Billuart*; niſi eum excuſet ſimplicitas, vel inadvertentia; & in Confeſſione generali debet addi, peccatum non fuiſſe confeſſum, vel ab ultima Confeſſione fuiſſe confeſſum, vel ab ultima Confeſſione fuiſſe commiſſum; quia notabiliter aliud judicium fertur de peccatis jam confeſſis, quam non confeſſis. 2. Qui ſe accuſavit, ſe alia adhuc commiſiſſe mortalia, neſcire vero ſpeciem, & numerum, poſtea illa cognoſcens, tenetur de novo ſpeciem, & numerum eorum aperire in Confeſſionali; ſic qui ſe accuſavit, ſe habuiſſe turpem cogitationem, ſed dubita-

re, an conſenſerit; ſe notabiliter bibiſſe, neſcire tamen, an fuerit ebrius, juxta tutiorem in praxi debet, ut certa illa denuo confiteri, ſi ſe conſenſiſſe, vel ebrium fuiſſe, poſtea agnoſcat, *Lug. P. Gerv. Gobat.* quia notabiliter alia ſunt in conſcientia; quamvis oppoſita opinio non minus ſit ſpeculative probabilis juxta iſtos Auctores mox citatos, quia Confeſſarius jam agnovit peccati ſpeciem, & numerum, & forte conſenſiſſe, vel ebrium fuiſſe, eumque in quantum indiget, abſolvit. Sic qui ſe accuſavit, ſe circiter decies perjuraſſe, non tenetur repetere, licet duodecies contigiſſe, poſtea agnoſcat; ſic qui declaravit, ſe centies circiter blaſphemaſſe, ſufficienter ſe accuſaſſe cenſetur, quamvis centies, & decies id fecerit; ſecus, ſi centies, & vigeſies blaſphemaverit, *P. Gerv.* quia To *circiter* numerum parvum, non vero notabiliter majorem indicat, prout duo reſpectu decem, & decem reſpectu centum cenſeri poſſunt; non vero viginti, quod per prudens judicium a majori, & minori numero dijudicandum eſt, *Lugo*, *Vaſq. apud P. Gerv.* 3. Graviter peccat peccato contra veracitatem, & alio peccato contra Religionem per Sacrilegium, negans in Confeſſione mortale, quod fecit, vel affirmans, quod non fecit, vel majorem numerum, vel dubium pro certo, vel certum pro dubio, vel ita pallians vel proferens, ut a Confeſſario non intelligatur, ut mortale; quia gravem Sacramento facit injuriam, niſi aliquando ignorantia, & bona fides, vel ſcrupuloſitas excuſet ſimplices exiſtimantes, ſecurius eſſe, majorem dicere numerum ſimiliter confitens unum numero mortale pro alio, v. g. occiſionem Petri, pro occiſione Pauli, vel deflorationem Bertæ pro defloratione Catharinæ, *Lugo, Tamb. Vaſquez. & alii*; quia licet non teneatur explicare diſtincte individuationem, non poteſt tamen unam, quam non commiſit ſupponere pro alia, quam fecit; niſi nomen hominis occiſi duntaxat celare voluiſſet ſic valida eſt Confeſſio ſe accuſantis ſe occidiſſe hominem, qui vocatur Petrus, licet vocetur Paulus; quia error non cadit in ſubſtantiam actus, nec eſt mendacium in re gravi: invalida tamen eſſet dicentis, ſe occidiſſe hominem, quem occidit Paulus, quamvis etiam ipſe alium occiderit; quia error eſt circa ſubſtantiam actus.

Quær. 7. An aliquando liceat manifeſtare in Confeſſione complicem, & perſonam, quæ fuit objectum peccati?

Dico.

Dico. Pœnitens tenetur ſub mortali, & onere reſtitutionis famæ, occultare complicem, quocum peccavit, vel perſonam, quæ fuit objectum peccati, circa quod peccavit, ſi detrimentum famæ inde patiatur, quando ſuum peccatum, & circumſtantias neceſſarias poteſt explicare ſine complicis, vel objecti ſui peccati manifeſtatione; vel alium commode adire, vel exſpectare Confeſſarium, qui non novit complicem, vel perſonam, quæ fuit objectum peccati, *ita communis*; quia non licet diffamare proximum ſine legitima cauſa; ſi tamen abſque manifeſtatione complicis, vel objecti peccati, non poſſit peccati proprii ſpeciem, vel circumſtantias neceſſarias declarare; poteſt, & tenetur pro integritate Confeſſionis non ſolum complicem, ſed etiam objectum peccati declarare, modo urgeat præceptum Confeſſionis, & ſine gravi incommodo non poſſit alium adire, vel expectare Confeſſarium, cui complex ſit ignotus, *S. Thom. P. Gerv. & communior*; quia complex ſciens integritatis Confeſſionis obligationem, peccando amiſit jus famæ apud Confeſſarium, & pro perſona, quæ fuit objectum peccati adeſt ratio ſufficiens manifeſtandi crimen Confeſſario, nempe integritas Confeſſionis; cum hoc etiam in Judicio civili practicetur; ſtrictius tamen in hoc caſu alius Confeſſarius inquirendus eſt; quia non ut complex interpretative ſui manifeſtationi conſentire cenſetur; etiam aliquando licet pro conſilio neceſſario, vel remedio pœnitentis, ut liberetur ab importunis ſolicitationibus, & occaſione peccandi, manifeſtare complicem in, vel extra Confeſſionem, vel pro præcipuo complicis bono, ut corrigatur, *Tourn.* ſi ſit periculum relapſus; quia ob hos fines licet extra confeſſionem revelare hero furta domeſtici, Patri meretricium filiæ, Superiori peccatum inferioris; caute tamen, ne, 1. ſigillum Confeſſionis veniat in ſuſpicionem. Ne ex vindictæ, vel invidiæ ſtimulis viros probos diffamandi occaſio foveatur, *Tourn.* complicem vero inquirere nefas videtur, a detractione vix excuſabile, *S. Bonav.* & Concilium Colonienſe graviter id prohibuit; quia Confeſſio eſt inſtituta pro correctione pœnitentis, non complicis; ob ſpecialem tamen abominationem ſollicitantis in, vel ratione confeſſionis illum pœnitens ſub negatione abſolutionis declarare tenetur Epiſcopo, ubi Bulla Gregor. XV. & Benedict. IV. uſu ſunt receptæ.

Hinc

Hinc 1. Graviter peccat re habita cum perſona ſacra illius Religionem, vel ſtatum clericalem, v. g. talis Eccleſiæ collegiatæ, in Confeſſione manifeſtans, *P. Paul. Lugd.* quia diffamatio redundat in Statum, & ſufficit, ſi dicat, cum perſona ſacra, vel religioſa peccaſſe. 2. Qui cum ſorore conſentiente, vel etiam totis viribus renitente peccavit, tenetur in utroque declarare circumſtantiam perſonæ, nempe ſororis; quia alias non exprimitur inceſtus, & confeſſio non eſt integra; ſic qui matrem viduam ex fornicatione gravidam, quam Confeſſarius noſcit innuptam, graviter percuſſit, tenetur manifeſtare circumſtantiam graviditatis, licet adhuc ſit occulta, ſi percutiendo abortum intenderit, vel procuraverit, *P. Thom. ex Charm.* quia, licet illa ſit inculpabilis, alio modo hoc peccatum declarare nequit, modo in utroque caſu non poſſit haberi alius Confeſſarius; ſecus ſecluſo abortus periculo. 3. Conjugati peccata inter ſe eſſe commiſſa notabili luxuriæ exceſſu declarare poſſunt, & debent; quia cum aliis eſſet ſimul adulterii ſpecies; ſic ſponſus poteſt manifeſtare Confeſſario, cum ſponſa peccaſſe, licet cum aliis non eſſet peccatum ſpecie diſtinctum; quia utrique eſt gratius Confeſſarium ſcire, inter ſe ipſos, quam cum aliis peccatum fuiſſe perpetratum, & ubi eſt caſus reſervatus, omnino declarandum eſt, modo in prædictis ſine notabili incommodo alius adiri, vel expectari non poſſit Confeſſarius, quod ſemper ſupponitur; non tamen tenetur Confeſſionem differre cum jactura Communionis Paſchalis, vel magnæ indulgentiæ ut Jubilæi, nec ſi per duos, vel tres menſes manere deberet in mortali nec directe, nec indirecte remiſſo, *Lug. Tamb. apud P. Gerv.* quia, cum neſciamus, quid erit in Craſtino, ut dicit S. Jacobus, æternæ damnationis periculo eſſet expoſitus; nec peccati reum agnoſcit Tamburinus, ac P. Gerv. eum, qui ob ſolam conſolationem ſpiritualem, quam ſentit apud aliquem Confeſſarium, nollet alium quærere, vel expectare; quia injuriam ſibi factam ob conſolationem uni, aut alteri taciturno manifeſtare licet, & complex peccando jus famæ apud Confeſſarium amiſiſſe, & in illius manifeſtationem in Confeſſione interpretative conſenſiſſe videtur, quod tamen in praxi diſſuadendum, præcipue quoad objectum peccati ob ſolam conſolationem, non tamen ad reſtitutionem famæ compellendus; quia ordinarie eſt mo-

rali-

raliter impoſſibilis, & vix aliud Confeſſario ſine mendacio ſuaderi poteſt.

Quær. 8. *Quando infirmi ſenſibus deſtituti ſint abſolvendi?*

Dico. Infirmus ſubito vi morbi obmuteſcens, vel omnium ſenſuum uſu deſtitutus poteſt, ac debet abſolute abſque conditione abſolvi, ſi coram Sacerdote ſignum probabile doloris, vel antea dederit ſaltem coram uno, & de re teſtimonium ferente, *Conc. Carth. IV. Rit. Rom. Paul. V.* quia dolor probabilis, & Confeſſio generica, ac confuſa per aliqua ſigna indicata in hoc caſu neceſſitatis pro integritate Confeſſionis ſufficit juxta Chriſti voluntatem per praxim generalem Eccleſiæ manifeſtatam; qui vero ſignum duntaxat dubium dederit, quale etiam cenſeri poterit vita chriſtiana antea peracta, ſub conditione abſolvendus eſt; quia vita non ſolum ipſa chriſtiana eſt pœnitentiæ profeſſio, ſed etiam ſignum probabilius, & certius deſiderii Confeſſionis, & doloris per diem externe per varia opera chriſtiana, ut aſperſione Aquæ benedictæ, formatione Crucis, auditione Miſſæ, examine veſpertino, &c. manifeſtati, quam alia ſigna æquivoca, & dubia, ob quæ abſolutio ſub conditione juxta communem Doctorum opinionem dari debet, deinde conditione ſuperaddita vitatur periculum ſacrilegii, ac irreverentiæ Sacramenti, & conſulitur ſaluti æternæ moribundi; non ita dijudicandum de eo, qui non chriſtiane vixit, ut hæreticus, vel concubinarius, &c. quia iſtorum voluntas in malo obfirmata non præſumitur mutata, nullo dato ſigno nec dubio.

Hinc 1. Moribundus uſu linguæ deſtitutus dans ſignum doloris, tundendo pectus, ſuſpirando, oculos ad cœlum levando, ſtringendo manus, reſpiciendo aliquam piam imaginem, &c. præcipue, ſi ad interrogationem de dolore fiant in præſentia Confeſſarii, vel in abſentia ſaltem uno de viſu teſtante, abſolvi poteſt, ac debet abſolute; quia ſufficit in hac neceſſitate ſignum probabile doloris, & Confeſſionis tacitæ; ſi vero ſigna ſint dubia, an non forte vehementia dolorem ea exhibuerit, vel materialiter fuerint facta, ſub conditione abſolvendus eſt. 2. Moribundus omnium ſenſuum uſu deſtitutus, ſi chriſtiane vixerit, præcipue ſi preces matutinas, & veſpertinas perſolverit, *Pater noſter* oraverit, examen veſpertinum, etiam præcedenti die fecerit, Miſſam audierit, &c. poteſt, & debet abſolvi conditionate: quia probabiliter dolor etiam præceden-

dentis diei, & expreſſe non ordinatus ad Confeſſionem ſufficit, ut ſupra dictum eſt, & vita chriſtiana, ac ſimiles actus ſunt confeſſio implicita, & doloris ſigna ſaltem dubia, & alia adhuc dediſſe præſumitur: non vero hæretico, concubinario, uſurario, vel in flagranti crimine, ut in duello, blaſphemia, ebrietate mortali ſenſibus deſtituto; quia in his diſpoſitio ad Sacramentum præſumi nequit.

Quær. 9. *Quanam ſint cauſa a materiali Confeſſionis integritate excuſantes?*

Dico. Duæ ſunt cauſæ a materiali Confeſſionis integritate excuſantes, videlicet, 1. impotentia phyſica, quæ nullo conatu poteſt ſuperari, ut eſt oblivio naturalis, & ignorantia peccati invincibilis; quia ad impoſſibile nemo tenetur. 2. Impotentia moralis, quæ eſt magna difficultas Confeſſionis, ſive ex parte confeſſarii, ſive ex parte pœnitentis, uti periculum gravis damni, ſive temporalis, ſive ſpiritualis Confeſſioni extrinſeci ſibi, vel Confeſſario, vel alteri ex confeſſione peccati probabiliter imminentis; quia præceptum poſitivum, uti eſt Confeſſionis, non obligat cum tanto incommodo, eique præceptum charitatis prævalet.

Hinc 1. *Impotentia phyſica*, ab integritate Confeſſionis excuſatur pœnitens, 1. peccati immemor, vel illud ignorans inculpabiliter. 2. Mutus, & ſurdus, qui nec ſcriptura, nec geſtu, vel alio modo ſua peccata manifeſtare poteſt; tenetur tamen ſcriptura, ſi ſcribere poſſit; quia periculum revelationis tollitur combuſtione chartæ; non vero tenetur quis ſcribere Confeſſionem ob periculum oblivionis; quia ſolum tenemur confiteri, quæ prævio examine occurrunt memoriæ, & quia eſt modus extraordinarius, quem nemo tenetur adhibere. 3. Milites, & navigantes imminente bello, vel naufragio. 4. Moribundi, vel inſtante alio mortis periculo pœnitenti, vel Confeſſario probabiliter non manente tempore ſufficiente pro integra omnium peccatorum Confeſſione. 5. Ignorans idioma Confeſſarii; quia æquiparatur muto, ac ſurdo; nec tenetur quis confiteri per interpretem; quia Jus divinum, & Concilium Lateranenſe, ac Tridentinum non obligant, niſi ſecrete, & ſoli Sacerdoti ſua peccata confiteri; excepto articulo, vel probabili mortis periculo, in quo aliqua venialia, & mortalia in genere confiteri debet; quia

in

in tanto periculo ſalutis videtur obligari lege charitatis erga ſe, ne ſe periculo æternæ damnationis exponat, *Coninck*, *& alii apud Baſſ.* imo ſuadendum, ut omnia confiteatur, *P. Gerv.* quia interpres etiam ad ſigillum tenetur, præcipue ſi interpres ſit Sacerdos, quamvis non approbatus.

2. *Impotentia morali* excuſantur 1. Sacerdos, ſi ſua peccata ſine fractione ſigilli confiteri nequeat. 2. Pœnitens, ſi ſibi, vel Confeſſario, vel cuilibet alteri inde grave immineat periculum gravis morbi, peſtilentiæ, carceris perpetui, membrorum mutilationis, gravis infamiæ, ex revelatione Confeſſionis, vel ſi non poſſit confiteri, niſi alio audiente, excepto tamen quoad hoc mortis articulo, *P. Gerv.* quia tunc tenetur confiteri ſaltem aliqua venialia, & mortalia in genere. 3. Si pœnitens timeat grave odium ſui, vel proximi, vel malæ tractationis, perſecutionis a Confeſſario, præcipue, ſi pœnitens, vel alius ab eo dependeat, vel ei cohabitet. 4. Si nimia timeatur fatigatio ægroti, nec ſcrupuloſe cum iſtis agendum, differendo abſolutionem, quamvis in diem adhuc ſequentem ſupervivere poſſent, *P. Gerv.* 5. Si ſit periculum ſollicitationis a Confeſſario ad turpia. 6. Si timeatur periculum relapſus pœnitentis, vel Confeſſarii ex longiore examine circa turpia ex fragilitate nota expertum; quia tunc expedit leviter ſe, vel pœnitentem examinare cum periculo oblivionis nonnullorum, debetque ſe Confeſſarius caute in examinando in hac materia lubrica gerere, & non ita ſtricte, ut in aliis materiis, pœnitentem examinare tenetur. 7. Si pœnitens ſit ſcrupuloſus; modo in omnibus prædictis 1. non adſit alius Confeſſarius, & urgeat præceptum Confeſſionis, vel neceſſitas celebrandi, vel communicandi ad evitandum ſcandalum, vel gravem infamiam, & non exſpectari poſſit alius Confeſſarius; non tamen tenetur per longum tempus exſpectare alium cum ſuæ ſalutis jactura, *P. Gerv.* 2. ut non ſolum ſit dubium, vel levis ſuſpicio mali; quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, quod eſt certum. 3 Ut malum ſit extrinſecum Confeſſioni, & non ſolum timeatur confuſio pœnitentis, verecundia, vel jactura famæ, ac bonæ opinionis apud Confeſſarium; quia hæc ſunt intrinſeca Confeſſioni, iiſque non obſtantibus Confeſſio a Chriſto præcepta eſt. 4. Ut non plus reticeatur, quam neceſſarium eſt ad evitandum periculum, vel da-

damnum; ſic qui timet ſolum ex inceſtu, ſe ſaltem accuſare tenetur de fornicatione. 5. Ut peccata inculpabiliter omiſſa ceſſante cauſa excuſante in ſequenti Confeſſione manifeſtentur, *Alex. VII. in damn. propoſ.* 11. & ſi culpabiliter fuerint omiſſa, præter ſacrilegium commiſſum tota repetenda eſt Confeſſio, & ſubſequentes, niſi ſacrilegii commiſſi inculpabiliter immemor, bona fide in iis proceſſerit: non tamen ab integritate Confeſſionis excuſat magnus in ſolemnitate concurſus populi, etiamſi maxima pars Confeſſione eſſet privanda, *Innoc. XI. in damnatione propoſitionis* 59. bene autem inſtante bello, naufragio, incendio vitæ periculoſo; nec excuſat caſuum reſervatio, ſed urgente præcepto Confeſſionis, vel neceſſitate celebrandi, aut communicandi, videtur quis obligari reſervata confiteri non habenti a reſervatis; quia ab illis ſaltem indirecte abſolvitur, & ea in ſequenti Confeſſione habenti poteſtatem iterum debet pro abſolutione directa aperire, *P. Gerv. cum communi; vid infra Q.* 5. *quar.* 11. *Hinc* 2. *num.* 7. nec auditis quibuſdam peccatis deficiens animo; vel non ſatis intelligens idioma poteſt abſolvere ab auditis, & quoad alia peccata eum ad alium mittere, *P. Gerv. cum communi*; nec poteſt Superior ſolum abſolvere reſervata, & inferior alia peccata; quia non eſt, ut ſupponitur, neceſſitas dimidiationis urgens; nec ſufficit pro abſolutione Confeſſio peccatorum in genere extra mortis periculum, v. g. dicendo peccavi graviter, vel peccavi contra Juſtitiam, vel conſenſi malæ cogitationi; ſed, ſi non habeat alia peccata ſecundum ſpeciem, & numerum confitenda, debet ſaltem veniale in ſpecie determinatum ſupperaddi pro materia certa abſolutionis; quia alias Sacramentum exponeretur periculo nullitatis; poteſt tamen ſaltem per ſe confiteri uni mortalia, & alteri venialia; non vero viciſſim venialia prius uni, & mortalia poſtea alteri; quia prima non eſſet formaliter integra; nec prius mortalia uni, & venialia Confeſſario ordinario, ſi inde libertatem peccandi quæreret.

Quær. 10. *Quænam ſit Sigilli ſacramentalis obligatio?*

Dico. Datur Sigilli ſacramentalis indiſpenſabilis obligatio, nullo in caſu, nec quidem ob periculum vitæ, Reipublicæ, ac Regni violanda, *Tourn. & alii*; quia eſt contra Jus naturale prohibens diffamare proximum, & violare fidem de ſecreto tacite a Confeſſario datam; contra Jus di-

vi-

Digitized by Google

vinum Confeſſionem ſecretam inſtituens; contra naturam Sacramenti tribuens ſecuritatem ſecreti, quo non ſervato nullus forte ad illam confugeret; contra præceptum Eccleſiæ, *Cap. omnis utriuſque ſexus*, prohibens peccatorum in, vel occaſione Confeſſionem auditorum revelationem, obligans non ſolum Sacerdotem, ſed omnes, qui ex Confeſſione ſacramentali immediate, vel mediate, licite; vel illicite, verbis, vel ſignis noverunt, etiam minima, quæ Confeſſionem, vel leviſſime odioſam reddere poſſunt; quia non datur parvitas materiæ, in quantum illius tranſgreſſio eſt ſacrilegium contra Religionem, & reverentiam Sacramenti, quamvis prout eſt læſio Juſtitiæ veniale in materia levi eſſe poſſit. Poteſt tamen expreſſe, ac libere pœnitente conſentiente ejus ſecretum revelari; ſed in praxi parce, & multa cum prudentia, & pro bono ſolum pœnitentis, & ſumpto in re magni momenti illius in ſcriptis conſenſu pro majori Confeſſarii ſecuritate: quia, cum poſſit per ſe, poteſt etiam illud per Confeſſarium revelare; non tamen ſufficit implicita, dubia, interpretativa, aut præſumpta pœnitentis licentia: & minus vi, dolo, precibus importunis, vel metu reverentiali obtenta; quia eſt res pœnitenti odioſa; licet etiam uti notitia ex ſola Confeſſione ſacramentali hauſta, ſi nullum directæ, vel indirectæ revelationis ſubſit periculum, nec ullum pœnitenti, vel alteri gravamen poſſit ſequi; quia non obeſt Sacramento, nec pœnitenti, non autem licitum eſt illa uti cum periculo directæ, vel indirectæ fractioni ſigilli, vel pœnitentis, aut alterius gravamine; quia inde Confeſſio redderetur odioſa, ac formidabilis, *S. Congr. inquiſ.* 1682. 8. *Novemb.* & Superioribus expreſſe prohibet Clemens VIII. uti notitia Confeſſionis ſubditorum ad exteriorem gubernationem: non tamen tenetur pœnitens ad ſigillum ſacramentale; quia in ipſius favorem eſt inſtitutum; bene autem ad naturale in iis, quæ ſunt in damnum Confeſſarii; vel alterius, vel contra rationabilem ejus voluntatem, *Thom. ex Charm. & alii*; pœnæ frangentis ſigillum ſacramentale, ſunt depoſitio a ſacerdotali Officio, & in arctum Monaſterium incluſio per Judicis ſententiam, ut patet ex cap. *omnis utriuſque*; ſed de facto ſunt arbitrariæ.

Hinc 1. Frangens ſigillum triplex committit peccatum, vide-

videlicet, injuſtæ diffamationis mortale, vel veniale pro gravitate materiæ; infidelitatis ratione ſecreti violati etiam grave, vel leve pro ratione gravitatis materiæ; & ſacrilegii contra reverentiam Sacramenti ſemper mortale; quia non datur materiæ parvitas, & revelatio tantum venialis Confeſſionem graviter redderet odioſam; etiam revelans poſt mortem pœnitentis peccatum in, vel occaſione Confeſſionis auditum, vel etiam Confeſſarius fictus, vel interpres, vel Superior, a quo fuit petita licentia abſolvendi a reſervatis per alium, Doctor conſultus a Confeſſario, non vero conſultus a pænitente, licet in ordine ad Confeſſionem faciendam petiiſſet conſilium; tenetur tamen ad naturale, *Bill.* quia conſultatio illius non eſt Confeſſio inchoata, nec conſulti notitia procedit ex Confeſſione facta, nec conſulens cogitat obligare ad ſigillum ſacramentale, ſed duntaxat naturale. 2. Contra ſigillum ſacramentale graviter peccat Confeſſioni vicinus, etiam inculpabiliter aliquid audiens, vel ex vultu, aut geſtu pœnitentis, vel Sacerdotis aliquid percipiens, vel Confeſſionem ſctiptam inveniens, ac legens, vel legi audiens, & aliis revelans; quia notitia provenit a Confeſſione Sacramenti immediate, vel mediate; non vero committeret ſacrilegium Confeſſarius fictus, ſi pœnitens ſciverit eſſe laicum, licet per ignorantiam Confeſſionem validam crediderit, *Lug.* nec ſi Confeſſio facta fuerit animo ficto, vel ex joco, vel animo trahendi Confeſſarium in peccatum, vel ſecretum extra Confeſſionem datum fuiſſet, & acceptatum ſub ſigillo Confeſſionis; quia in prædictis non eſſet Confeſſio ſacramentalis, eſſet tamen contra ſigillum naturale, & peccatum detractionis. 3. Contra ſigillum graviter peccant duo Confeſſarii loquentes de peccatis in Confeſſione ejuſdem a quolibet auditis, etiamſi fieret in utilitatem pœnitentis; quia quilibet habet illa ſub ſigillo; nec poteſt Confeſſarius de peccato publico loqui, ut audito in Confeſſione; quia ut tale eſt ſub ſigillo; nec dicere, ſe eum non abſolviſſe, ob eandem rationem, licet peccator ſit publice recidivus: poteſt tamen ſine fractione ſigilli dicere, ſe non abſolviſſe, addendo; quia non habuit materiam abſolutionis; vel quia incepit Confeſſionem generalem; nec licet Confeſſario extra Confeſſionem loqui ipſi pœnitenti de peccatis confeſſis, etiam pro ſupplendo errore commiſſo, ſine expreſſo, ac libero

bero ejus conſenſu ; quia odioſum eſſet pœnitenti, niſi fieret ſtatim poſt Confeſſionem, *Henriq.* quia moraliter adhuc durat, vel niſi in ſequentibus Confeſſionibus ex rationabili cauſa fieret, præcipue ſi eadem materia tangatur, ut in recidivis, *Baſſ. Sanch. Bonac. & alii* ; quia ideo idem Confeſſarius ſuadetur recidivis pro remedio : unde ſi error ſit ſupplendus, vocet pænitentem ad Confeſſionale, & petat licentiam de præteritis loquendi Confeſſionibus, & ſi expoſita neceſſitate nolit illam dare ; pœnitens ſibi imputet ſpirituale damnum. 4. Graviter contra ſigillum peccat manifeſtans pœnitentiam, quæ ſolet pro mortalibus imponi, v. g. Roſarium, vel manifeſtans defectum etiam ſolum venialem in ſpecie v. g. mendacium, vel defectus naturales ex Confeſſione ſolum cognitos, v. g. eſſe moroſum, rudem, ſcrupuloſum, indoctum, tempus nugis conterere, eſſe debitis gravatum, irregularem, ſpurium, &c. quia pœnitens aliquando ſimilibus magis ſolet affligi, quam per revelationem venialium ; ſecus ſi ſolum in genere diceret, ſe audiviſſe illius peccata, vel audiviſſe ſolum venialia, niſi comparative dicendo, ipſum ſolum confeſſum fuiſſe venialia ; quia de aliis ſuſpicarentur mortalia ; vel dicendo : hic ſolum hodie confeſſus eſt tantum venialia ; quia in aliis Confeſſionibus, audientes ſupponerent, confeſſum fuiſſe mortalia ; vel unum laudando, ita, ut de aliis præbeatur occaſio cogitandi malum ; vel exhibendo ob puritatem conſcientiæ ex Confeſſione cognitam ſpecialem benevolentiam, & alteri ob audita in Confeſſione odium, vel aſſerendo, in tali civitate non ampla committi grandia peccata ; vel in Confeſſione audiviſſe ſcelera enormia ; & magis, ſi dicatur de aliquo Statu Religioſo, vel Parochia, regnare in ea certa peccata in Confeſſione ſolum cognita ; quia infamia redundat in ejus membra ; ſecus ſi id de populoſa Provincia, vel Regno diceretur, *Bill.* vel ſi revelet defectus, & imperfectiones complicis ex Confeſſione alterius cognitos ; quia hæc omnia reddunt Confeſſionem valde odioſam. 5. Petitus ad audiendam Confeſſionem certæ perſonæ, quam noſcit ex Confeſſione recidivam, vel in occaſione proxima, &c. eam audire recuſans cum aliorum mali ſuſpicione ; ſecus ſi nemo, vel ſolum pœnitens advertat, *Tamb. Coninch.* quia perinde eſt, ac ſi auditum dimittat. 6. Peccat contra ſigillum Sacramenti negans ſuſ-

ſuffragium ei, quem ſolum ex Confeſſione noſcit indignum, præcipue ſi publice dari debeat, *Suar.* vel Superior ex ſola Confeſſionis notitia ſubditum ab officio arcens, vel non promovens, vultum auſteriorem oſtendens, durius alloquens, illius colloquium fugiens, ex familia mutans, licentiam exeundi e Monaſterio recuſans; famulum male tractans, vel e domo ejiciens, quem ex Confeſſionem furem eſſe novit, vel ancillam, quam ſcit ex Confeſſione peccare cum famulo; vel repellens a Matrimonio, quem ex Confeſſione noſcit impedimento laborare dirimente; vel ab Ordinibus, quem ex Confeſſione ſcit eſſe hermaphroditum, & in eo prævalere ſexum fœmineum, vel a celebratione Miſſæ, quem ex Confeſſione novit non eſſe Sacerdotem, etiamſi in quibuſdam prædictorum pœnitens non advertat, Confeſſarium uti notitia ſuæ Confeſſionis, quia ſunt effectus pœnitenti ingrati, & ſi pœnitentes ſcirent, ſimilia licite fieri, a Confeſſione deterrerentur: licet tamen occaſionem lapſus pœnitentis amovere, ut res ſuas diligentius cuſtodire, ſeras mutare, claves apud ſe ſervare, fores, ac feneſtras melius claudere, ancillam non ſolam cum ſervo relinquere, inſidias in via poſitas ex Confeſſione cognitas declinare, aliam ſumendo viam, vel domi manendo; vinum ad Miſſam paratum veneno eſſe infectum ſciens ex Confeſſione, relinquere, vel Miſſam omittere; quia, cum hæc etiam alio poſſint fine fieri, pœnitenti non ſunt rationes, credendi fieri ex notitia Confeſſionis, & etiamſi animadverteret, non poſſunt tamen vere pœnitenti eſſe rationabiliter odioſa, qui ſuæ emendationi cooperari tenetur, modo pœnitentis peccatum inde non manifeſtetur, vel rubore afficiatur, *Thom. ex Charm. & alii*; quia rubor vix abeſſe poteſt in inferiore reſpectu Superioris, quibus ſimilia difficilius permittuntur ob Decretum Clementis VIII. poſſunt etiam proditores Reipublicæ manifeſtari ex Confeſſione alterius cogniti, *Suar. Bellarm.* etiamſi pœnitens, & ſocii criminis animadvertant, Confeſſarium tali notitia uti, *Coninck*; modo pœnitens non manifeſtetur; quia nulla fit ſigilli manifeſtatio; minime autem; ſi pœnitenti malum inde eveniret, & a ſociis criminis occideretur, quod vix in dato caſu præcaveri poteſt: etiam poteſt quis uti notitia Confeſſionis ad actus pœnitenti gratos, modo non fiat peccati revelatio, uti orare pro illius con-

ver-

verſione, ſuam negligentiam, vel ſeveritatem, quam ex Confeſſione novit, aliis nocivam, emendare, benigniorem vultum oſtendere, familiarius cum pœnitente agere, gratias ſpeciales concedere a verbis, ac factis offenſivis abſtinere; &c. etiamſi pænitens advertat hæc fieri ex notitia Confeſſionis; quia non reddunt Confeſſionem odioſam. 7. Peccat contra ſigillum imponens peccatori ob peccata occulta pœnitentiam publicam, quæ gravis criminis movet ſuſpicionem, niſi de ſpontaneo pœnitentis conſenſu, *Suar.* poteſt tamen imponi, ut certam perſonam, domum, officium dimittat; quia ſunt occaſio proxima, quamvis ſuſpicio mali notior fiat; quia non tam ex Confeſſarii præcepto, quam pœnitentis culpa, & obligatione provenit ſuſpicio. 8. In dubio præſumendum eſt in favorem ſigilli Confeſſionis; ſic dubitans, an notitia proveniat ex Confeſſione, vel res occaſione Confeſſionis fuerit manifeſtata, ſub ſigillo tenenda eſt; judex agnoſcens, accuſationem rei provenire a Confeſſione, vel fractione ſigilli, tenetur a judicio deſiſtere, & Confeſſarius tenetur negare, imo etiam jurare, ſe delictum in Confeſſione auditum neſcire, nempe cogitando pro foro externo; nec debet confiteri peccatum, quod ſine fractione ſigilli revelari nequit, & ordinarie ſchedam Confeſſionis dare debet, ſe eum audiviſſe in Confeſſione; non vero addendo, ſe abſolviſſe, etiamſi abſolviſſet, ne id non addendo non abſolutis, ſuſpicandi occaſio præbeatur: negans tamen privatim ſchedam non ageret contra ſigillum, *Lug. Bonac. & alii*; quia non tenetur poſitive occultare ipſius indiſpoſitionem, & ſibi attribuat, ſi nota fiat; imo publico peccatori, & non externe vere pœnitenti vix ſine ſcandalo dari poteſt, ſi propterea abſolutus credatur, *Lug.* ſecus, ſi multos audiens, ita, ut abſolutis ſchedam præbens, & non abſolutis negans, iſtorum peccata indirecte prodat, *Tourn.* nec facile a ſubditis, vel novitiis licentia eſt petenda pro uſu notitiæ Confeſſionis; quia non eſt vere libera, ſed ſæpe ex metu reverentiali conceſſa, nec pro correptione complicis, *Baſſa. apud P. Gerv.* 9. Si ſponſus ſe accuſet de peccato, non vero ſponſa, non poteſt ipſi negare abſolutionem, nec dicere, ſponſum ſe accuſaſſe; quia non magis ſponſo, quam ſponſæ credendum, & poteſt ſupponi habere juſtam rationem tacendi, vel alteri fuiſſe confeſſam; poteſt tamen eam generice exami-

nare, an nihil habeat contra ſextum præceptum, nulli pravæ cogitationi conſenſum præbuerit; ſciens vero aliunde, viſu, vel certo duorum teſtimonio peccatum, quod pœnitens non eſt confeſſus alteri, & malitioſe confiteri renuit, non poteſt eum abſolvere; bene autem ſi ſolum dubitet, vel unius teſtimonium habeat; quia fides pœnitentis ei æquivalet, & præferenda eſt.

QUÆSTIO IV.

DE SATISFACTIONE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Satisfactio?

Reſp. 1. Satisfactio in genere eſt debiti cujuſcunque ſolutio; Sacramentalis vero definitur: voluntaria pœnæ a Confeſſario impoſitæ tolerantia ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, & extinguendam pœnam temporalem peccatis debitam; tales pœnæ juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 6. *c.* 14. ſunt jejunium, eleemoſyna, oratio, & alia pia opera, etiamſi eſſet aliunde præcepta.

2. Sacramentalis Satisfactio duplex eſt, vindicativa, & medicinalis, Satisfactio vindicativa eſt, quæ imponitur præciſæ ad peccata præterita vindicanda. Medicinalis eſt, quæ præcipue ad peccata impoſterum præcavenda imponitur; tales ſunt, quæ contrariæ ſunt peccatis, ut avaris eleemoſyna, libidinoſis jejunium, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis opera, ut orationes, certarum Eccleſiarum viſitationes, breves peregrinationes; facile recidentibus frequens confeſſio, & ſi expediat communio, &c. Alia eſt publica cum ſolemnitate, v. g. ſtare ante fores Eccleſiæ cum cereo accenſo; alia publica ſine ſolemnitate, videlicet, quæ peragitur coram iis, qui ſcandalum paſſi ſunt. Alia canonica, quæ per Canones pro certis peccatis eſt decreta, quæ tamen de facto abrogata eſt, ſicut & canones pœnitentiales; perutile tamen eſt, eos pœnitentibus indicare, ut ſciant, quam ſuaviter tractentur, & impoſitam libentius, & ferventius peragant.

Quær. 2.

Quær. 2. An remiſſa culpa, remittatur tota pœna temporalis, & qualem Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam?

Dico. Remiſſo peccato quoad culpam, non ſemper remittitur tota pœna temporalis; quia Populus Iſraeliticus, David, & alii, etiam remiſſa culpa, a Deo graviter puniti ſunt, *Num.* 14. & 2. *Reg.* 12. & ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 6. *Can.* 30. unde Satisfactio non eſt tantum ad vitæ novæ cuſtodiam, & aliorum exemplum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & Saſfationem pro pœna temporali peccatis quoad culpam remiſſis debitam; quia ita expreſſe definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 13. tenetur proinde Confeſſarius ſub mortali imponere pœnitenti pœnitentiam convenientem, & proportionatam, etiam pro venialibus, vel mortalibus jam confeſſis, *Bill.* quia eſt pars integrans Sacramenti; & ita declaravit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. nullam de venialibus faciens exceptionem; non tamen imponenda eſt ſolum ſub conſilio; quia Confeſſarius tanquam Judex ad eam obligare debet, & quidem pro peccatis occultis occultam, & pro publicis publicam pro tollendo ſcandalo, ſed ſine ſolemnitate, & aliquando cum ſolemnitate, ſed cum conſenſu Epiſcopi.

Hinc 1. Graviter peccat Confeſſarius non imponens pœnitentiam pro peccatis gravibus, imo etiam pro venialibus, vel gravibus jam confeſſis, *P. Paul. Lugd. Billuart, contra P. Gerv.* quia, licet in ſe pro venialibus impoſita ſit quid leve; eſt tamen quid grave reſpectu Sacramenti; cum ſit pars illius integrans, & ſine illa maneret mutilum cum gravi irreverentia. 2. Non imponens pœnitentiam proportionatam, & gravem pro gravi peccato, uti communiter cenſetur Roſarium quinque decadum, vel æquivalens, apud *P. Gerv.* non tamen ita, ut tot Roſaria, quot mortalia habet, injungenda ſint; ſed ſecundum prudens judicium, *Dian. ibidem;* etiam opera interna, ut meditatio, vel alias præcepta, ut jejunium in Vigilia, vel divinum Officium clerico; quia acquirunt per Sacramentum valorem ex opere operato, hoc regulariter tamen non licet, nec expedit, *Billuart;* quia videtur plus a reo requiri, quam ab innocente, alias non ſentiret vindictam; & videtur etiam Eccleſiam opus peculiare requirere, niſi ex rationabili cauſa, ut, ſi alio modo non

poſſet integre ſatisfacere ob infirmitatem, occupationes, &c. poteſt ipſis prodeſſe quoad valorem ex opere operantis, *Thom. ex Charm. Lug. & valde communis*; verum ſecurius eſt, aliam adhuc ſuperaddere; Excuſari tamen poteſt Confeſſarius non imponens pęnitentiam, 1. ſi pęnitens accepta abſolutione iterum redeat ſolum cum venialibus, extendendo ſaltem tacite priorem pęnitentiam ad ſubſequens peccatum; ſed ſecurius eſt in praxi novam imponere, & ſi afferat mortale, nova videtur omnino imponenda, *Bill.* niſi forte addat, ut priorem peragat ferventius, *P. Gerv.* 2. Quando pœnitens ſenſibus eſt deſtitutus, vel valde infirmus; huic tamen imponat ſaltem invocationem nominis Jeſu, ſi non poſſit ore, ſaltem corde, vel tunſionem pectoris, &c. & ſi graviorem meritus ſit, graviorem, ſub conditione, ſi convaluerit, peragendam. 3. Si ex revelatione divina conſtet, nullam amplius deberi peccatis Satisfactionem, & pœnitentem contra relapſum ſufficienter eſſe præmunitum; quia in prædictis caſibus Sacramentum non poteſt dici mutilum, ſed tantum, quando caret integritate debita, & poſſibili. 4. Saltem ſpeculative, quando pœnitens tanto cum dolore eſt confeſſus, ut tota ſimul pœna remiſſa cenſeatur, vel per alia opera plene ſatisfeciſſe, vel per indulgentias plenarias mox lucrandas integre ſatisfacturum, prudenter judicetur; in praxi vero in his tribus caſibus ſemper pœnitentia eſt imponenda; quia ſecluſa revelatione ſciri nequit, an vehementia contritionis, vel per alia bona opera aut indulgentias plene ſatisfecerit: poteſt tamen minor imponi 1. ob perfectionem contritionis, vel ob Satisfactiones prævie præſtitas, vel ob indulgentias mox lucrandas. 2. Ob pœnitentis utilitatem, ut ſi timeatur puſillanimitas pœnitentis, horror confeſſionis, vel majorem non eſſe implendam. 3. Ob difficultatem majorem implendi, ut ob ſenectutem, morbum, paupertatem, laborem, peregrinationem; &c. 4. Si addat illa verba: *quidquid boni feceris, &c. S. Thom. Gob.* quia per illa verba omnia illius bona opera aliquo modo ad Satisfactionem elevantur: unde Confeſſarius non facile peccat mortaliter in imponendis mitioribus pœnitentiis vindicativis, modo non deficiat in medicinalibus; quia tutius eſt ait Gerſon, cum parva pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, perducere ad purgatorium, quam cum magna non adimplenda ad infernum; impru-

imprudenter tamen ageret, & pro gravitate exceſſus peccaret, imponendo jejunium infirmis, vel opificibus gravi labore continuo fatigatis, vel abſtinentiam a carne filiisfamilias, vel cum aliis conviventibus, vel diuturnas orationes ſervis, & ancillis in fraudem temporis, ac obſequiorum dominis debitorum. 5. Aliqui addunt, Confeſſarium minorem poſſe imponere pœnitentiam, quatenus ſacramentalis eſt, non poſſe per alium, ac proinde nec per Confeſſarium peragi, mox dicetur infra.

Quær. 3. An pœnitens teneatur acceptare, ac implere pœnitentiam, & an ipſe, vel Confeſſarius illam mutare poſſit?

Dico. Tenetur etiam pœnitens acceptare pœnitentiam, ſi ſit rationabilis; quia ubi eſt obligatio præcipiendi, etiam eſt obediendi, cum ſint correlativa, illamque per ſe implere, cum circumſtantiis, & tempore a Confeſſario præſcripto, vel nullo determinato, quamprimum commode poteſt ante, vel poſt abſolutionem, *Tourn.* non tamen neceſſario ante, abſolutionem, Sixtus IV. & Alex. VIII. & ita docet perpetua praxis Eccleſiæ; valetque, etiamſi eſſet in ſtatu diſgratiæ; quia ex opere operato habet valorem, modo non actu graviter peccet, dum illam implet; quia non poteſt novo debito ſatisfacere pro antiquo: non poteſt tamen pœnitens eam mutare propria auctoritate, niſi ſit aperte injuſta, *P. Gerv.* conſulat tamen in hoc caſu prius alium Confeſſarium; neque in melius, *Lugd. & comm.* quia alia etiam melior non habet valorem ex opere operato; ſed poteſt Confeſſarius, qui eam impoſuit, ex rationabili cauſa eam mutare, vel minuere in eadem, vel alia confeſſione, ſi ſaltem confuſam adhuc habeat peccatorum memoriam, & de novo pœnitentem abſolvat; quia eſt idem Judex; non vero extra confeſſionem, niſi ſtatim poſt abſolutionem, vel poſt breve tempus; quia ceſſat eſſe Judex; nec alius, niſi ex rationabili cauſa audita integra confeſſione; quia tunc fit Judex; & ſi fuerit impoſita pro reſervatis, non niſi ab habente a reſervatis, *Lug. cum probabiliori*; quia alius non habet juriſdictionem in reſervata; facta autem a Confeſſario mutatione pœnitentiæ, poteſt pœnitens propria auctoritate peragere primam, *Bill.* quia in ipſius favorem facta eſt mutatio, nec videtur eſſe contra mentem Confeſſarii.

Hinc 1. Graviter peccat pœnitens pœnitentiam gravem

pro mortalibus impoſitam, vel notabilem illius partem omittens, vel in aliam mittens, vel nimis differens, vel voluntarie diſtracte perſolvens; differendo eam tamen non facile graviter peccat; quia obligatio magis in rem, quam tempus cadit, *P. Gerv.* nec poteſt pœnitens propria auctoritate pœnitentiam peragere per alium: Alex. VII. quia Satisfactio debet eſſe actus pœnitentis, ac propriis viribus peragi, *Cap. omnis utriuſque ſexus;* nec a Confeſſario, ſi ſit medicinalis; quia medicina non prodeſt, niſi ſumenti; nec vindicativa, niſi forte ex parte, ut docet Thom. ex Charm. quia datur communio Sanctorum; non tamen eſſet ſatisfactoria vi Sacramenti, *Bill.* & deberet eſſe in ſtatu gratiæ; nec poteſt imponere per alium implendam, *Lugo, & alii communiter*, ob rationes mox dictas; niſi eſſent opera, quæ per alios ſolent peragi, ut porrectio eleemoſynæ per ſervum, vel alium, etiamſi ex propriis daret, *Billuart*; quia idem eſt, ac ſi pecuniam daret pœnitenti, & pœnitens poſtea per alium pauperi; vel applicatio Miſſæ per Sacerdotem; non tamen eſſet ſatisfactoria ſacramentaliter, niſi ratione petitionis, vel ſtipendii oblati. 2. Graviter peccat pœnitentiam gravem, vel levem pro multis tantum venialibus ad mortale valde diſponentibus injunctam, vel circumſtantiam notabiliter inflictivam omittens, *P. Gerv.* quia videtur ſimul medicinalis pro cavendo mortali, vel probabiliter omittens etiam levem pro aliis venialibus non ita ad mortale proxime diſponentibus; vel pro mortalibus jam confeſſis impoſitam, *P. Paul. Lugd. Billuart*; quia eſt pars integrans Sacramenti, & eadem eſſe videtur exequendi pœnitentiam, ac imponendi obligatio; ſecus, ſi levis duntaxat pars omittatur, vel circumſtantia non notabiliter afflictiva, ſic non graviter peccat 1. obligatus ad Roſarium coram aliqua pia imagine, vel flexis genibus, ſi illud dicat alibi, vel ſtando; bene autem, ſi in certo loco notabiliter diſtante, vel in certa peregrinatione notabili eſſet dicendum, vel ad jejunium eſſet obligatus in certa vigilia in honorem alicujus Sancti, ſi circumſtantia hujus temporis principaliter a Confeſſario fuerit intenta, *Billuart.* 2. Nec graviter peccat recuſans pœnitentiam irrationabilem, uti votum caſtitatis, vel Religionis ingreſſum, vel recuſando rationabilem ſimul, & abſolutionem, cum ſpe apud alium obtinendi faciliorem, *Lug. Suar.* nec venialiter, ſi fiat ex

juſta

juſta cauſa. 3. Nec peccat peragens pœnitentiam tempore alterius boni operis præcepti cum eo compatibilis, ut Roſarium in Dominica in Miſſa; niſi aliter conſtet de intentione Confeſſarii; ſic non ſatisfacit jejunio a Confeſſario impoſito, vel Miſſæ, jejunando in Vigilia de præcepto, vel audiendo Miſſam in Dominica; nec duabus Miſſis, duas audiendo eodem tempore a duobus Sacerdotibus; quia alia cenſetur eſſe intentio Confeſſarii; niſi aliter conſtet ex aliis circumſtantiis; ut ſi imponatur jejunium ſingulis diebus veneris per menſem, vel auditio Miſſæ per decem dies continuos, ſatisfacit, licet die veneris in eo menſe ſint quatuor tempora, vel infra decem dies Dominica, vel Feſtiva; omiſſa tamen juſta ex cauſa, vel deſidia, una, aut altera die debet ſuppleri alia die, niſi ex intentione Confeſſarii nota plane affixa fuiſſe tali diei. 4. Pœnitens excuſatur a pœnitentia, ſi fiat moraliter impoſſibilis, vel ita difficilis, ut a Confeſſario non fuiſſet impoſita, uti jejunium, vel peregrinatio ægroto, vel quando aperte eſt immoderata, & nimia; tenetur tamen ad partem convenientem, & alium Confeſſarium de exceſſu conſulere convenit. 5. Si pœnitentiæ ſit oblitus, nec eundem poſſet interrogare Confeſſarium, tenetur ad æquivalens, *P. Gerv.* non tamen repetere Confeſſionem apud alium, *Lugo, Tamb. Gob. & communis apud P. Gerv.* 6. Excuſari, ſaltem quoad aliquam partem, ſi lucretur indulgentias, putant aliqui; ſed; cum ea lucraſſe raro conſtet, conſultius eſt, ut impleatur integra; & ſi ſit medicinalis, etiam ad eam tenetur, *Bonac.*

QUÆSTIO V.

DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit poteſtas Miniſtri Pœnitentiæ?*

Reſp. Duplex eſt poteſtas Miniſtri, nempe Ordinis, & & juriſdictionis. Poteſtas Ordinis eſt poteſtas remittendi peccata Sacerdoti in ſua ordinatione collata, & eſt incompleta defectu ſubditorum, & quaſi in actu pri-

primo. Poteſtas juriſdictionis, ſeu juriſdictio eſt poteſtas, qua Sacerdos tanquam Judex poteſt in actu ſecundo ferre ſententiam abſolutionis in ſubditum, & eſt duplex, nempe juriſdictio ordinaria, quæ alicui competit ratione officii curam animarum annexam habentis, & delegata, quæ habetur tantum ex commiſſione ordinariam habentis,

Quær. 2. *Quid ſit Approbatio?*

Reſp. Approbatio eſt authenticum Epiſcopi teſtimonium, quo Sacerdos ad confeſſiones audiendas idoneus declaratur, ac deputatur; dicitur deputatur; quia de facto juriſdictio ſimul cum approbatione ab Epiſcopo confertur, vel collatione beneficii parochialis, vel mediante examine, vel alio modo idoneum declarando; non vero, quia approbatio eſt formaliter jurisdictionis collatio, *P. Gerv.* quæ poteſt dari ſeorſum a Papa.

Quær. 3. *Quid, & quotuplices ſint caſus reſervati?*

Reſp. Caſuum reſervatio eſt reſtrictio poteſtatis abſolvendi a certis peccatis facta poteſtate abſolvendi ab aliis. Caſus reſervati ſunt triplicis generis, 1. Papales, qui Papæ reſervantur, & omnes ordinarie annexam habent excommunicationem excepta jure novo falſa inſimulatione innoxii Sacerdotis apud Judices eccleſiaſticos in puncto ſolicitationis in tribunali, ubi Bulla Benedicti XIV. eſt recepta. 2. Epiſcopales, quos Epiſcopus ſibi reſervat, vel qui ex ſtatuto, vel conſuetudine Epiſcopatui reſervantur. 3. Regnlares, quos Regularium Superiores ſibi reſervant.

Quær. 4. *Quid, quotuplex ſit abſolutio?*

Reſp. Abſolutio eſt actus judicialis a Miniſtro legitime approbato prolata conferens gratiam de ſe remiſſivam peccatorum; & eſt duplex: directa, qua peccatum per ſe, & ſecundum ſe remittitur; & indirecta, qua peccatum conſequenter remittitur propter alia directe abſoluta, quæ ſine aliis non poſſunt remitti; indirecte remiſſa debent adhuc directe abſolvi.

Quær. 5. *Quid, & quotuplex ſit occaſio peccati?*

Reſp. Occaſio peccati eſt omne id, quod in peccatum trahere poteſt; & eſt duplex, proxima, & remota. Occaſio remota eſt illa, quæ aliquando, ſed raro ad peccatum inducit, ſic fere omnes res temporales, *P. Paul. Lugd.* vel in qua quis frequentius abſtinet, *Gob. apud P. Gerv.* ut ſi quis in eadem occaſione decies tentatus ter-

qua-

quaterve tantum ſuccumbit, *ibid.* proxima eſt, quæ ordinarie, id eſt ſemper, vel fere ſemper in grave peccatum, ſive in idem, ſive diverſum inducit, *P. Gerv. & commun.* vel in qua quis frequentius peccat, quam abſtinet, *Gob. apud P. Gerv.* ſic qui in eadem occaſione decies tentatus ſexies, vel octies ſuccumbit, *ibidem*; proxima alia eſt per ſe, ſeu naturalis, quæ ex natura ſua ordinarie homines fragiles inducit ad peccatum. Alia per accidens, ſeu perſonalis, quæ non ex ſe, ſed conſiderata pœnitentis prava diſpoſitione inducit in peccatum. Alia eſt voluntaria, quæ deſeri poteſt ſine graviſſimo incommodo. Alia involuntaria, quæ deſeri non poteſt, vel phyſice, ut ab incarcerato cum flagitioſo; vel moraliter, nimirum ſine gravi peccato, vel detrimento honoris, bonorum, vitæ, gravi ſcandalo, incommodo, quæ prudentis Confeſſarii judicio diſcernenda ſunt, *P. Gerv.* alia præſens, in qua quis eſt; alia abſens, vel interrupta, quam quis quærit, ut ludi, chorei, ſocietas in caupona.

Quær. 6. Quiſnam ſit recidivus, & conſuetudinarius?

Reſp. Recidivus eſt, qui nimis frequenter, vel ſæpius in peccata mortalia ejuſdem ſpeciei labitur. Conſuetudinarius eſt, qui ex pravo habitu peccat. Conſuetudo alia eſt voluntaria, quam quis ſcienter contraxit, vel emendare neglexit. Alia involuntaria, quam inadvertenter quis contraxit, vel omnibus mediis præſcriptis, ac conatu hactenus adhibito, emendare non potuit.

Quær. 7. Quid ſit titulus coloratus, & error communis?

Reſp. Titulus coloratus eſt, qui habet ſpeciem veri tituli, ut collatio beneficii parochialis, ſed a parte rei invalida propter ſimoniam. Error communis eſt, quando quis in loco, ubi excepit confeſſionem, communiter creditur habere juriſdictionem, vel officium habens juriſdictionem annexam, quod non habet.

Quær. 8. Quænam requirantur ex parte Miniſtri ad abſolutionem validam?

Dico. Ad validam abſolutionem ex parte Miniſtri quatuor requiruntur, videlicet, 1. poteſtas Ordinis, ut ſit Sacerdos; quia ſolus Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti pœnitentiæ, ſolis enim Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus Sacerdotibus Chriſtus dixit *Joan.* 20. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* & ita expreſſe de fide definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 10. 2.

10. 2. Juriſdictio vel ordinaria per officium curatum, vel delegata, quia ipſi per officium curatum, vel delegationem conferuntur ſubditi dirigendi in ordine ad vitam æternam, ut Concilium Trid. *Seſſ. 4. cap. 7.* expreſſe declarat, & quia natura judicii expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, ſine qua juriſdictione nequidem venialia, nec mortalia jam rite confeſſa, & remiſſa abſolvere poteſt, *Congreg. Card. ſub Innoc. XI.* 1679. *apud Thom. ex Charm.* 3. Approbatio Epiſcopi loci, quia ita declaravit Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. ſine qua invalide abſolvit, & incurrit ſuſpenſionem ferendam in jure, *Can. placuit, &c. apud Billuart*, quæ approbatio, & juriſdictio debet eſſe expreſſa, actualis, ac formalis; nec ſufficit interpretativa de futuro; quia quod non eſt actu, non poteſt actu operari; bene autem tacita, ſeu interpretativa de præſenti ſigno aliquo externo manifeſtata, quam Superior actu cenſetur conferre. 1. Cum videat, & ſciat, non approbatum audire confeſſiones, & taceat, cum facile eum impedire poſſet, ſaltem, ut valide, non vero, ut licite abſolvat, *P. Gerv. Gobat. vide quæ dicta ſunt p. 1. Tr. 1. de Act. hum. Quær. 6. Hinc. num. 2.* 2. Cum adeſt titulus coloratus cum errore communi invincibili etiam quoad caſus reſervatos; quia propter publicam utilitatem ad evitandos ſcrupulos, perturbationes, & maxima incommoda, eccleſia ſupplet, modo pœnitens ſit in bona fide. An etiam ſufficiat ſolus error communis, vel ſententia probabilis, diviſi ſunt Doctores. Probabilius videtur ſolum errorem communem conferre juriſdictionem; quia ſecus eadem incommoda ſequerentur, & eo ipſo, quod ſit populo expoſitus, videtur ſimul adeſſe titulus apparens, nempe conſenſus Parochi, quoad juriſdictionem, vel Ordinarii quoad approbationem, & juriſdictionem, in praxi tamen ſecurius eſt, ut ita abſolutus denuo confiteatur. Etiam probabilius videtur, Confeſſarium licite, ac valide poſſe uti juriſdictione, quam probabilius credit ſe habere, vel in pœnitentem, vel in caſum; quia eſt conſuetudo, ac praxis communis Confeſſariorum, quam Eccleſia ſcit doceri, ac practicari, & non reclamans cenſetur eam approbare ad plura incommoda tollenda, & moraliter certum eſt, juriſdictionem in hoc caſu ab Eccleſia ſuppleri, ſi in re deficeret. Non idem dicendum de opinione probabili extra caſum gravis neceſſitatis, in quo melius

Digitized by Google

melius eſt medium dubium, quam nullum; quia non ita huic opinioni ſuffragatur Eccleſia, ſed potius illam reprobat damnando hanc propoſitionem: *non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*, *Innoc. XI.* nullo modo autem juriſdictionem confert opinio dubia; nec error particularis; quia Eccleſia non intendit tollere, niſi malum publicum, nec cenſetur ſupplere imprudentiam dubitantis. 3. Supplet Eccleſia juriſdictionem in articulo mortis; quia ita declarat. Denique requiritur ad validam abſolutionem intentio Miniſtri, de qua egimus de Sacramentis in genere; & attentio ad unum ſaltem peccatum; quia alias deficit materia.

Hinc 1. Confeſſio eſt nulla ex parte Miniſtri, *defectu Sacerdotii* audita a Miniſtro non baptizato, vel non maſculo, vel alio modo non valide ordinato; nec ſuppletur titulo colorato, & errore communi; quia eſt Juris divini.

Hinc 2. *Defectu juriſdictionis, vel approbationis*, 1. invalide abſolvit Parochus vi duntaxat ſui beneficiis approbatus, in aliena Parochia ſine licentia Parochi, niſi alia ſit praxis Diæceſis; quia vi beneficii in ſua ſolum Parochia habet juriſdictionem; valide tamen excipit confeſſiones, 1. ſi eſſet proprius parochianus, quem ubique, etiam extra Diœceſim abſolvere poteſt, *S. Congr. Card.* 1707. *& Benedict. XIV.* 2. In aliena Eccleſia excipiens confeſſiones in conſpectu Superioris, vel Parochi dictæ Eccleſiæ non reclamantis, vel contradicentis, cum facile poſſet, *P. Gerv* quia ſufficit ratihabitio de præſenti ante abſolutionem ſigno externo manifeſtata; in praxi tamen non licite; quia exponit Sacramentum nullitati, imo nec valide, ſi timore rixarum, vel aliunde approbatum credens non reclamat. Si ſimul ſit approbatus pro tota Diœceſi, prout nunc fere ordinarie fit, & ſi ſit pro ſua ſola Parochia approbatus, valide tamen abſolvit in ſua Parochia omnes ad ipſum accedentes, etiam extradiœceſanos ex tacito Epiſcoporum conſenſu conſuetudine firmato; etiam tempore Paſchali *Eugenius IV.* modo non fiat in fraudem, *Bill.* & exceptis Monialibus; etiam alius pro tota Diœceſi approbatus in tota Diœceſi valide excipit confeſſiones; non vero licite in Eccleſia aliena, niſi de conſenſu ſaltem interpretativo, qui ſupponitur a Parochis, quibus ordinarie ſpiritualia exercitia exhibentur, vel ſi alias affecti ſint; etiam non obſtan-

obſtante clauſula, *de conſenſu Parochi* in inſtrumento approbationis appoſita, conſenſu Parochi etiam non requiſito, vel non obtento; quia non apponitur pro validitate Sacramenti, ſed de congruentia, ita declaravit Clerus Gallicanus *in comitiis gener. anno* 1655. & ita habetur in inſtructione paſtorali Diœceſis Baſil. anno 1764. etiam a reſervatis in Diœceſi pœnitentis, modo non ſint reſervati in Diœceſi Confeſſarii, & pœnitentem non in fraudem reſervationis in alienam Diœceſim migraſſe noverit, *Clem.* X. etiam tempore Paſchatis pro confeſſione annua, *Clem. X. & ali SS. Pontifices*. 4. Valide abſolvit ſimplex Sacerdos a Parocho pro confeſſionibus expoſitus, & in communi pro Confeſſario approbato habitus, licet non ſit, vel mediante pretio ſimoniace promotus, vel publice denunciatus alibi acquirens beneficium curatum, vel effluxo approbationis termino confeſſionem audiens; quia Eccleſia mediante titulo colorato cum errore communi præbet, & ſupplet juriſdictionem, & Parochus pro confeſſione Sacerdotem exponens, aliqualem ei præbet titulum coloratum. Sic Epiſcopus, vel Parochus intruſus valide abſolvunt; quia ſaltem eſt error communis, *Tamb. Diana, cum aliis contra alios*. Invalide vero abſolvuntur, duo, vel tres aliquem Sacerdotem putantes eſſe Confeſſarium; quia eſt error particularis, vel dubitantes, an beneficium juriſdictionem conferens ſimoniace ſit collatum, ſi reipſa collatio ſit ſimoniaca, niſi facta debita inquiſitione præſumptio fuerit pro poſſidente; quia Eccleſia in dubio, ſecluſa gravi neceſſitate, non ſupplet, nec abſoluti in dubio fuerunt debite diſpoſiti; Bene autem ſi bona fide incepiſſet poſſidere beneficium, ſuperveniente dubio poteſt pergere in ſua juriſdictione, facta diligenti inquiſitione, & manente eodem dubio; quia melior eſt conditio poſſidentis, & Eccleſia ſupplere cenſetur, *Gob. Lug. Suar. apud P. Gerv.* 5. Valide, ſed non licite abſolvit Confeſſarius ſuis inſtrumentis a reſervatis inſerens, & publicans, ſe habere a reſervatis, vel habens officium, cui a reſervatis eſſe annexum, publice eſt notum, ut magni pœnitentiarii in cathedralibus, licet in re poteſtas ſit revocata, vel non conceſſa, modo pœnitens ſit in bona fide; quia habet errorem communem, & titulum coloratum, *Billuart*. 6. Valide abſolvit probabilius judicans, caſum non eſſe reſervatum, quamvis in re eſſet; quia Eccleſia juriſdictionem ſup-
ple-

plere cenſetur. Secus ſi tantum probabiliter ita judicaret, niſi abſente certam, vel probabiliorem juriſdictionem habente urgeret gravis neceſſitas, ut celebrandi pro evitando ſcandalo, vel communicandi pro cavenda infamia; vel ſi in mortali iter periculoſum eſſet ſuſcipiendum, vel in mortis articulo haberet inſuperabilem repugnantiam confeſſioni extrinſecam confitendi habenti juriſdictionem certam, vel probabiliorem, *Suar. de Lugo, Sanch. Leſſ. Henno, & alii apud Bill.* quia licet juriſdictio ſit tantum probabilis, ſit tamen in his circumſtantiis probabilior, & moraliter certum, eam ab Eccleſia ſuppleri. 7. In urgente mortis articulo, quales ſunt brevi morituri, vel in amentiam diuturnam, vel perpetuam lapſuri, ut etiam eſt mulier prægnans, præcipue prima vice, reus morte brevi puniendus a quolibet Sacerdote non approbato a quibuſvis peccatis, & cenſuris ſalutem impedientibus, valide abſolvuntur, ne ſine Sacramento pereant, *Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 7. Vide infra Tract. 6. de Cenſ. Quæſt. 1. quær. 4. Hinc. 1. num.* 5. Præſente tamen Parocho, vel alio approbato, vel ſi exſpectari poſſit, juxta tutiorem non poteſt non approbatus excipere confeſſionem moribundi; quia non eſt neceſſitas, niſi approbatus eum nollet audire; adveniente vero approbato confeſſione jam abſoluta, non tenetur de novo confiteri approbato, nec incepta a non approbato confeſſione, ab illa deſiſtere; quia cauſa tunc non eſt amplius integra; nec tenetur abſolutus a non approbato etiam a reſervatis, & cenſuris convaleſcens ſe ſiſtere habenti poteſtatem a reſervatis; quia directe fuit abſolutus, cum in articulo mortis nulla ſit reſervatio, *Concilium Trid. cit.* & quia favores ſunt ampliandi; niſi res eſſet deducta ad forum externum pro ſatisfactione ſub pœna reincidentiæ; non vero, ſi ſit occulta, *March. Gob. P. Gerv. & alii;* vel ubi ita eſt ſtatutum; quia textus juris loquuntur de foro externo, *P. Gerv.*

Hinc 3. *Defectu intentionis, vel attentionis,* invalide abſolvit ex joco, vel lapſu linguæ formam proferens, vel nullum omnino audiens, vel intelligens peccatum; quia perinde eſt, ac ſi pœnitens nullum dixiſſet, *P. Gerv.* ſi autem unicum audiverit, & pœnitens bona fide proceſſerit, indirecte manet abſolutus etiam ab aliis, *Lug.* cum obligatione tamen ea denuo confitendi, ſi error ei innoteſcat.

Quær.

Quær. 9. Quinam habeant juriſdictionem ordinariam, ac delegatam?

Dico. Juriſdictionem ordinariam habent per ſe, 1. Papa reſpectu totius Eccleſiæ. 2. Epiſcopus ac illius Vicarius-Generalis reſpectu totius Diœceſis; quia idem cum ipſo conſtituit tribunal; & Archiepiſcopus in ſua, & tempore viſitationis etiam in ſui ſuffraganei Diœceſi, & Capitulum ſede vacante. 3. Generales, Provinciales, Abbates reſpectu ſuorum ſubditorum. 4. Parochi reſpectu ſuorum parochianorum, quibus annumerantur Decani in pleriſque Capitulis reſpectu ſuorum Capitulorum, Vicarii perpetui reſpectu ſuorum ſubditorum, Superiores locales, non vero ſecundus Superior, ut Subprior ubi primus eſt Prior, vel Vicarius, ubi primus eſt Guardianus, niſi per mortem, vel amotionem ſedes vacet, *Billuart*; per accidens vero tribus modis acquiritur juriſdictio ordinaria, 1. ratione domicilii, vel quaſi domicilii, ut reſpectu mercatorum, ſcholaſticorum, militum, aulicorum in curiis. 2. Ratione conſuetudinis, ut Parochi reſpectu peregrinantium, vagabundorum, eleemoſynarii reſpectu militum in caſtris, non vero in præſidiis. 3. Privilegio, ut Regulares in Commenſales continuos, ac Novitios, prout declaravit Clemens X. *anno* 1670. & multi alii SS. Pontifices ante ipſum, & ſupremus Senatus Pariſienſis *anno* 1688. *&* 1691. *apud Billuart*. Juriſdictionem delegatam habent alii Confeſſarii vel per examen, vel alio modo, & illi ſolum ea ſubdelegare poſſunt, qui habent ordinariam, *Bonifac. VIII.* niſi ſit legatus Papæ ob ſummam poteſtatem delegantis, *Cap.* 22. *de Appell.* vel niſi ſit delegatus cum facultate ſubdelegandi; vel ſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum, poteſt aliquos ſaltem actus ſubdelegare. Amittitur, 1. juriſdictio ordinaria privatione officii, cui annexa eſt; quia deſtructo principali corruit acceſſorium. 2. Delegata illimitate conceſſa revocatione. 3. Ad tempus conceſſa exſpirat elapſo tempore præfixo: non exſpirat tamen præciſe morte, vel amotione delegantis, *Lug. Suar. Billuart, & alii contr. S. Antonin.* quia eſt conceſſio gratioſa, & acceptata, quæ morte, vel amotione concedentis non exſpirat, *Cap. ſi ſuper gratia in 6. libr. 1. tit. 14.* & ita uſu eſt receptum; nec exſpirat facultas abſolvendi a reſervatis, *Billuart contra Pont. & Paul. Lugd.* quia non minus eſt conceſſio gratioſa, & acceptata, quam juriſdictio,

ctio, & approbatio pro aliis peccatis non reſervatis; nec magis eſt in præjudicium ſucceſſoris, qui utramque poteſt revocare; quod pro majori tamen ſecuritate ex uſu Diœceſis dijudicandum eſt.

Hinc: Juriſdictionem delegatam habere poſſunt Confeſſarii non curati, 1. ab Epiſcopo loci electo, ac confirmato; quia habet juriſdictionem, licet nondum ſit conſecratus. 2. A Capitulo ſede vacante; quia Epiſcopo ſuccedit quoad juriſdictionem. 3. A Vicario Generali. 4. A legato Papæ, vel alio Prælato Juriſdictionem epiſcopalem habente in loco a juriſdictione Ordinarii exempto. 5. A Parocho, niſi a Papa, vel Epiſcopo pro tota Diœceſi ſit approbatus, & deputatus. 6. A Superiore regulari, nempe Generali, vel Provinciali, pro ſuis ſubditis, quia reſpectu ſuorum ſubditorum juriſdictionem exercent quaſi Epiſcopalem, & locales, ut Parochi, *P. Gerv.* non tamen pro Monialibus, licet ipſis ſubditis Confeſſarios deputare poſſunt, niſi ab Epiſcopo diœceſano prius idonei judicentur, & approbationem obtineant, *Greg. XV. Clem. X. Benedict. XIII. & XIV.* quibus etiam in anno bis, vel ter extraordinarii offerri debent, *Concilium Trid. Seſſ.* 25. *c.* 10. *de reform.* & ſi nulla ratione poſſent adduci, ut confiteantur ſuis Regularibus, poteſt Epiſcopus concedere ſæcularem, *Bonagr. Baſſ.* non poteſt autem deſignare Abbatiſſa extraordinarium, niſi tacite conſentiente Superiore, *P. Gerv.* Approbatus generaliter non eſt approbatus pro Monialibus, & approbatus pro uno Conventu Monialium, non eſt approbatus pro aliis, *Clem. X. cit.* ac proinde non poſſunt Moniales, etiam exemptæ, confiteri valide, nec tempore Jubilæi (*S. Congr. Conc. Trid. Inſtr. Paſt. diac. Baſil.*) aliis Confeſſariis ab Epiſcopo non ſpecialiter pro Monialibus approbatis, vel a viſitatione ab Epiſcopo, vel Legato Papæ pro approbandis Confeſſariis pro Monialibus ipſi ſubjectis deputato, vel a Prælato Monaſterii ſiti in territorio Prælati regularis nullius Diœceſis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente, quandoquidem hujus generis Prælati veris annumerantur Ordinariis locorum, *Ben. XIV.* bene autem poſſunt Religioſi confiteri, & abſolvi ab approbato a ſuis reſpective Superioribus, licet ab Epiſcopo non approbato; quia Concilium Trid. & SS. Pontifices circa horum confeſſionem nihil immutarunt; non vero ab aliis, etiam Regularibus quantumvis ab Epi-

ſcopo approbatis, ſi vi ſtatuti, præcipue a Papa approbati extra proprium ordinem confiteri nequeant, niſi ex ſpeciali deputatione ſuorum Superiorum, *Clem. VIII. apud Bill.* vel cum licentia expreſſa, vel tacita ſuorum Superiorum, *ibid.* apud nos deputantur Confeſſarii pro fratribus in Capitulis provincialibus a definitorio, aut quando alias ſunt congregati, vel intra tempus a Provinciali; & urgente neceſſitate, ut ſi deputati morerentur, vel eſſent ægroti, aut alias non poſſent fungi ſuo officio, a Superiore locali, ut Guardiano, vel Vicario in Guardianorum diuturniori abſentia per modum proviſionis, donec interim a Provinciali approbationem obtineant. Deputatio ordinarie durat de Capitulo ad Capitulum. Intra tempus Capituli mutatus non poteſt valide excipere confeſſiones in alio Conventu, in noſtra tamen provincia poteſt cum licentia Guardiani in illa pergere, donec obtineat a Provinciali confirmationem, nec in priori familia, cognita certe ſua mutatione; quia ceſſat eſſe membrum illius; poſſet tamen audire confeſſiones fratrum cum licentia Guardiani, vel Vicarii illo abſente etiam pro tempore Capituli conſtituti, quamvis jam mutati; quia ſuam poteſtatem retinet, donec diſcedat, vel alius illius loco adveniat, *P. Bonagr.* mutantes Confeſſarium ſemel electum ſine licentia Guardiani, & rationabili cauſa non petendi licentiam, peccant venialiter, *P. Gerv.* ſi non contra conſtitutiones non obligantes ſub veniali, ſaltem defectu finis honeſti, ac rationabilis. Itinerantes in noſtra provincia, ſive in eadem, ſive in diverſa ſint obedientia, ſibi in via extra Conventus occurrentes poſſunt ſibi invicem confiteri, ſi alias fuerint deputati, *Bonagr.* & ſi ſint in eadem obedientia etiam in Conventibus intermediis, donec ad ſua loca deſtinata perveniant, vel alteri ex deputatis illius familiæ, *Bonagr.* imo poſſunt fratres noſtri ſibi invicem confiteri extra Conventum, modo pro ſæcularibus ſint approbati, & ſi nullum ex Ordine noſtro Confeſſarium habeant, etiam ſæculari a ſuo Ordinario, vel regulari a ſuo Superiore regulari ad ſacramentales confeſſiones, nempe ſuorum Religioſorum approbato, etiam quoad caſus reſervatos, cenſuraſque, cum obligatione tamen de novo ſuper caſibus reſervatis, & cenſuris abſolutionem a ſuo Superiore impetrandi, *Bened. XIV.* 1742. deputatus pro certa familia poteſt ubique fratres illius familiæ abſolvere, *P. Gerv.* 3.

Pro

Pro ſæcularibus debent Regulares, etiam exempti approbari ab Epiſcopo, *Concilium Trid.* etiam Doctores, Licentiati, Profeſſores Theologiæ graduati; non convenit tamen, ut Doctores, & Profeſſores Theologiæ examinentur, & ita S. Pium V. quoad Lectores mendicantium, & in Theologia ex licentia ſuorum Superiorum graduatos declaraſſe; aſſerit Baſſæus, nec poſſunt Regulares concionari in alienis Eccleſiis ſine licentia Epiſcopi, quia illam poteſt pro beneplacito limitare, vel revocare; nec in propriis; niſi perſonaliter ſe ſiſtant Epiſcopo pro illius benedictione petenda; qua non obtenta poſſunt in ſuis Eccleſiis prædicare, non vero ipſo contradicente, *Clem. X. & Edict. Reg. an.* 1695. *art.* v. 9. Poſſunt Regulares exempti ab Epiſcopo abſolute approbati ſine licentia ſuorum Superiorum, valide excipere confeſſiones; *March. & alii*; quia valor dependet a voluntate Epiſcopi: non vero licite; quia eſt opus contra obedientiam in re gravi; imo nec valide; ſi per ſententiam Superioris ſint ſuſpenſi; vel nominatim denunciati; vel eſſent Ordinis Prædicatorum, vel S. Benedicti, ex ſpeciali decreto Julii III. *Paul. Lugd. & P. Gerv.* 10. Approbatus in una Diœceſi non eſt approbatus in alia, *Alex. VII. in damn. propoſ. contraria apud Bill.* & habens licentiam eligendi Confeſſarium; ut Prælati ſæculares inferiores Epiſcopo, Paſtores, &c. non poſſunt eligere niſi approbatum. 11. Habens juriſdictionem ordinariam, v. g. Parochus, poteſt confiteri cuilibet habenti approbationem, quod tamen non intelligitur de Abbatiſſa *P. Gerv.* 12. Parochus totam ſuam juriſdictionem ſubdelegare poteſt; quia habet juriſdictionem ordinariam. Subdelegatus ab ipſo Parocho ægrotante; vel abſente poteſt ſubdelegare alium quoad aliquos actus, ut ad benedicendum Matrimonium, vel miniſtrandum Viaticum, &c. *P. Gerv.* quia eſt delegatus in univerſitatem cauſarum. 13. Mortuo Epiſcopo, manent Confeſſarii ut antea approbati; etiam pro reſervatis, *Baſſa.* & ob paritatem rationis etiam pro cenſuris; quia ſunt gratiæ ejuſdem rationis; niſi alia obſtet Diœceſis conſuetudo: exſpirat tamen poteſtas conceſſa pœnitenti quemlibet approbatum eligendi pro reſervatis mortuo concedente nondum facta electione, *Bill.* quia re adhuc integra gratia non eſt acceptata a Confeſſario; ſecus ſi confeſſionem jam incepiſſet; *ibid.* exſpirat etiam mortuo Epiſcopo illius Vicarii juriſ-

dictio, *P. Gerv. & alii*; quia idem fecit cum Epiſcopo tribunal, quod ſede vacante devolvitur ad Capitulum: non vero mortuo Parocho exſpirat juriſdictio illius Vicarii, *P. Gerv.* quia ita uſu eſt receptum. 14. Epiſcopus valide, ſed non licite denegat, vel revocat approbationem ſine cauſa ſpectante ad confeſſionem, vel utilitatem Eccleſiæ, *Clem. X. Bonac. & alii*; quia Epiſcopi 1. *ad Cor.* 4. non ſunt Domini, ſed diſpenſatores, quia non ad nutum, ſed juxta Eccleſiæ utilitatem Myſteria Dei diſpenſare debent; ob cauſas tamen ſupervenientes confeſſionem concernentes approbationem revocans, non tenetur eam manifeſtare Religioſis, *Clem. X. & Edict. Reg. an.* 1695. *art. XI.* ſed Sedi duntaxat Apoſtolicæ, *Clem. X.* nec poteſt Religioſos prævio examine a ſe ſimpliciter ſine præfixione temporis approbatos iterum examinare, *Clem. X.* cujus Bulla tamen quoad hoc in Gallia non eſt acceptata, *Tourn.* 15. Confeſſio bona fide cum approbatione incepta poteſt continuari etiam effluxo tempore approbationis, *Lug. & alii multi apud P. Gerv.* ſecurius tamen in praxi videtur tenendum, & ad alium mittendus. 16. Habens in duobus locis domicilium ad tempus, juriſdictioni utriuſque Parochi ſubeſt; debet tamen juxta probabiliorem abſolvi ab eo, in cujus Parochia moratur inſtante præcepto confeſſionis, *Sylvius*, *Billuart*, *& alii*; niſi uterque eſſet pro tota Diœceſi approbatus. 17. Invalide abſolvit ignorans, ſe eſſe approbatum, licet in re approbatio fuiſſet conceſſa; quia, ut valeat, debet eſſe acceptata: Religioſus tamen ignorans, vel non advertens, caſum eſſe reſervatum, valide abſolvit, ſi illius Religio habeat privilegium illum abſolvendi, licet illud ipſe ignoret; quia ſufficit ipſa acceptatio a Generali, vel alio, nomine Religionis, modo habeat intentionem abſolvendi, quidquid poteſt, quamvis ignoret titulum. *Lugd. P. Gerv.* & modo non ſit ſimul Epiſcopo reſervatus.

Quær. 10. *Quinam poſſint reſervare caſus, & quot requirantur conditiones, ut caſus ſit reſervatus?*

Dico. Quilibet Superior Eccleſiaſticus conferens juriſdictionem pro ſuis ſubditis, videlicet Pro Papa pro Eccleſia, Epiſcopi, Prælati regulares. Generales, & Provinciales pro ſuis ſubditis habent jus, ex legitima cauſa ſibi reſervandi caſus quoſdam ſpeciales in foro etiam interno, a quibus inferiores Sacerdotes non poſſunt abſolvere; quia,

quia, cum poſſint totam recuſare juriſdictionem, etiam poſſunt illius partem negare in ordine ad aliquos caſus, & patet ex Concilio Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 11. *& Seſſ.* 7. *cap.* 7. Regulares tamen Superiores poſſunt non niſi undecim a Clemente VIII. ſpecificatos reſervare, non vero plures, *Paul. V.* bene autem pauciores; quia non tenentur omnes reſervare. Ut caſus de facto ſit reſervatus, quinque requiruntur conditiones, videlicet 1. debet eſſe peccatum externum; quia ita habet conſuetudo Eccleſiæ. 2. In ratione actus externi mortale; quia venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis. 3. Certum, non dubium, nec facti, an nimirum illud commiſerit, vel graviter peccaverit, de quo omnes conveniunt; nec juris, an in lege reſervationis comprehendatur; quia probabilius Eccleſia ordinarie nec iſtos intendit reſervare, ut communius docent Doctores, & jure præſumitur; non ſufficit tamen dubium juris particulare ex ignorantia indocti Confeſſarii, ſed prudentum ex ambiguitate legis proveniens. 4. Completum in ſua ſpecie, quia cum reſervatio ſit odioſa, eſt ſtrictæ interpretationis. 5. A pubere commiſſum, ſaltem quoad Papales ratione excommunicationis annexæ; quam impuberes ordinarie non incurrunt, *vid. de cenſuris;* neutiquam vero publicum, ſeu notorium, niſi ſub hac conditione reſervetur; nec ignorantia reſervationis, etiam invincibilis, impedit reſervationem; quia non pœnitentem, ſed Confeſſarium, etiam nolentem, afficit.

Hinc 1. Parochus de facto non poteſt reſervare caſus; quia de facto non amplius confert juriſdictionem, ſed Epiſcopus ſolet illam dare in tota Diœceſi iis, quos approbat, etiam Parochis extra ſuam Parochiam; nec Superiores locales, ut Guardiani, *Baſſæ.* 2. Peccant Superiores reſervantes caſus ſine legitima cauſa, vel in damnum ſubditorum, ut reſervando non admodum graves, vel nimis frequentes; quia ſine ratione ſubditos gravant, confeſſionem nimis reddunt difficilem, ſibi, & ſubditis nimiam cauſant moleſtiam, *Gob. Laym.* valet tamen reſervatio; quia manet juriſdictionis reſtrictio. 3. Non poſſunt Regulares aliquid ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibere, reſervando ſibi abſolutionem, *Baſſæ. Caſp. Sanch.* quia eſſet in fraudem Legis Pontificiæ prohibentis reſervationem ultra undecim caſus a Clemente VIII. ſpecificatos, ut declaravit *S. Congr.* 1167. *apud Baſſæ.* 4.

Non incurrit reſervationem committens furto levi ſacrilegium, vel ex negligentia venialiter culpabili homicidium, vel furando avaro obolum cum prævisione, vel intentione mortis; quia ratione materiæ, vel actus externi ſolum ſunt venialia, quamvis ratione interni ſint mortalia. 5. Nec caſum reſervatum incurrit dubitans, an peccatum commiſerit, vel an conſenſum, & advertentiam ſufficientem habuerit, vel in decreto reſervationis comprehendatur, modo hoc ultimum non ex ignorantia, ſed ex ambiguitate reſervationis proveniat; quia debet eſſe certum certitudine facti, ac juris; quamvis poſtea reſervatum fuiſſe conſtet, manet abſolutus, *Suar. Gob. & alii*; quia cum peccatum dubium non ſit reſervatum, directe abſolvitur. Excipiuntur tamen communiter caſus Bullæ cœnæ, *S. Congr. ſub Clem. VIII.* 1601. ſi ſit dubium levi innixum rationi, ſi vero ſit poſitivum, poteſt eligi mitior, vid. *P. 1. Tr. de act. hum.* Q. 5. *quær.* 6. *Hinc* 2. *num.* 4. 6. Nec quis reſervationem incurrit per hæreſim internam; quia non eſt peccatum externum; nec Clericum animo graviter vulnerandi, venialiter percutiens; nec affectu fornicario manus Monialis leviter tangens; nec cum intentione calicem furandi ſex tantum aſſes in Eccleſia reperiens, & auferens; quia licet interno actu mortaliter, externo tamen tantum venialiter, nec reſervationem incurrit animo inimicum occidendi tantum vulnerans, vel voluntate furandi in Eccleſia ſcalas applicans, vel arcum tantum aperiens, vel in adulterio, vel inceſtu metu prolis copulam ſine ſeminatione abrumpens; quia licet inchoando graviſſime peccaverit, non tamen externe juxta tenorem reſervationis conſummavit; ſic tactus levis manuum, licet affectu libidinoſo, vel impudico fiat, vel una parte non conſentiente, non eſt caſus complicis; quia licet caſus complicis non reſervetur Superiori, ſed a quolibet non complice abſolvi poſſit, eodem paſſu, ac alii reſervati ambulat, & debet eſſe opere externo contra caſtitatem mortale, & ex utraque parte, *Billuart*; quia ſi ex una tantum parte ſit, non eſt complex, ſed objectum criminis; & ſi in decreto reſervationis alicujus caſus habetur, *temere, præſumptuoſe, ex contemptu*, reſervationem non incurrit, ſi ex negligentia, vel ignorantia, etiam graviter culpabili, id fecerit; quia illi non temere; vel præſumptuoſe, vel ex contemptu agere cenſentur,

tur,

tur, niſi ignorantia eſſet affectata; ignorans tamen etiam invincibiliter caſum reſervatum, cum incurrit, ſi ſit Epiſcopalis; non vero, ſi ſit Papalis; quia iſti ob cenſuras duntaxat ordinarie ſunt reſervati, quas ignorantes non incurrunt, niſi ignorantia eſſet mortaliter culpabilis graſſa, vel ſupina, *Billuart.*, *& alii*; vel affectata, ſi ſint contra ſcienter, temere, conſulto violantes latæ. Vide infra *Tr.* 6. *de cenſuris Q.* 1, *quær.* 3. *Hinc* 2. *num.* 5. 7. Exſpirant caſus Domino Epiſcopo reſervati ipſo mortuo, non vero Epiſcopatui per modum ſtatuti reſervati, *Baſſa*; & continuatur facultas pro illis abſolvendis ab eo conceſſa, niſi alia fiat a Capitulo, vacante ſede, vel ab ipſius ſucceſſore diſpoſitio, ut ſupra de juriſdictione dictum eſt.

Quær. 11. *Quiſnam a reſervatis abſolvere poſſit?*

Dico. A caſibus reſervatis abſolvere poteſt 1. illos reſervans, vel illius ſucceſſor, vel illius Superior in eodem foro, et Papa, & Archiepiſcopus in actuali viſitatione; quia extra viſitationem non eſt Superior, niſi quoad forum exterius. 2. Quivis alius a prædictis facultatem abſolvendi habens; quia, ſicut tota juriſdictio, ſic etiam pars illius in ordine ad reſervatos delegari poteſt.

Hinc 1. Poteſt Papa in tota Eccleſia omnia peccata abſolvere, etiam reſervata Epiſcopis, ac Superioribus Regularibus, eandemque aliis poteſt conferre poteſtatem; habens tamen poteſtatem abſolvendi a Papæ reſervatis, non ideo habet a caſibus Epiſcopi, *Clem.* X. nec habens ab omnibus caſibus, ac cenſuris Epiſcopo reſervatis, ideo habet a Papæ reſervatis, & quibus Epiſcopus per accidens, aut propter impedimentum canonicum duntaxat abſolvere poteſt, & minus ab hæreſi: tempore Jubilæi vero Papa concedens a reſervatis probabilius etiam cenſetur dare a reſervatis ab Epiſcopo, *Baſſa. Nav. Bonac. Suar. & alii*; quia ita communiter uſu receptum; in praxi tamen non fiat ſine conſenſu Epiſcopi, qui ſubinde rationes habere poteſt, etiam tempore Jubilæi ſibi quoſdam caſus reſervandi; nec aliter ſentire cenſetur S. Pontifex.

Hinc 2. Poſſunt Epiſcopi 1. abſolvere a caſibus a ſe, vel a Statuto diœceſano reſervatis per ſe, vel per ſuos Vicarios. 2. Ab omnibus Papæ reſervatis per ſe, vel Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ directe, & ſine onere ſe præſentandi, quando peccata ſunt

occulta, & ad forum contentioſum non deducta, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 6. *de ref.* exceptis caſibus Bullæ cœnæ, *Billuart;* & patet ex damnatione propoſitionis. 3. ab Alex. VII., ubi nimirum prædicta Bulla debite eſt publicata, & acceptata; quia Bullæ, ſicut & Lex pontificia non ſolent obligare, niſi ſint promulgatæ, & acceptatæ, præcipue in Gallia, ubi prætendunt Epiſcopi, ſe habere juriſdictionem immediate a Deo, qui eos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, *Act.* 20. ac Jure divino Miniſtros eſſe pœnitentiæ abſque reſtrictione ſuperioris tribunalis ipſis invitis, *Thomaſſin. apud Durand Dict. de Droit can.* cenſentur autem peccata occulta, quando non ſunt majori parti viciniæ, Collegii, Monaſterii, vel Parochiæ cognita, *P. Gerv.* vel quando negatione, aut tergiverſatione celari poſſunt, *Bil.* & ad forum contentioſum deducta, quando denuntiatione, vel accuſatione coram Judice facta reus citatur; quia citatio eſt primus actus judicii, *ibid.* in judicio vero abſolutus defectu probationum poteſt etiam abſolvi ab Epiſcopo; quia caſus cenſetur tunc occultus, & a judicio dimiſſus. 3. Poſſunt etiam Epiſcopi per ſe, vel ſuos Vicarios generales abſolvere a Papæ reſervatis publicis (etiam Bullæ cœnæ, *Suar. Lugd.*) quando delinquens habet impedimentum canonicum recurrendi ad Papam, *Cap.* 6. *de Sent. excom.* vel ad illius delegatum, *Lug. Nav. Bonac. & alii;* cum onere ſe ſiſtendi Papæ, vel illius delegato pro ſatisfactione, ceſſante impedimento ſub pœna reincidentiæ, *Lugd. & alii;* quod in Gallia non ubique viget: poſſuntque ad hoc alios deputare excepta hæreſi, niſi alio privilegio præditi ſint; *P. Gerv.* quod ordinarie petunt. Impedimenta autem canonica his verſibus ſunt contenta;

Regula; mori, ſexus; hoſtis; puer; officialis,
Delicioſus, inops, egerque; ſenexque, ſodalis,
Janitor, adſtrictus, dubius cauſa; levis ictus;
Debilis, abſolvi ſine ſumma ſede merentur.

Quibus additur quodlibet aliud, quod pro arbitrio prudentis judicatur legitimum, *Baſſ. Bonagr.* imo diſtantia 20. leucarum, ait Rodriquez *apud P. Gerv.* 4. Eandem habent poteſtatem, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes in ſuos ſubditos, ut Abbates nullius Diœceſis in ſuo territorio nullius Diœceſis dicto, Generales, ac Provinciales exemptorum in ſuos ſubditos; quia in eos juriſdictio-

dictionem exercent quaſi Epiſcopalem, *Tourn. Durand Dict. de Droit canon. P. Gerv.* caſus autem Epiſcopales non incurrunt exempti, *P. Gerv. Pont. Durand cit.* quia, cum eorum Confeſſarii a ſuis propriis Superioribus habeant approbationem ac juriſdictionem, ab Ordinario non reſtringitur. Moniales vero exemptæ immediate SS. Pontifici ſubjectæ, & ab Epiſcopis juxta Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 9. tanquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ gubernandæ, vel exemptæ Superioribus Regularium exemptorum ſubjectæ, quarum Confeſſarii juxta Bullam Greg. XV. & Bened. XIV. ab Ordinariis ſunt approbandi, incurrunt caſus ab Epiſcopis pro Monialibus ſpecialiter reſervatos in materia clare ſpectante ad juriſdictionem delegatam, non autem ab iis generaliter reſervatos, *S. Congr. Card.* 16. *Nov.* 1720. *Donat. & alii in Bull. P. Mich. Tug.* & a ſuis Superioribus regularibus juxta decretum Clem. VIII. reſervatos; *Lezàn. Cleric. ibid.* quia non obſtantibus Bullis SS. Pontificum juriſdictionem retinent deputandi pro ipſis Confeſſarios cum conditione approbationis Ordinarii, *Bened. XIV.* ac proinde eam reſtringendi juxta conceſſionem Clem. VIII. a quibus ſine eorum licentia abſolvi nequeunt, *Auctores citati*; quia illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare; non exemptæ vero ſubjectæ Epiſcopis eorum caſus, & cenſuras etiam generaliter reſervatas incurrunt, *Donat. Clericat.* Poſſunt quoque noſtri Generales, ac Provinciales ſibi ſubditos abſolvere ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Bullæ cœnæ, *P. Gerv. & alii*; quia revocatio in ea contenta, aliæque declarationes Cardinalium non reſpiciunt abſolutionem Regularium, ut declaravit Jul. II. Clem. VIII. & alii apud *P. Gerv.* etiam hæreticos relapſos, Simoniacos pro utroque foro, *Bonagr.* ſaltem extra Italiam, ubi inquiſitio non viget, *P. Gerv.* quia eandem habent poteſtatem abſolvendi in ſuos ſubditos, quam Epiſcopi in ſuos, *Durand ſupra citatus*, & a variis SS. Pontificibus, & a jure ita fuit conceſſum *apud P. Gerv.* & ob impedimentum canonicum, ne Regulares cum ſcandalo, & ſalutis ſuæ periculo per mundum circumvagare debeant; etiam cum facultate Provincialibus ultramontanis conceſſa procedendi contra ſuos ſubditos in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, *S. Congr. Rom. Inq. gen. ſub Urb. VIII.* 1725. 3. *Jul.* ab Ordinariis tamen, vel a Nuncio denominatim excommunicatis non detur abſolu-

tio,

tio, niſi 1. a contumacia recedant. 2. Ut ſatisfactionem exhibeant, aut promittant, in quantum poterint. 3. Ut Judex cenſuram ferens reddatur certior de obedientia præſtita, & conſentiat; nec ab alia cenſura ab homine per ſententiam particularem lata, *Paſſerin.* Prædicta poteſtas a caſibus papalibus, ac cenſuris abſolvendi etiam ſe extendit ad Novitios non ſolum habitu indutos, ſed inveſtiendos, modo mox Religionem ingrediantur; alias reincidunt in eaſdem ſententias, *Innoc. IV.* & ab aliis poſſunt abſolvi ut profeſſi; quia per ingreſſum Religionis mutant forum ſicut tranſiens in aliam Diœceſim, & reputantur in favorabilibus Religioſi, ac ſubjacent juriſdictioni Superioris ut profeſſi; *Tourn. Bill.* & illorum Confeſſarii non ab Ordinario, ſed ab illorum Superiore approbationem habent, *Bill.* & ita jura concedunt, nec incurrunt Novitii caſus Regularium, *P. Gerv.* quia ſunt quid odioſum, & ipſi non ſunt ſtricte Religioſi. Eandem poteſtatem habent Guardiani, & alii Superiores locales, ac alii Confeſſarii deputati pro reſervatis in Capitulo, aut Congregatione a definitione, & alio tempore a Provinciali ſine onere amplius ſe ſiſtendi. *Clem. XIII.* & in foro duntaxat conſcientiæ, & pro uſu Sacramentorum, *Cap. Gen. an.* 1613. 5. Religioſos mendicantes extra Italiam, & a ſuis Superioribus Epiſcopo legitime præſentatos, ac ab eo approbatos poſſe in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ad ſe recurrentes, ab omnibus peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & a quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, exceptis in Bulla cœnæ contentis, vel Epiſcopo reſervatis, probant *Rodriq. P. Gerv. & alii*; ac noviſſime Bill. P. Mich. Tugienſis in ſuo Bull. ex conceſſione *Pauli III.* & aliorum SS. Pontificum, ac ex declaratione S. Congr. Card. ſub Urb. VIII. 17. Nov. 1618. Nec requiri formam abſolutionis publicæ cum flagellatione, & Pſal. *Miſerere*, *Leo X.* ſi tamen cauſa ad forum contentioſum eſſet deducta, vel probabiliter deducenda, aut eſſet publicus clerici percuſſor, non eſſet abſolvendus a Privilegiato; ſicut nec ab aliis cenſuris notoriis abſque Epiſcopi conſenſu, etiam in foro tantum conſcientiæ, quamvis abſolutio in foro conſcientiæ eſſet valida, ac licita juxta *P. Gerv.* & alios; & abſolutus a privilegiato in foro interno cogente Epiſcopo ſe gerere debet, quaſi non abſolutus,

lutus,

lutus; quia mendicantes vi previlegiorum non poſſunt abſolvere in foro externo, *Clem. X. 1670. in Bullario P. Mich. Tug.* nec eſt abſolvendus in foro conſcientiæ, niſi præſtita ſatisfactione parti læſæ, vel illius cautione, ac juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ, *ita in jure*; nec poſſunt abſolvere a caſibus Bullæ cœnæ, *Alex. VII.* nec ab irregularitate, *Bill.* quia irregularitas non abſolvitur, ſed diſpenſatur; nec a cenſuris ab homine latis, *ibid.* quia non reſultant ex caſibus, ſed infligi ſolent; nec a reſervatis Epiſcopo ſine illius licentia, *Urb. VIII. Clem. X. Alex. VII.* nec tuto uti prædicta poteſtate abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, niſi ubi uſu eſt recepta; nec ipſi, nec alii uti debent alio privilegio, vel indulto uſu nondum recepto abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, vel ab hæreſi, vel diſpenſandi in irregularitate, niſi indulto prius Ordinario exhibito, & ab eo recognito valide obtento, *Declar. Card. 9. Jan. 1601. approbante Clem. VIII. pro Ital. & Cler. Gall. apud Durand. Dict. de Droit canon.* exceptis tamen indultis S. Pœnitentiariæ, *ibid.* 7. Si nec Papa, nec Epiſcopus, vel alius ab illis delegatus accedi poſſit pro reſervatis, poteſt etiam abſolvere Parochus, vel illius Vicarius, aut alius ſaltem indirecte urgente gravi neceſſitate communicandi, vel celebrandi, ut pro vitando ſcandalo, &c. *Suar. Gob. Tamb. Sill. & alii*; quia cenſetur Eccleſia conferre juriſdictionem pro abſolutione indirecta, ut ſatisfiat præcepto divino de confeſſione præmittenda Euchariſtiæ; debet tamen reſervatis ſuperaddi non reſervatum jam confeſſum, ſi non habeat alia peccata, *Bill.* quia alias non haberet materiam pro abſolutione directa, & denuo illud confiteri habenti poteſtatem illud directe abſolvendi.

Hinc 3. Non poteſt 1. Superior caſus reſervans auditis ſolis reſervatis illa ſacramentaliter abſolvere, non auditis aliis; quia non poteſt dimidiare confeſſionem ſine neceſſitate; poteſt tamen illorum tollere reſervationem, & præſcribere media non auditis aliis. Etiam tollitur reſervatio per confeſſionem ſive ex defectu contritionis, ſive propoſiti, ſive integritatis invalidam, modo non circa ipſum reſervatum ſit invalida, *P. Gerv.* & confeſſio fiat caſum reſervanti, *ita com.* quia ſatisfactum eſt fini reſervationis, & ſufficit, quod velit, & poſſit reſervationem tollere ſine abſolutione ſacramentali, ac proinde in ſequenti confeſſione

Digitized by Google

feſſione poteſt a quolibet abſolvi; ſecus ſi facta ſit a delegato, *Tourn. Thom. ex Charm.* quia delegatus non niſi per abſolutionem ſacramentalem, & validam, reſervationem tollere poteſt. 2. Bona fide confitens reſervatum non habenti poteſtatem, & Confeſſarius poſtea advertens errorem, tenetur quo citius poteſt, ſecluſo ſcandalo, vel gravi ſuo, vel pœnitentis incommodo, pœnitentem ad ſe vocare, & obtenta licentia loquendi de confeſſione, eum monere, ut remedium per abſolutionem alterius habentis poteſtatem abſolvendi quærat; vel ſi ordinarie illius confeſſionem audiat, poteſtatem abſolvendi a tali peccato a Superiore poſtulet, & in proxima confeſſione facta ſaltem generaliter accuſatione a peccatis in ultima auditis, eum abſolvat, *Thom. ex Charm.* ex oblivione vero peccati reſervati immemor in confeſſione facta habenti poteſtatem a reſervatis etiam indirecte tantum abſolvitur, & denuo illud confiteri tenetur habenti a reſervatis, *Tourn. Thom. ex Charm.* quia non ſatisfactum eſt fini reſervationis, niſi Confeſſarius declaraſſet ſe intendere abſolvere etiam a peccatis reſervatis forte oblitis, vel ſi factum fuiſſet tempore Jubilæi, *Tourn. Thom. ex Charm. Cit. & comm.* quia in ordine ad Jubilæum lucrandum omnis tollitur reſervatio; immemor tamen cenſuræ confitens habenti poteſtatem etiam tantum delegatam a cenſuris abſolvitur per illa verba generalia, *ab omni vinculo &c.* ita ut alia abſolutione non indigeat, *Lug. Coninck, apud P. Gerv.* quia Confeſſarius declarat, & intendit abſolvere ab omni vinculo excommunicationis, &c. 3. Si Epiſcopus reſervet caſus Papæ reſervatos, quod quidem, ut ajunt Auctores, ſine legitima cauſa fieri non debet, habens a reſervatis Papæ non poteſt ab illis abſolvere, *Billuart. contra P. Gerv.* quia approbatio illi eſt reſtricta, ſine qua nihil poteſt, nec in Papales; bene autem ab iis, quia tantum devolvuntur ad Epiſcopum; quia non ſunt proprie reſervati Epiſcopis, ſed potius ipſis illorum abſolutio permiſſa, *Billuart.* 4. Peccat Superior recuſans a reſervatis poſtulanti facultatem, ut ab alio a reſervatis abſolvatur, *S. Thom. apud Tourn.* & quidem contra juſtitiam, ſi id petat ob timorem gravis damni confeſſioni extrinſeci, ut revelationis ſigilli, odii Superioris, &c. & contra charitatem, ſi prævideat poſtulantem ob nimiam verecundiam non integre ſua peccata confeſſurum, vel confeſſionem nimis

mis dilaturum, vel deſperaturum; niſi cederet licentia petita in perniciem aliorum: recuſata autem licentia etiam juſte petit: non poteſt abſolvi directe a non habente poteſtatem, nec præſumi Papæ licentia extra mortis periculum; niſi recuſaret Superior regularis licentiam Confeſſario poſtulanti, & eam committi debere judicanti, qui pro illa ſaltem vice abſolvere poteſt, licentia etiam non obtenta; ut declarat Urbanus VIII. poteſt vero abſolvi ſaltem indirecte urgente gravi communionis neceſſitate ut ſupra, & tenetur Confeſſarius ſaltem ex charitate pro tali petere licentiam abſolvendi, *P. Gerv.* 5. Poteſtas conceſſa a reſervatis, etiam valet pro peccatis poſt conceſſionem de novo reſervatis, *P. Gerv.* habens Papæ reſervatis cenſetur etiam habere facultatem abſolvendi ab excommunicatione eis annexa; quia alias eſſet inutilis, cum prius debeat abſolvi ab excommunicatione, & propter illam ſpecialiter ſint reſervati. Habens vero a reſervatis Epiſcopo, non propterea habet a cenſuris Epiſcopo reſervatis; quia ſolet reſervare abſque cenſuris. Habens ab omnibus caſibus, ac cenſuris Epiſcopo reſervatis, non ideo habet a papalibus ad Epiſcopum ob impedimentum canonicum, vel ex conceſſione Concilii Trid. devolutis, *P. Paul. Lugd.* nec ab hæreſi; ſublata tamen cenſura a papalibus poteſt quilibet approbatus abſolvere; quia propter cenſuras ordinarie ſunt reſervati, ut communiter Theologi docent. 6. Vi Jubilæi abſolutus a reſervatis, & iterum reincidens poteſt eodem tempore Jubilæi iterum abſolvi, ſi iterum eadem bona opera præſcripta peragat, *Paul. Lugd.* 7. In articulo mortis non habens a reſervatis non poteſt abſolvere ab illis præſente a reſervatis habente; quia non eſt neceſſitas, & ſublata eſt. Duntaxat in articulo mortis reſervatio, ne quis hac occaſione pereat, *Conc. Trid. apud P. Lugd.* veniente vero appobato jam incepta confeſſione poteſt pergere, quia cum legitima poteſtate incepit, ut ſupra dictum eſt. Vide *Quær.* 8. *Hinc* 2. *num.* 7. 8. Quicunque præſumentes abſolvere extra Italiam a caſibus Bullæ cœnæ, ubi nempe uſu ſunt recepti, excommunicationem in ea contentam non reſervatam incurrunt, & intra Italiam extra Urbem Papæ reſervatam vi Bullæ Clem. VIII. ſicut eſt abſolvere præſumentes in Italia a quinque in ea Bulla Clementis VIII. & Pauli V. contentis, videlicet a violatione immunitatis Eccleſiæ; a vio-

violatione clauſuræ Monialium malo fine; duello; percuſſione Clerici, vel Monachi; & ſimonia reali, ac confidentiæ; vel ab Epiſcopis reſervatis; quia prædictæ Bullæ Clem. VIII. & Paul. V. ſpectant duntaxat ad Confeſſarios intra Italiam extra urbem degentes; qui a prædictis prætextu privilegiorum abſolvere præſumunt; *Paſſerin. Billuart.* & Regulares præſumentes in, vel extra Italiam abſolvere ſine facultate ab excommunicatione canonis; ſeu juris; vel a ſententiis; ſeu caſibus per Statuta provincialia, aut ſynodalia promulgatis, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam; *Clem. Rel. de priv.* præſumentes autem dicuntur; qui ſcienter, vel ignorantia affectata id faciunt; *Bill.*

Hinc 4. Habenti poteſtatem abſolvendi ab hæreſi in foro externo, obſervanda ſunt ſequentia 1. examinet pœnitentem de fine converſionis ad Fidem Catholicam; & ſi ſit tantum commodum temporale, ſuadeat ſupernaturale ſuæ ſalutis æternæ; & ſi non ſit baptizatus, vel dubie, debet prius baptizari a Parocho ſub conditione, ſi rationabiliter dubitet. 2. Eum inſtruat de præcipuis articulis Fidei; ut SS. Trinitatis; Incarnationis, Redemptionis, Myſteriorum in Symbolo Apoſtolico contentorum; de Sacrificio Miſſæ, numero Sacramentorum præſertim Euchariſtiæ; de reali Corporis Chriſti præſentia, & Confeſſione, de præparatione, & modo ſuſcipiendi Sacramenta; de Eccleſia, illiuſque infallibilitate; & capite S. Pontifice; Traditione; & vero ſenſu Scripturæ; de neceſſitate bonorum operum; de invocatione Sanctorum, veneratione Reliquiarum, & ſacrarum Imaginum, de Purgatorio, ac Indulgentiis, & aliis; in quibus errat illius Religio; de præceptis decalogi, & Eccleſiæ; de formatione Crucis; Oratione Dominica, Salutatione angelica; & ſi non poſſit omnia memoriter retinere; ut ſimplices, eum inſtruat, ut ſaltem neceſſaria neceſſitate medii, ac præcepti ſciat, ac credat. 3. Antequam confiteatur, prius faciat profeſſionem Fidei, ſi ſit hæreticus occultus, qui falſam religionem profeſſus eſt, occulte coram duobus, vel tribus teſtibus; ſi publicus; publice coram populo, quamvis non ſit abſolute neceſſarium, *Bonagr.* & poſtea eum abſolvat a vinculo excommunicationis ritu in qualibet Diœceſi præſcripto, & confeſſionem ejus audiat. 4. Si ratio exigat; ſaltem extra Galliam, ei dicat, quod maneat irregularis;

Digitized by Google

ris, & incapax ad Ordines, & Beneficia eccleſiaſtica; niſi accedat Papæ, vel alterius habentis poteſtatem diſpenſatio, non vero in Gallia; quia ibi hæretici non cenſentur irregulares; *Pont. vid. infra de irreg. Quær.* 3. *Hinc* 1. & ei det literas teſtimoniales, eum inſcribat cathalogo neo-converſorum, nomen, cognomen, ætatem, patriam, hæreſim, a qua abſolutus, teſtes, diem, annum, &c. & iſta ſimiliter mittat Reverendiſſimo D^omino Vicario-Generali, ubi ita ordinatum eſt.

Quær. 12. *Quænam requirantur ex parte Miniſtri ad licitam abſolutionem?*

Dico. Ad licitam abſolutionem ex parte Miniſtri requiritur Bonitas moralis, quæ in tribus conſiſtit, videlicet 1. in ſtatu gratiæ ſaltem per contritionem perfectam tempore abſolutionis, aliiſque virtutibus, præcipue patientia, manſuetudine, charitate, magnanimitate; nihil diſſimulando, nihil timendo; ſine perſonarum acceptatione; omnes, parvum, ut magnum audiendo; *Deut.* 1. 17. & 2. *Paral.* 19. 2. In ſcientia Theologiæ moralis in ſtatu ſaltem mediocri, *Paul. Lugd.* ita, ut poſſit (cum ratione ſui officii ſit Judex, Medicus, & Doctor) tanquam Judex legitimam ferre ſententiam; tanquam Medicus diſcernere inter lepram, & lepram, id eſt inter mortalia, & venialia, ſpeciem, & numerum, ac remedia contra illa ſuggerere oportuna; tanquam Doctor, ignorantes docere viam veritatis, ac virtutis. 3. In prudentia examinando, medendo, abſolutionem impertiendo, differendo, vel negando, obligationes injungendo, monendo, & defectus ſupplendo.

Hinc 1. Defectu *ſtatus gratiæ* graviter peccat in mortali abſolvens, non vero confeſſionem ſolum audiens; quia Sacramentum abſolutione perficitur; & ex defectu virtutum leviter, vel graviter prout impatientia, diſſimulatione, timore humano, acceptatione perſonarum gravem, vel levem committit exceſſum, vel errorem.

Hinc 2. Defectu *ſcientiæ* graviter peccat 1. tanquam Judex ignorans materiam pro Sacramento neceſſariam, formam, diſpoſitionem pœnitentis eſſentialem, caſus reſervatos, excommunicationes uſitatiores, quas ipſe abſolvere nequit; caſus communes reſolvere, & dubitare de difficilioribus, inquirere, ac conſultare; non enim tenetur ſtatim omnia decidere, præcipue in rebus magni momenti, &

& in materia juſtitiæ ; nec expedit in momento decidere, quæ diu in judicio diſcuti ſolent ; ſed det tempus pœnitenti, ac ſibi melius reflectendi, an non forte aliquæ circumſtantiæ a reſtitutione, vel ſtatim facienda excuſent, & interim, ſi cæteroquin ſit diſpoſitus, & ſinceram ſatisfaciendi voluntatem habeat, eum abſolvat, &, ut poſt certum tempus redeat, ei injungat. 2. Tanquam Medicus inter lepram, & lepram diſcernere non valens, nempe quænam mortalia ex genere ſuo, vel venialia, vel cujus ſpeciei, aut media contra vitia, ac pravos habitus ignorans. 3. Tanquam Doctor non ſciens docere neceſſaria ad ſalutem ; de ſua tamen capacitate dubitans, Judicio ſuorum Superiorum, vel Examinatorum ſtare poteſt ; graviter tamen peccat Superior, & ſubditus, ſi incapacitas utrique conſtet, niſi eſſet in neceſſitate, in qua melius eſſet exponere imperitum, quam populum fruſtrare Sacramento, debetque interim diligenter ſtudere, & a Superiore urgeri. Non tamen tenetur ſcire Theologiam moralem in gradu ſummo, vel eminenti ; *Paul. Lugd. Bill.* ſed ut poſſit de communiter occurrentibus judicare, & de aliis prudenter dubitare, non ut ignari de quacunque re dubitantes ; ſed cum aliquali notitia ad ulterius ſtudium, ac inquiſitionem, *ibid.* majorque requiritur pro confeſſionibus excipiendis in magnis civitatibus, in aulis Principum, quam in pagis, quia ibi difficiliores ſolent occurrere caſus Mercatorum, Judicum, Clericorum, perſonarum magnorum negotiorum. Nec tenetur poſſe diſcernere de omnibus in particulari, an ſint mortalia, nec ferre judicium determinatum de quantitate cujuslibet peccati confeſſi in individuo, an ſit mortale, vel veniale, *Bill.* quia ſæpiſſime id etiam doctiſſimis eſt impoſſibile ob diverſitatem opinionum circa gravitatem materiæ, & aliarum circumſtantiarum ad individuationem concurrentium ; & ſæpe nec ipſi pœnitentes ſciunt, an ſufficiens conſenſus, ac advertentia ad gravem malitiam adfuerit ; ſed ſufficit, ſcire gravitatem, ac qualitatem ſecundum ſe, & ſaltem in genere pœnitentem peccaſſe, quamvis non certo in quo gradu mortalis, vel venialis diſcernat. Nec tenetur ſingulorum recordari, dum abſolvit, ſed ſufficit omnia ita audiviſſe, ac intellexiſſe, ut in pœnitentia, & obligatione injungenda, ac abſolutione impertienda ſufficienter meminerit ſtatus pœnitentis

ad

ad utrumque competenter faciendum, *Bill. P. Gerv.* ſingulorum enim recordatio ſæpe moraliter eſt impoſſibilis, præcipue ſi confeſſio ſit prolixa, & memoria Confeſſarii labilis: ſi tamen nullius omnino recordaretur in particulari, ſaltem unum aut alterum a pœnitente inquirendum eſt, *P. Gerv.* & an proximo in fama, vel bonis non nocuerit; ſingulariter tamen retinere debet, de quibus numerus, ſpecies, vel aliud non bene intellectum inquirendum eſt, vel circa quod obligatio eſt imponenda, quæ inflexione digiti notari poſſunt; ſi vero memoriæ non fidat, non intellecta, vel ſpeciem, ac numerum ſtatim inquirat, præcipue ſi confeſſio ſit prolixa, vel in ſcriptis habeatur. 4. Si in fine neceſſario interrogandorum non recordetur, per ſe loqnendo ſub mortali jubenda eſt confeſſionis repetitio, *P. Gerv.* quia de ignoratis non poteſt recte judicare; per accidens tamen poteſt excuſari, ſi nimirum ſine notabili pœnitentis moleſtia fieri nequeat, ut ſi propter unum, aut alterum peccatum non bene intellectum, octo, vel decem intellecta eſſent repetenda a pœnitente alias verecundo, & bona fide proceſſerit, *Gob.* quia integritas materialis confeſſionis non videtur obligare cum tanto incommodo, ut patet in ſcrupuloſo, ac ægroto; alias confeſſio nimis fieret onerosa pœnitenti, & Confeſſario, quod eo facilius admittitur, ſi fuiſſet tantum interrogandus ad cognoſcendum, an ſit mortale, vel de ſpecie, vel numero, præſertim, ſi ad alia mortalia ſpeciem, vel numerum addiderit; quia poteſt præſumi cum circa interroganda non graviter peccaſſe; alias ſpeciem, & numerum probabiliter etiam addidiſſet. 5. Confeſſio ſemi-dormienti, ſurdaſtro, diſtracto, vel idioma non intelligenti bona fide facta, non tota neceſſario repetenda eſt; ſed ſolum ea, quæ pœniteus credit; nou fuiſſe audita, vel intellecta, *Baſſ.*, *Henriq. & alii*; quia ea duntaxat non rite fuerunt ſubjecta clavibus Eccleſiæ. Si dubitet, quænam non fuerint audita, & intellecta, tota Confeſſio eſt repetenda, *P. Gerv.* quia certa eſt obligatio Confeſſionis, & incertum, an debite ſit facta; ſi mala fide, vel ſi Confeſſarius nullum omnino audierit, vel intellexerit, etiam tota eſt repetenda; quia fuit ſacrilega, vel ex parte pœnitentis indiſpoſiti, vel ex parte Confeſſarii non habentis materiam certam abſolutionis; quia non audita, ſunt quaſi non dicta: valeret tamen abſolutio, ſi

Digitized by Google

Confeſſarius, vel unicum audiverit, & pœnitens bona fide proceſſerit, *Lugo*; quia habet materiam ſufficientem, & ab aliis abſolvitur indirecte, licet Confeſſarius graviter peccet, ſi ob ſomnum, vel diſtractionem graviter culpabilem alia non audiverit, vel intellexerit, & ſine gravi pœnitentis moleſtia illorum repetitionem exigere potuerit; ſi Confeſſarius vero ſit certus de conſtanti innocentia pœnitentis, eumque ordinarie non niſi venialia habere, & ſolere certum pro abſolutionis materia ſuperaddere, quamvis valeret abſolutio ob materiam probabilem, ſupponendo idem addidiſſe, graviter tamen videtur peccare ob periculum invaliditatis Sacramenti, quod, inquirendo materiam certam, evitare potuiſſet, ac debuiſſet.

Hinc 3. Defectu *prudentiæ* graviter peccat 1. examinando indiſcrete, ac impudice circa peccata carnalia, ignota docens, ſibi, vel pœnitenti ſcandalum cauſans. 2. Differendo abſolutionem ſine cauſa, & ratione ſufficienti, vel omnino negando diſpoſito, vel eam dando indiſpoſito, ut recidivo non emendato, nec ſufficienter contrito; in occaſione proxima voluntaria, ea non relicta, vel emendatione notabili non ſecuta. 3. Non injungendo pœnitentiam proportionatam, vel obligationes, ut reſtitutionem bonorum, famæ, honoris, ſolutionem debitorum; executionem officii, voti, juramenti, pacti, teſtamenti, &c. 4. Non debite ſupplendo defectus in confeſſionali commiſſos: ut ſi mala fide invalide abſolverit, & pœnitentem non moneat, etiam cum gravi ſuo incommodo, obtenta prius licentia loquendi de confeſſione; quia mala fides eum non excuſat, & tenetur eum monere de invalida abſolutione, etiam cum famæ, & honoris præjudicio, ſi periclitetur illius ſalus æterna, ut ſi non amplius ſit confeſſurus; imo etiamſi non mala fide proceſſerit, *P. Cerv.* quia cenſetur eſſe in extrema ſalutis neceſſitate; ſecus ſi in ſequenti ſaltem confeſſione indirecte ſit abſolvendus; vel ſi non obligaverit pœnitentem ad reſtitutionem, & eum poſtea non monuerit, etiam cum gravi ſuo incommodo; quia eſt cauſa moralis damni, cum potuerit, & debuerit eum monere ad illud reparandum; non tamen tenetur ad reſtitutionem, ſi eum non moneat; quia tenetur ex charitate, non vero ex juſtitia bonum tertii promovere, ſed ſolum ſui pœnitentis; & ſi bona

fide,

fide, vel ſolum venialiter mala egerit, ad nihil tenetur, niſi commode poſſit, ut in proxima confeſſione; quia ob bonam fidem non cenſetur cauſa moralis damni; an autem ad hoc teneatur ex juſtitia, diviſi ſunt Auctores; teneri ex juſtitia docet Lugo; quia damnum adhuc poteſt impedire, & ad plus tenetur, & fortius obligatur, quam alius; non tamen tenetur ipſe reſtituere, ſi non poſſit impedire, bene autem ſi non velit; quia in hac ſententia ex juſtitia monere tenetur; ſi vero mala fide pœnitentem ſe obligaverit a reſtitutione ex juſtitia debita, vel obligaverit ad non debitam, tenetur eum ita monere, ut reſtitutio fiat, vel ſi nolit, vel non poſſit, ipſemet ex juſtitia reſtituere, *P. Gerv.* quia eſt cauſa poſitiva damni; non tamen tenetur Conventus pro ipſo reſtituere, ſi ſit Religioſus; ſi autem erraverit, non inquirendo numerum, & ſpeciem, vel pœnitentem relinquendo in occaſione proxima, bona vel ſolum venialiter mala fide, ad nihil tenetur extra confeſſionem; ſi fide mortaliter mala, ſi ad eundem redeat, ſumpta in confeſſione occaſione ſuppleat; ſi non redeat, extra confeſſionem vix poteſt eum alloqui ſine vilipenſione ſui Miniſterii, rubore pœnitentis, & ſcandalo, ac proinde, cum tantum agatur de integritate materiali, videtur non teneri; ſi vero in prædictis licentia petita recuſetur, ad nihil tenetur, *Tamb. Sanch. & alii*; quia fecit quod potuit, & ſi pœnitens damnum patiatur, ſibi imputet recuſans licentiam neceſſariam: in extrema tamen neceſſitate ſalutis videtur pœnitens non obtenta ipſius licentia monendus; quia pertinet ad confeſſionem, & non poteſt pœnitens rationabiliter eſſe invitus, modo ſperetur fructus. 5. Non monendo, ſi pęnitens peccet ex conſcientia erronea, vel ignorantia culpabili, vel etiam ex invincibili, ſi ſperetur fructus: non vero tenetur eum monere, ſi timeretur ſcandalum, vel grave incommodum, niſi cederet in damnum publicum, vel Religionis, quod ante privatum eſt impediendum; ſic animadvertens ex confeſſione, matrimonium impedimento dirimente eſſe contractum invincibiliter a pęnitente ignoto; non tenetur monere, ſi admonitus non ceſſaturus ab uſu matrimonii prævideatur, vel uxorem, & liberos cum ſcandalo derelicturus, diſpenſationem non accepturus, nec ea obtenta de novo in matrimonium, nec ſub conditione conſenſurus, vel non a matrimonio con-

contrahendo deſtiturus, *P. Gerv. Gob.* tenetur tamen monere Judicem, ſaltem in genere, ut reum puniat morte, ſi advertat, eum eſſe in mala fide, nec propterea incurrit irregularitatem; ſimiliter Principes, Nobiles, Magiſtratus, ſi promoveant indignos, ſi certo conſtet, vel ſi non ſolvant debita cum damno creditoris, &c. ſi tamen omnes conveniant Conſiliarii de aliquo jure Principis, poteſt etiam Confeſſarius ſuppphere legitimum; quia ipſi melius poſſunt, & tenentur ſcire.

Quær. 13. *An, & quomodo Parochus teneatur audire confeſſiones ſuorum parochianorum, & quomodo alius ſe gerere debeat Confeſſarius?*

Dico. Tenetur 1. Parochus ſub peccato gravi audire confeſſiones ſuorum parochianorum urgente præcepto, vel rationabiliter alio tempore ad ipſum recurrentium; quia Paſtor tenetur præbere pabulum ſuis ovibus non ſolum extreme, ſed etiam communiter indigentibus; non tamen nimis frequenter petentibus, præcipue, ſi aliis negotiis occupatus fuerit: delegatus vero tenetur audire pęnitentem deficiente proprio, vel alio Confeſſario in extrema, & gravi neceſſitate, & aliquando in communi, niſi aliis æque utilibus occupetur negotiis, *Billuart*; quia, ſicut divites lege charitatis tenentur ad eleemoſynas corporales in extrema, & gravi neceſſitate, & in communi ſaltem ad aliquas, ita videntur Docti obligari ad ſpirituales. 2. Tenetur etiam Confeſſarius examinare pęnitentem, ſi merito ſuſpicetur, pęnitentem culpabiliter, vel inculpabiliter omittere aliquid neceſſario requiſitum, puta numerum, ſpeciem, circumſtantias graves, quia moralem tenetur adhibere diligentiam pro integritate confeſſionis. 3. Tenetur monere pęnitentem ex ignorantia vincibili peccantem, vel invincibili, ſi ſperet fructum; ſecus, ſi non ſperet, ſed majus, & gravius timeret malum. 4. Inſtruere de neceſſariis neceſſitate medii, ac præcepti in confeſſionali, ſi urgeat neceſſitas, vel charitas, vel ſi rediturum ſperet, differre abſolutionem, donec neceſſaria addiſcat, & confeſſiones cum tali ignorantia factas repetat.

Hinc: graviter peccat, 1. Parochus nolens audire ſuos parochianos in confeſſione tempore Paſchali, vel in articulo mortis, aliove tempore magnæ indulgentiæ, vel feſtivitatis, vel gravis tentationis, &c. ipſi confiteri volentes; quia tenetur eos audire ex officio. 2. Confeſſarius dele-

delegatus deficiente proprio vel alio Sacerdote in articulo mortis conſtitutum audire recuſans, vel alio tempore devotionis deficientibus aliis Confeſſariis; nullum unquam audire volens, niſi magis, vel æque utilibus occupetur negotiis, *Nugno apud Billuart*, quia, ſicut dives nullam omnino faciens eleemoſynam, charitate præcepta caret. 3. Ex ignorantia, vel negligentia gravi ſpeciem, numerum, circumſtantias graves, vel alia ad reſtitutionem, valorem, & effectum Sacramenti requiſita inquirere omittens cum ſuſpicione rationabili ea a pœnitente culpabiliter, vel inculpabiliter omitti; quia ut Judex debet valide, & cauſa integre cognita ferre ſententiam: excuſatur tamen Confeſſarius, ſi diligentiam moralem in examinando adhibeat, vel ſi pœnitentem ſufficienter inſtructum advertat, vel ſi aliquid neceſſarium omittat naturali diſtractione, memoriæ debilitate, vel ſpiritus fatigatione per nimiam confeſſionum auditarum quantitatem: & a mortali, ſi ex levi negligentia, vel inadvertentia aliquid neceſſarium omittat; quia non ad ſummam, ſed moralem obligatur diligentiam; alias Sacramentum pœnitentis, ac Confeſſariis nimis fieret odioſum, ac oneroſum; leviora tamen, ut numerum, & ſpeciem uno, aut altero verbo ſtatim inquirat, & ampliori diſcuſſione digna uſque poſt confeſſionem reſervet; circa venerea a levioribus ad graviora, a modis vero particularibus abſtineat, quibus ignota docere, & pœnitenti, ac ſibi occaſio ſcandali eſſe poſſet. 4. Graviter peccat advertens in pœnitente ignorantiam Myſteriorum neceſſitate medii, vel præcepti neceſſariorum non præmiſſa illorum inſtructione, vel repetitione confeſſionum cum tali negligentia factarum, abſolvens; quia pœnitens eſt indiſpoſitus; ſi tamen non poſſit facile inſtrui de neceſſariis neceſſitate præcepti tantum urgente neceſſitate, licet non extrema, poteſt abſolvi, ſi inſtructionem ſibi procurare promittat, quamprimum poteſt, & confeſſiones invalidas adjuvante, & interrogante Confeſſario repetat, *Billuart*; quia in tali neceſſitate ſufficit bona voluntas ſatisfaciendi præcepto. 5. Ex ignorantia culpabili peccantem advertens, non monens, vel etiam ex invincibili: modo non gravius malum timeat, & ne ex materiali formale fiat.

Quær. 14. *Quando Confeſſarius pœnitentem abſolvere, vel non abſolvere debeat?*

Dico. Confeſſarius tenetur, ſub lethali culpa abſolvere, quos prudenter judicat rite diſpoſitos, quia jus habent ad abſolutionem, & injuſte privarentur gratia ſacramentali, & actuali, niſi juſta adſit ratio eam differendi ad utilitatem pœnitentis, ut ſi facile relapſurum credat, niſi dilatione territus melius agnoſcat gravitatem peccati, vel ſi Confeſſarius ſtudio, vel conſilio circa peccata confeſſa indigeat. 2. Eam negare indiſpoſitis, quos nullo in caſu abſolvere licet; quia Sacramentum ſacrilege conferret, & pœnitenti majorem peccandi licentiam, falſamque ſecuritatem in præjudicium æternæ ſalutis tribueret. 3. Eam differre extra mortis articulum dubie diſpoſitis, donec adſint ſigna diſpoſitionis moraliter certa; quia non licet uti materia dubia extra mortis articulum, in quo melius eſt remedium dubium, quam nullum.

Hinc 1. Tenetur Confeſſarius abſolvere eum, qui diu a peccato abſtinuit, tentationibus viriliter reſtitit, occaſionem peccati caute fugit, mandatis Confeſſarii obtemperat, laborioſis pœnitentiæ operibus ſe exercet, etiamſi occaſio peccandi non fuerit ablata; quia non amplius cenſetur proxima, ſed remota, quam non tenetur evitare, alias deberemus exire de hoc mundo.

Hinc 2. Abſolutio neganda iis, qui nullam habent diſpoſitionem, uti ſunt, 1. de proximo ſiniſtre loquentes in confeſſione, peccata vel ridendo, vel hiſtorice tantum narrantes. 2. Nolentes præceptis Confeſſarii obedire, aliena reſtituere, debita ſolvere, damna reſarcire, cum commode ante confeſſionem potuerint, & non fecerint, vel odia, ac inimicitias nolentes deponere, inimicis reconciliari, occaſionem proximam voluntariam deſerere, ſcandalum publicum tollere, ut mulieres luxurioſe veſtitæ; libros amatorios, vel contra fidem, & bonos mores componentes, vendentes, commodantes; aleatoribus domum præbentes; vel nolentes abſtinere ab uſura, artibus, ac commerciis illicitis, vel laborantes ignorantia voluntaria Myſteriorum fidei, & addiſcere non curantes neceſſitate medii, vel præcepti, etiam ratione ſui ſtatus, officii, ac conditionis ſcitu neceſſaria; quia omnes iſti carent contritione neceſſaria.

Hinc 3. Debet abſolutio differri, 1. ignorantibus, etiam inculpabiliter neceſſitate medii, vel præcepti neceſſaria, & volentibus ea addiſcere, donec ea didicerint, ut ſupra

Quær.

Quær. 13. *num.* 4. & *Hinc. num.* 4. 2. In occaſione per ſe, vel per accidens proxima, & voluntaria poſitis, donec actu fuerit derelicta; quia, cum ſciverint obligationem eam derelinquendi, & cum potuerint, & eam non dimiſerint, dubium eſt eorum propoſitum, excepto mortis articulo, ſi illa non amplius poſſet ſub aliquo prætextu dimitti, vel ſi longe diſtent ab occaſione, vel non agnoverint eſſe proximam, vel obligationem eam deſerendi, vel ſi occaſio ſit interrupta, uti eſt frequentia puellæ, popinæ, chorearum, &c. poſſunt prima adhuc vice abſolvi cum promiſſione eam vitandi, *Billuart*; quia prudenter promiſſioni fides adhibetur, & iſti non ſunt actu in occaſione, cum ſit abſens: in occaſione vero proxima non voluntaria phyſice, vel moraliter abſolutio non eſt neganda vi occaſionis, *Billuart*; quia ad moraliter impoſſibilia nemo tenetur, ſed debent præſcribi media, quibus fiat remota, ipſis vero neglectis, vel poſt unam, vel alteram abſolutionem relapſis, non eſt amplius danda; quia ſimul cenſentur recidivi, & de ſinceritate doloris, ac propoſiti dubii, niſi ipſa derelicta quocunque damno bonorum, aut famæ non obſtante, *Inſtrument. approb. Diœc. Argent.* quia nihil ſaluti æternæ præferendum; vel emendatione notabili ſecuta; aut in mortis articulo. Sic filiusfamilias peccans frequenter cum ancilla, quam non poteſt ejicere, vel cum ſorore, a qua non poteſt ſejungi abſque gravi detrimento, mercatores, milites, ſcribæ, hoſpitiſſæ, judices, medici graviter in ſuis officiis peccantes, ancillæ ſæpe peccantes cum ſuis hæris, adoleſcentes, puellæ in confabulationibus, choreis, amplexibus juxta honeſtam patriæ conſuetudinem, Confeſſarii excipiendo confeſſiones ratione occaſionis, vel officii ſæpe peccantes non abſolvendi, niſi derelicta occaſione, vel notabiliter emendati, ita, ut prudenter non amplius, vel non tam facile peccaturi judicentur, *Inſtrum. approb. Diœc. Arg.* vel niſi longo tempore, v. g. ab uno aut altero anno non eſſent confeſſi, & concubinam ejecturos promittant; quia his facilius creditur, non vero iis, qui ſæpe promiſſis non ſteterunt; vel niſi circumſtantiæ ſint mutatæ, puta quia deformis facta, vel quia ipſe matrimonio junctus, vel mox jungendus, vel quia jam ab aliquo notabili tempore non amplius cum ea peccavit, modo abſit ſcandalum, ſi maneat in eadem occaſione. *P. Gerv.* 3. Con-

ſuetudinariis voluntariis, ac recidivis, licet abſolute poſſent eſſe diſpoſiti, abſolutio eſt differenda, donec emendatio notabilis appareat, niſi raro, vel in caſibus extraordinariis, ut habetur in inſtrumento approbationis Diœc. Arg. uti in articulo mortis, vel ſi eſſet miles pugnæ proximus, &c. quia in neceſſitate ſufficit materia dubia, vel peregrinanti longo in itinere non relapſo; quia vere pœnitere prudenter creditur; vel ſi abſolutio ſine gravi pœnitentium incommodo differri nequeat, & pœnitentes cum acceptatione mediorum afferant ſigna doloris, ac propoſiti ſecuturæ emendationis ſpem prudentem facientia, ut habetur in inſtructione paſtorali ad Confeſs. Diœc. Baſil. vel ſi violentia tentationum occaſione non præviſa relabatur, *Thom. ex Charm.* vel Monaſterium, aut Seminarium ſit ingreſſus, modo bona, ac debita intentione; quia talis ſtatus mutatio etiam morum emendationem indicat: non autem ſufficit obligatio communicandi in Paſchate, vel in diebus in quadam ſocietate, vel regula præſcriptis: poteſt etiam pro remedio abſolutio differri ob venialia ſæpius confitentibus, ſi nimis ſint frequentia, vel ſi ob diſpoſitionis imperfectionem timeatur, ne in mortalia labantur, & debet differri ex deliberatione, ex affectu, vel ex conſuetudine nimis frequenter venialiter peccantibus, ſi venialium modica, vel dubia appareat contritio, *Paul. Lug. Billuart*, & in omnibus ſint recidivi, niſi addatur aliud, vel mortale confeſſum, circa quod verum cenſentur habere dolorem, ſecus ſi circa unum ſaltem verum habeant dolorem, ac propoſitum; quia unum veniale ſine aliis poteſt dimitti. Unde non de omnibus recidivis, & conſuetudinariis idem ferendum eſt judicium. Aliud enim judicium ferendum de iis, qui habitu voluntario, & cum advertentia graviter peccant, ut communiter in materia luxuriæ; quia non niſi notabiliter emendati abſolvendi ſunt; aliud de iis, qui ex habitu involuntario inadvertenter contracto, vel facto involuntario adhibitis mediis, & proteſtatione contra illum, ac illius actus, inadvertenter perjurant, blaſphemant, &c. quia iſti. cum non graviter peccent, abſolvi poſſunt; aliud de eo, qui ſingulis ſeptimanis ſemel, vel bis graviter lapſus, ſed abocto, vel quatuordecim diebus æqualiter tentatus ex motivo emendationis non amplius ſuccumbit, quia iſte poteſt abſolvi, cum accedente Sacramento pœnitentiæ, & communionis, & emendatio-

tione jam incepta, certius emendatur; aliud de eo, qui adhuc in ultima ſeptimana fuit lapſus, quia iſtius diſpoſitio eſt dubia, & abſolutio differenda; aliud de eo, qui in menſe ſemel, vel bis graviter labitur; quia ſi nondum fuerit admonitus, media acceptet, longo tempore non fuerit confeſſus, dolorem non ordinarium habeat, & nihil aliud obſtet, poſſet adhuc abſolvi, præcipue urgente præcepto communionis, vel alia ratione; quia mediante Sacramento, admonitione, & mediis, ipſius emendatio recte creditur futura; aliud de eo, qui admonitus ſemper cum iiſdem peccatis quaſi ex conſuetudine, vel humano reſpectu redit; quia iſte dimittendus, cum de illius propoſito ſincero, merito dubitetur; aliud de eo, qui ſingulis diebus, aliud de eo, qui ſingulis ſeptimanis, aliud de eo, qui ſingulis menſibus, aliud de eo, qui ex conſuetudine inchoata, vel provecta, aliud de conſummata, & inveterata judicium ferendum; quia, qui rarius cadunt, vel quorum conſuetudo nondum firmas habet radices, facilior ſperatur emendatio, quæ ſi fuerit ultra medietatem, cenſetur notabilis; ſic duodecies lapſus per menſem, quinquies duntaxat labens, notabiliter cenſetur emendatus, & applicato beneficio abſolutionis, & Euchariſtiæ Sacramento cum aliis mediis integra probabiliter ſperatur emendatio, ac proinde abſolutione dignus videtur, nec ultra octo, vel quatuordecim dies indiſpoſiti dimittendi ſunt, *P. Gerv.* quia inſtructio paſtoralis Diœceſ. Baſil. de hujuſmodi pœnitente cum Benedicto XIV. dicit: *jubeatque, nempe Confeſſarius, ut intra modicum tempus* (quale non videtur eſſe unus, vel duo menſes) *ſe ſiſtat, ut negligens corripiatur, fragilis conſoletur, emendatus abſolvatur.* Remedia autem ſunt actus pravis habitibus contrarii; quia contraria contrariis curantur, ſic luxurioſis imponantur jejunia, ac aliæ corporis macerationes, ut non ſoli cum ſola maneant, cuſtodia ſenſuum, &c. ebrioſis abſtinentia a vino ad certum tempus, vel quoties inebriantur: blaſphemis, ac perjuris orationes, eleemoſynæ, quoties blaſphemant, vel perjurant; generalia ſunt ablatio cauſæ reincidentiæ, auditio concionum, ſpiritualis lectio, uſus frequens Sacramentorum, meditatio paſſionis Chriſti & quatuor noviſſimorum 4. Differenda eſt abſolutio ſcandalum aliis, vel occaſionem peccandi præbentibus, ut ſunt fœminæ laſcivo ornatu; Bibliopolæ libris impudicis, vel hæreti-

cis,

cis, &c. Pictores fœdis picturis; parentes juramentis, detractionibus, blaſphemiis, &c. infantes ſcandalizantes, ſi admoniti non ceſſent. 5. Differenda eſt ad reſtitutionem obligatis, ſi ſit notabilis; quia alias ob propenſionem differendi relinquerentur in periculo non reſtituendi; vel ſi non ſit notabilis, attamen mortalis, & de ea admoniti, eam facere neglexerint: quia eorum promiſſio non amplius meretur fidem; niſi in mortis articulo, ſi non poſſint per ſe, & per ſuos hæredes ſatisfacturos ſincere promittant, *Greg. XIII.* vel ſi nondum fuerint admoniti de reſtitutione non notabili, *P. Thom. ex Charm.* quia iſtis facilius creditur. 6. Inveteratas inimicitias habentibus, vel qui promiſſionibus, & mediis de reconciliatione facienda non ſteterint; quia ipſis non credendum, donec ſe reconciliaverint. 7. In grave ſcelus, ut homicidii, adulterii, &c. mox prolapſis, & ob infamiam, vel confuſionem potius, quam vero dolore ſtatim abſolutionem habere præſumentibus; quia eorum diſpoſitio videtur æquivoca, & ut gravitatem peccati melius agnoſcant, & melius ſe præparent, aliquando abſolutio eſt differenda, *P. Thom. ex Charm.*

Quær. 15. Quando abſolutio ſit nulla ex parte pœnitentis, & an Sacramentum pœnitentiæ poſſit eſſe validum, & informe?

Dico. Abſolutio eſt nulla ex parte, & defectu pœnitentis, 1. ſi ſine dolore, & propoſito eſſentialiter requiſito illam accipiat. 2. Quando in ipſa confeſſione mortaliter peccavit, reticendo malitioſe, vel mortali negligentia omittendo mortale, vel illius ſpeciem, aut numerum, vel mentiendo in materia gravi. 3. Si mala fide non fuerit abſolutus ab excommunicatione, ſi aliqua fuerit irretitus, antequam fuit abſolutus a peccatis, *Lugd. Baſſæ, & comm.* quia ageret contra grave Eccleſiæ præceptum; ſi tamen bona fide fieret ab ignorante excommunicationem, vel illam impedire abſolutionem, valida eſſet abſolutio; quia Eccleſia nullibi illam declarat irritam, *P. Gerv.* nec poteſt Sacramentum pœnitentiæ eſſe validum, & informe; quia non poteſt habere omnia eſſentialia, ut ſit validum, & non conferre gratiam ex defectu diſpoſitionum; quia diſpoſitiones ſunt de eſſentia, & ipſa materia Sacramenti.

Hinc 1. Confeſſio repetenda eſt, quando fuit nulla illius abſolutio, ſive ex parte Confeſſarii, ſive ex parte pœni-

nitentis, & quidem tota, ſi fiat apud alium Confeſſarium, vel apud eundem, ſi nullam amplius habeat illius notitiam; quia de illa non poteſt judicare; non vero ſi in confuſo ſaltem meminerit ſtatus pœnitentis, ſed ſufficit ſe accuſare de omiſſis, & de defectu commiſſo; nec tenetur repetere confeſſiones intermedias bona fide factas. 2. Confeſſionum repetitio eſt ſuadenda, conſuetudine peccandi impliccatis; quia licet peccatum ſubſequens non certo arguat falſitatem confeſſionis antecedentis, periculum tamen indicat, ſi frequenter fiat. 3. Confeſſio ſine dolore ſupernaturali, vel univerſali; aut efficaci eſt invalida, & repetenda, quamvis bona fide, & inculpabiliter dolorem ſufficientem eſſe credederit; quia in re deficit pars eſſentialis, & ſi Sacramentum eſſet validum, conferret gratiam, ac proinde non eſſet informe.

QUÆSTIO IV.

DE EFFECTIBUS PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. Quinam ſint effectus Sacramenti pœnitentiæ, & quomodo veniale remittatur extra Sacramentum?

Dico. Effectus principales Sacramenti pœnitentiæ ſunt 1. infuſio gratiæ habitualis cum habitibus virtutum infuſis gratiæ annexis, ſi fuerint amiſſæ, & gratiæ ſacramentalis. 2. Omnis colpæ ſaltem mortalis remiſſio, & venialis juxta diſpoſitionem. 3. Pœnæ æternæ peccatis debitæ condonatio; non vero ſemper totius pœnæ temporalis, ſed pro majori, vel minori pœnitentis diſpoſitione, & ſatisfactione a Confeſſario impoſita. Veniale extra Sacramentum non poteſt ſine gratia actuali remitti per actum ex ſolis naturæ viribus elicitum; nec junctum cum mortali, niſi mortali ſimul remiſſo; quia non poteſt remitti, niſi per opus Deo placens: non tamen requiritur in homine juſto pro illius remiſſione novæ gratiæ habitualis infuſio; quia non conſiſtit in privatione gratiæ, ſed in diminutione illius fervoris, vel impedimento illius nitoris. *S. Thom.* nec requiritur pœnitentia formalis; quia minor requiritur diſpoſitio, quam pro remiſſio-

miſſione mortalium; ſed ſufficit virtualis per actum, quo homo ita fertur in Deum, ut ſi veniale occurreret memoriæ, diſpliceret, illud commiſiſſe, *S. Thom.* quia per illum reſtituitur, quod per veniale fuit ablatum, nempe ut prompte in Deum feratur, *Bill.*

Quær. 2. Quotuplicis generis ſint Opera?

Reſp. 1. Quintuplex diſtinguunt Theologi genus operum, nempe 1. opera vivificantia, quæ vitam animæ afferunt, ut contritio. 2. Opera viva, quæ facta ſunt ex charitate, & vitam æternam merentur. 3. Opera mortifera, quæ mortem animæ inferunt, ut peccata mortalia. 4. Opera mortua, quæ ex ſe ſunt bona, facta tamen ab homine exiſtente in peccato mortali. 5. Opera mortificata, quæ viva per ſuperveniens peccatum mortale impediuntur a conſecutione præmii vitæ æternæ alias illis debiti.

2. Peccatum redire ſimpliciter, eſt redire ſecundum maculam, & reatum ſibi proprium. Redire ſecundum quid, eſt peccatum ſequens ratione ingratitudinis fieri gravius, quam alias fuiſſet.

Quær. 3. An bona opera juſtorum per pœnitentiam reviviſcant, & peccata per pœnitentiam dimiſſa redeant per peccatum ſubſequens;

Dico. Opera viva juſtorum per peccatum mortificata, quæ ſunt in Dei memoria, ac jure juſtorum ſaltem conditionato ſervata per pœnitentiam ſubſequentem ex Dei miſericordia ſimul & juſtitia reviviſcunt, & quidem ad eundem gratiæ, & gloriæ gradum, quem ante peccatum merebantur; quia *impietas impii non necebit ei, in quacunque die converſus fuerit Ezech.* 33. non vero virginitas quoad materiale ſumpta pro immunitate ab omni voluntaria ſeminis effuſione, vel infractione clauſtri virginalis; nec innocentia ſumpta pro immunitate ab omni peccato; qua factum infectum fieri nequit; bene autem quoad formale quantum ad habitum, & inclinationem ad hos actus; ita docet S. Thomas; nec peccata per pœnitentiam dimiſſa redeunt ſimpliciter per peccatum ſubſequens; quia ſine conditione ſunt vere deleta, & remiſſa; ſed tantum ſecundum quid, ac virtualiter, *S. Thom.* quia ob ingratitudinem peccata ſubſequentia fiunt graviora.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

DE PURGATORIO, SUFFRAGIIS, ET INDULGENTIIS.

Quæritur. 1. *Quid ſit Purgatorium, Suffragium, & Indulgentia, & quotuplex Indulgentia?*

Reſp. 1. PUrgatorium eſt locus medius inter cœlum, & infernum, in quo animæ juſtorum purgantur a culpis levioribus, & ſolvunt pœnas temporales, pro peccatis quoad culpam jam remiſſis debitas.

2. Suffragium eſt translatio ſatisfactionum unius in alterum.

3. Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remiſſis debitæ, a legitimo Miniſtro facta per applicationem theſauri Eccleſiæ. Dividitur 1. in totalem, ſeu plenariam, quæ eſt remiſſio totius pœnæ temporalis peccatis debitæ; & partialem, quæ eſt remiſſio partis pœnæ temporalis peccatis debitæ, quæ alias per pœnitentias antiquorum canonum fuiſſet abolenda, per ſeptem, quadraginta, vel centum annos. 2. In perſonalem, quæ alicui perſonæ conceditur. Localem, quæ loco eſt annexa; & in realem, quæ rei, v. g. Roſario, vel numiſmati annectitur. 3. In indulgentiam vivorum, quæ pro vivis per modum abſolutionis, vel actus juriſdictionis in perſonam conceditur; & defunctorum, quæ pro defunctis per modum ſuffragii ſatisfactorii ex theſauro Eccleſiæ conceditur. 4. Jubilæum, eſt indulgentia plenaria cum privilegiis, pro qua ordinavit Bonifacius VIII. annum centeſimum, Clemens VI. quinquageſimum, Paulus II. vigeſimum quintum, & defacto eadem indulgentia in forma Jubilæi concedi ſolet pro publicis Eccleſiæ neceſſitatibus, ut tempore belli, vel poſt electionem novi Pontificis.

4. Theſaurus Eccleſiæ eſt Theſaurus primario ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti infinitis, & ſecundario ex ſatisfactionibus Deiparæ, & Sanctorum cohaleſcens.

Quær. 2. *An detur Purgatorium, ac Suffragiorum communio, & quænam pro illorum communione requirantur conditiones?*

Dico.

Dico. Dari Purgatorium, de fide conſtat; quia in Concilio Trid. *Seſſ*. 6. *Can*. 3. ita definitum eſt, & 2. *Machab*. 12. indicatur; quamvis, ubi ſit, non conſtet; etiam datur Sanctorum, ſeu ſuffragiorum communio inter vivos, & defunctos, ita, ut unus inter vivos poſſit orare, & ſatisfacere pro alio, & pro defunctis, & defuncti orare pro vivis, quia ſicut oravit Job. *Cap. ult*. ſatisfecit Paulus 2. *Ep. C*. 1. & pro defunctis, ita declarat Concilium Trid. *Seſſ*. 25. *decret. de Purgat*. conditiones tamen aliquæ requiruntur, & quidem ex parte offerentis tres, videlicet 1. Intentio applicandi ſuffragium alteri. 2. Ut opus ſit voluntarium, ut diſtinguatur a ſatisfactione. 3. Ut ſit in ſtatu gratiæ, ſi ſit ſatisfactorium ex opere operantis; non vero, ſi ſit ex opere operato, uti Miſſæ Sacrificium: & tres ex parte illius, pro quo offeruntur; nimirum 1. Ut ſit viator ſaltem aliquo modo, ut animæ in Purgatorio. 2. Ut ſit in ſtatu gratiæ. 3. Ut culpa jam ſit remiſſa. Suffragia in quantum ſunt ſatisfactoria, ſi habeant conditiones prædictas, ſolum infallibiliter proſunt iis, quibus applicantur; quia dependent ab intentione applicantis; in quantum vero ſunt meritoria, ſolum offerenti; quia meritum eſt perſonale: ſi animæ autem, pro quibus offeruntur ſuffragia, jam eſſent in cælo, vel in inferno, ac proinde ipſis prodeſſe nequeant, proſunt etiam offerenti; quia hæc eſt tacita cujuslibet intentio.

Quær. 3. *Quiſnam poſſit concedere Indulgentias; quomodo valeant, & quænam ſint pro illis lucrandis conditiones?*

Dico. Datur in Eccleſia poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto ei conceſſa; quia ita eſt de fide, & definivit Concilium Trid. *Seſſ*. 15. *in decret. de Indulg*. poteſtque ſolus Papa conferre indulgentias plenarias pro vivis, ac defunctis; quia ipſe ſolus eſt principalis diſpenſator theſauri Eccleſiæ, & Traditio, ac perpetua Eccleſiæ praxis ita docent; & Epiſcopi in ſua Diœceſi pro vivis duntaxat, *Cap. quod autem de pœn. & remiſſ*. & partiales, videlicet unius anni in dedicatione Eccleſiæ, & quadraginta dierum in earum anniverſariis, & aliis temporibus, *Concilium Lat*. IV. *Can*. 62. uterque tamen Papa, & Epiſcopus non niſi ex propriis rationabilibus cauſis, *Clem. VI. extravag. unig*. & ex motivis indulgentiæ proportionatis illas concedere poſſunt; quia ſunt tantum diſpenſatores theſauri Eccleſiæ, non vero proprii Domini. Valere

re incipiunt indulgentiæ ad ſeptennium a Papa conceſſæ, non a die publicationis, ſed a die brevis, *S. Congr. 18. May 1711.* & proſunt indulgentiæ vivis, & defunctis infallibiliter; quia fundantur in poteſtate, & promiſſione Chriſti, quæ ſunt infallibiles, ſi ſerventur conditiones requiſitæ, quales ſunt pro vivis 1. Ut ſit baptizatus. 2. Non ligatus excommunicatione. 3. Ut ſit ſubditus indulgentiam conferenti. 4. Ut opera a concedente præſcripta integre adimpleantur, quia conceditur ſub conditione operis. 5. Ut ſit in ſtatu gratiæ; quia non remittitur pœna, niſi prius remiſſa culpa, ſaltem quando ultimum adimpletur opus, & ut abſit omnis ad mortale affectus, quando ponuntur alia opera; quia cum tali affectu non merentur remiſſionem, ſed augmentum pœnæ. 6. Propoſitum efficax Deo ſatisfaciendi; quia eſt eſſentiale veræ pœnitentiæ ad indulgentiam requiſitæ. 7. Intentio ſaltem habitualis, vel interpretativa generalis conſequendi omnes, quas poteſt, indulgentias; & pro defunctis 1. Executio operum præſcriptorum. 2. Intentio indulgentiam pro defunctis applicandi. 3. Status gratiæ, ſaltem in fine ultimi operis juxta ſecuriorem.

Hinc 1. Invalide concedunt indulgentias, Abbates etiam juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, Generales, ac Provinciales Ordinum, niſi ex ſpeciali commiſſione, ut in fine viſitationis, *P. Gerv. Bonagr.* concedente Leone X. quas proprie non concedunt, ſed applicant: bene autem Epiſcopi ſolum confirmati, licet non conſecrati; quia habent juriſdictionem, imo in Germania ſtatim poſt electionem, *P. Gerv.* quia ita Concilium Lat. conceſſiſſe refertur Epiſcopis tranſalpinis adminiſtrandi ſpiritualia ſtatim poſt electionem concorditer factam; & Archiepiſcopi in tota ſua Provincia; licet actu non viſitent; etiam Legati Apoſtolici; quia comprehenduntur nomine Epiſcopi: non tamen Concilium ſede vacante, *Suar. cum comm.* 2. Nec valent indulgentiæ a Papa, vel Epiſcopo conceſſæ abſque fine pio motivo proportionato, & opere bono ad illum probabiliter conducente; talis finis bonus eſt honor Dei, charitas proximi; motivum proportionatum eſt, quod Deo æque, vel magis placet, quam ſatisfactio pœnitentis, uti pax Chriſtianorum Principum, extirpatio hæreſum, exaltatio S. Eccleſiæ, veneratio alicujus Sancti, converſio fidelium, conſtructio Baſilicarum, Xenodochiorum,

ſuſten-

ſuſtentatio pauperum, redemptio captivorum; bona opera ad eosdem fines conducentes ſunt, certæ preces, eleemoſynæ, &c & licet ſeorſim ſint exiguæ, ut quinque *Pater*, & *Ave*, vel parvæ eleemoſynæ, ſimul tamen cum aliis ſunt quid notabile. 3. Non lucrantur indulgentias Judæi; quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ; poſſunt tamen eas lucrari Religioſi, ac peregrini, etiam Epiſcopales; quia poſſunt ſe ſubjicere in favorabilibus; nec poteſt quis lucrari indulgentias pro defunctis, niſi pro ipſis per modum ſuffragii conceſſas; nec hæretici eas lucrantur; quia ſunt excommunicati; nec notabilem partem, vel circumſtantiam operis præſcripti omittentes, etiam ex ignorantia invincibili, oblivione, vel juſto impedimento, ut ſi ægrotus non jejunet, vel famulus eleemoſynam ab hero datam retineat, vel quis confeſſionem omittat, licet tantum venialia habeat, *Clem. XIII. an.* 1759. vel non neceſſariam invincibiliter credat, niſi ſemel ſaltem in qualibet hebdomade ad Sacramentum pœnitentiæ accedere ſoleat, ſi legitime non fuerit impeditus, & nullius lethalis culpæ ab ultima confeſſione conſcius ſit: quia his ſuppoſitis ſine actuali confeſſione omnes conſequi poteſt indulgentias, *Clemen. XIII. an.* 1763. ſufficit etiam eleemoſyna modica, ſi quantitas non ſit determinata; & ſi non poſſit ingredi Eccleſiam, ſufficit oratio ante fores, vel in cœmeterio; & ſi Altaria viſitanda ſint in eadem Eccleſia, ſufficit ad illa converſio, modo ſit in tali ſitu, ut ad illa orare cenſeatur, & ſi Miſſa ſit præſcripta, ſufficit, licet una, aut altera cæremonia deficiat; & ſi indulgentia eſt annexa numiſmati, ſufficit, ſi illud ſecum, vel ante ſe habeat: non poteſt autem eodem actu, v. g. oratione plures lucrari indulgentias, bene autem eodem tempore pluribus actibus, v. g. audiendo Miſſam, & dicendo in ea Roſarium. 4. Non lucratur indulgentiam, qui ultimum opus in ſtatu diſgratiæ peragit, vel affectum habet ad mortale, dum peragit alia, ſi in Bulla habeatur: qui contriti, & confeſſi Eccleſiam viſitaverint, & oraverint, eleemoſynam dederint, &c. vel ſi in ſtatu diſgratiæ opus peractum non contribuat ad finem intentum, ut oratio pro converſione infidelium, pace obtinenda, &c. vel ſi cum diſtractione voluntaria fiat; quia Deus peccatores non audit: ſecus ſi eſſet eleemoſyna, licet cum vana gloria, vel in ſtatu diſgratiæ fiat pro redemptione captivorum, &c. quia adhuc uti-

Digitized by Google

utilis eſt ad finem intentum, modo non ſit ultimum; quia in fine ultimi operis indulgentia confertur; nec habens affectum ad veniale plenariam obtinet, ſaltem reſpectu illius peccati; quia culpa non eſt dimiſſa. 5. Indulgentia pro morte conceſſa ſolum valet ſecuta morte, pro articulo mortis vero, toties quoties in eo reperitur; & omnes exſpirant, elapſo tempore, revocatione, & deſtructione rei, ſi ſit realis, vel loci, ſi ſit localis, & durante anno Iubilæi omnes ſuſpenduntur indulgentiæ plenariæ pro vivis a Papa conceſſæ; non vero non plenariæ; vel pro defunctis, vel a Legato, vel Epiſcopo conceſſæ. Quoad opera injuncta, & privilegia Jubilæi ſtandum eſt verbis conceſſionis: debent tamen opera præſcripta peragi in eadem hebdomade, non tamen in eodem loco, vel Diœceſi, *P. Gerv. & Thom. ex Charm.* & pro illo lucrando etiam Religioſi, vel eorum nomine Superiores debent dare eleemoſynam, etiam pauperes, & jejunare etiam pueri. Poteſt aliquis Jubileum ſemel tantum lucrari, *Innoc. XI.* Abſolutio accepta a peccatis, & cenſuris Papæ reſervatis cum intentione lucrandi Jubilæum valet, licet illud poſtea non lucretur, *P. Gerv.* ſecus ſi nec intentionem illud lucrandi habuiſſet, *Pont.* vel ſi confeſſionem mala fide invalidam feciſſet; bene autem ſi bona fide fecerit invalidam, *Cabaſſ. S. Antonin. apud Tourn.* quia ſatisfecit fini reſervationis: poteſt etiam abſolvi a reſervatis Epiſcopo, *P. Gerv.* ſolet tamen ordinarie poteſtas abſolvendi a reſervatis ab Epiſcopis particulariter concedi, nec ſine ipſius licentia fieri debet, ut ſupra dictum eſt *Q. 7. quær. 11. Hinc* 1. qui lucratus eſt Jubilæum, poteſt adhuc vi illius abſolvi poſtea a peccatis reſervatis, & cenſuris antea commiſſis; etiam vota ei commutari tempore Jubilæi non cognita, *Ieſſ. Sanch. Henriq. & alii apud P. Gerv. & Tourn. contra Thom. ex Charm.* ſimiliter in confeſſione ex conſilio Confeſſarii uſque poſt Jubilæum dilata; & qui abſens fuit, poteſt illud rediens lucrari, & gaudere privilegiis Clem. VIII. nempe intra duas hebdomades, poſt reditum. Licentiam tempore Jubilæi eligendi quemlibet ab Ordinario approbatum intelligi reſpectu Regularium etiam ab Epiſcopo ſolum approbatum, *docet Tourn. Suar. Lugd. & alii*; etiam reſpectu Monialium, *Baſſ. ac alii*; contrarium tenet *Bonagr. P. Gerv.* quorum opinio eſt tutior,

tior, & in re tanti momenti præferenda. Abſolntio a cenſuris vi Jubilæi debet fieri in foro pœnitentiæ, *Tourn. contra P. Gerv.* quia illius abſolutio in ordine ad ſacramentalem abſolutionem permittitur. Denunciatus debet adhuc in foro externo abſolvi, ut ſe publice gerere poſſit ut abſolutus, *ibid.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De extrema unctione, et ordine.

Hic Tractatus tres continet quaſtiones 1. de extrema Unctione, 2. de Ordine, 3. de Iregularitate.

QUÆSTIO I.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Quæritur. 1. Quid ſit extrema Unctio?

Reſp. EXTREMA UNCTIO definitur Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo infirmi de vita periclitantes per unctionem olei, & orationem Sacerdotis obtinent ſalutem animæ, & ſanitatem morborum, ubi ſaluti animarum expedit.

Quær. 2. An extrema Unctio verum ſit Sacramentum, & quænam ſit illius materia, & forma?

Dico. Extrema Unctio eſt verum, ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum, quia omnes habet veri Sacramenti conditiones, & ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 14. *Can.* 1. & probabiliter poſt reſurrectionem a Chriſto Domino inſtitutum poſt pœnitentiam; quia ſupponit poteſtatem dimittendi peccata; cujus materia remota neceſſitate Sacramenti eſt oleum olivarum ab Epiſcopo, vel ab alio Sacerdote ex illius commiſſione benedictum, *Thom. ex Charm. P. Gerv.* quia Apoſtolus Jacobus ait: *ungentes eum*

 oleo,

oleo, *&c.* quo ſine addito intelligitur olvarum, & ita declaravit Concilium Flor. & Trid. *Seſſ.* 14. *Cap.* 1. & conſtans Eccleſiæ praxis. Materia vero proxima neceſſitate Sacramenti eſt unctio; quia eſt applicatio materiæ remotæ, & ſaltem in Eccleſia latina debet fieri in quinque ſenſibus, & qui gemini ſunt, ut duo oculi, in utriſque, cavendo, ne Sacramenti forma prius abſolvatur, *Bill.* vel urgente periculo ſaltem in uno ſenſu cum forma exprimente ſimul alios; quia, cum unctio in genere tantum a Chriſto fuerit determinata, poteſt ex determinatione Eccleſiæ ſufficere in neceſſitate unica facta in parte aliqua notabili; ex gravi tamen præcepto debet fieri, in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & antiquitus in renibus per modum crucis immediate pollice nullo adhibito inſtrumento, niſi in neceſſitate tempore peſtis, & Sacerdotibus in exteriori parte manuum; quia interior jam fuit uncta in Conſecratione, niſi alia ſit cонſuetudo. Forma vero ſunt verba Miniſtri, videlicet: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum* (ita de aliis ſenſibus) *deliquiſti, amen.* Eſſentialiter autem: *per iſtam Unctionem indulgeat tibi Deus, Thom. ex Charm.* quia per iſtam verba actio Miniſtri, ſubjectum, & effectu eſſentialiter exprimuntur, & verba: *Dei miſericordiam*, & ſenſus exprimentia ſub gravi requiruntur peccato; nec alia verba in Rituali præſcripta ſine neceſſitate ſunt omittenda; debetque eſſentialiter eſſe deprecatoria; quia ita indicavit S. Apoſtolus Jacobus dicendo: *orent ſuper eum, ungentes, &c.* & praxis Eccleſiæ.

Hinc 1. Deficiente Oleo ſacro infundendum eſt aliud olivarum non benedictum, ſed in minori quantitate. 2. Si deſint manus, pedes, vel oculi, ungendæ ſunt partes viciniores, *P. Gerv. & alii* 2. In neceſſitate moriente ægroto, vel tempore peſtis, ſufficit eum ungere in quovis ſenſu obvio, dicendo: *per iſtam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per ſenſus deliquiſti, amen. Rit. Diœceſ. Argent.* vel in oculis, *ibid.* dicendo: *quidquid per oculos, & alios ſenſus, &c.* vel ſi neceſſitas permittat, exprimendo omnes quinque ſenſus, *Sylv. Bonac. & alii*; poteſt etiam fieri Unctio calamo, goſſipio, aut bacillo tempore peſtis, poſtea comburendo, *P. Gerv.* quia poteſt eſſe neceſſitas, valetque Sacramentum omiſſa unctione unius oculi,

tuli, vel curis; peccat tamen graviter ſine neceſſitate omittens unctionem præſcriptam, vel verba ſenſus, vel miſericordiam exprimentia; quia eſt contra praxim Eccleſiæ in re gravi.

Quær. 3. Quiſnam ſit Miniſter, quænam præparatio, & effectus extremæ Unctionis?

Dico. Miniſter extremæ Unctionis ſolus eſt Sacerdos; quia ita indicat S. Apoſtolus Jacobus, & Concilium Trid. ita definivit *Seſſ.* 14. *Can.* 4. omniſque Sacerdos valide illam adminiſtrare poteſt; quia non eſſentialiter requiritur poteſtas juriſdictionis, ſed ſolum Ordinis; licite vero extra caſum neceſſitatis ſolum habens ordinariam, vel delegatam juriſdictionem. Subjectum capax eſt infirmus, de cujus morte (licet non ita proxima, *Tourn.*) timetur ab intrinſeco; quia ita declarat S. Apoſtolus Jacobus, dicens: *infirmatur quis, &c.* & Concilium Flor. & Trid. *Seſſ.* 14. *Cap.* 4. nec extremum exſpectandum eſt periculum; quia uſum rationis habens cum majori fructu, ac veneratione illam recipit: debetque illam recipiens 1. ſaltem per ſe eſſe in ſtatu gratiæ; quia eſt Sacramentum vivorum. 2. Habere intentionem ſaltem habitualem; quia non debet eſſe invitus. 3. Devotionem actualem, ſi poſſit, ſaltem pro majori fructu. Non eſt tamen neceſſaria neceſſitate medii; quia ſine illa homo poteſt ſalvari; nec neceſſitate præcepti directe, & graviter obligantis, *Paul. Lugd. Billuart, P. Gerv. & alii, ac comm. ibid. contra P. Thom. ex Charm. & Tourn.* quia nullibi tale extat præceptum per ſe graviter obligans: obligat tamen per accidens, *Auct. cit.* quia in tanto periculo conſtitutus auxilium tam utile negligere non poteſt ſine Sacramenti, ac ſalutis propriæ contemptu, & fidelium ſcandalo; & per ſe obligat Miniſtros illud adminiſtrandi petentibus; quia vi officii ad id tenentur. Effectus hujus Sacramenti primarius eſt 1. gratia Sacramentalis, quæ eſt gratiæ habitualis augmentum; quia eſt Sacramentum vivorum ſupponens ſtatum gratiæ habens jus annexum ad ſpecialia auxilia, quibus infirmus juvatur, & roboratur ad actus ſupernaturales eliciendos, tentationes dæmonis in ultima lucta vincendas, ac morbi moleſtias facilius perferendas. 2. Remiſſio peccati mortalis, ac venialis, ſi nondum ſint remiſſa, ſaltem per accidens, *P. Gerv. & alii*; & certius, quam in aliis Sacramentis vivorum, *ibid.* quia S. Apoſtolus Jacobus ait: *ſi in*

peccatis fuerit, remittentur ei, quod non dicitur de aliis Sacramentis vivorum. 3. Abſterſio reliquiarum peccati, nempe propenſionis ad malum, corporis ad bonum, triſtitiæ, anxietatis, debilitatis mentis. 4. Alleviatio infirmi per fiduciam in Dei miſericordiam. 5. Aliquando ſanitas corporis, ſi ſaluti animæ expediat, ex opere operato, *Tourn. Thom. ex Charm.* non tamen eſt reiterabile hoc Sacramentum in eodem morbo, niſi poſtquam convaluerit; quia ita indicat Concilium Trid. debetque ſervari ritus cujuslibet Diœceſis.

Hinc 1. Graviter peccat Parochus extremam Unctionem morientibus non ſolum petentibus, ſed etiam aliis adminiſtrare negligens; quia tenetur illam adminiſtrare ex juſtitia vi officii Paſtoris; vel differens, donec ſenſibus ſint deſtituti, *P. Gerv.* quia licet ſenſibus deſtituti valide illam recipiant, ex Parochi tamen culpa uberiori privantur fructu, ac Sacramentum reverentia; & alius Sacerdos abſente Parocho in neceſſitate illam non adminiſtrans peccat venialiter, *P. Gerv.* quia tenetur ſaltem ex charitate; & mortaliter, ſi ægrotus nullum aliud poſſit recipere Sacramentum; quia exponitur periculo æternæ ſalutis, cum extrema Unctio conferat primam gratiam ſaltem per accidens; & certius quam alia Sacramenta vivorum; & tenetur Parochus in tali neceſſitate etiam cum periculo vitæ, ut tempore peſtis illam adminiſtrare; quia cenſetur eſſe in extrema neceſſitate; non autem ſecluſa tali neceſſitate; quia ſine illa poteſt ſalvari, *P. Gerv.* alius vero Sacerdos ſine neceſſitate, & Parochi licentia illam adminiſtrans peccat graviter; quia uſurpat alterius jurisdictionem in re gravi, & Regularis inſuper incurrit excommunicationem, *in Clem. de privil.* niſi fieret in eorum Clauſtro. Poteſt etiam ungi infirmus ſimul a pluribus in diverſis partibus, & diverſa forma, ſi non poſſit abſolvi ab uno, *Baſſa*, *& S. Thom.* quia quælibet unctio, & forma habet ſuum effectum: vel ſucceſſive, & ſi peracta una unctione deficiat Sacerdos, poteſt alius pergere, *P. Gerv.* poſſet etiam de novo repeti, *Marat. ibid.* non tamen unus ungere, & alter proferre formam, nec unus ungere unum oculum, alter alterum, *Dian.* nec ungere ſeipſum; quia mutaretur forma eſſentialiter. 2. Non debent ungi infantes ante uſum rationis; quia cenſentur non peccaſſe; bene autem in ſeptennio; quia ordinarie cenſentur habere ratio-

rationem, etiam illi, in quibus malitia ſupplet ætatem, *Rit. Arg. P. Gerv. cum com.* & in dubio ſub conditione, *P. Gerv.* nec ungendi perpetuo amentes; bene autem delirantes, & phrenetici, modo præcaveatur irreverentia eos ligando, vel tenendo, *Baſſa.* etiam muti, cœci, ſurdi a nativitate; quia poſſunt peccaſſe ſenſibus internis, niſi alia ſit Diœceſis conſuetudo, ut in Argentinenſi, *Rit. Arg.* mutis a nativitate fiat unctio ad labia, ſed reticeantur verba: *per locutionem, ibid.* 3. Nec debent ungi milites ineuntes bellum, nec exiſtentes in periculoſa navigatione, nec tempore naufragii, nec damnati ad mortem; quia periculum provenit a cauſa extrinſeca; bene autem, ſi reus juſſu Judicis vena ei aperta fiat infirmus; vel ille, cui ſanguis ſiſti nequit; vel qui viperarum morſu, vel ſcorpionum ictu, vel vulnere, veneno, ſenio, prægnatione, puerperio infirmantur; vel phtyſici reſpiratione carentes; quia omnes iſti ſunt infirmi, & in periculo mortis ex cauſa intrinſeca. 4. Graviter peccat in ſtatu mortali extremam Unctionem recipiens, & non confitens prius ſi poſſit, vel conterens, ſi non poſſit, *P. Gerv. & Thom. ex Charm.* quia obligat confeſſio in tali periculo, & contritio ob reverentiam Sacramenti. 5. Licet cæremoniæ cujuslibet Eccleſiæ ſervandæ ſint, non tamen eſt mortale, 1. ſi quis adminiſtraret extremam Unctionem ſine ſuperpelliceo & ſtola in neceſſitate, & nec veniale, ſi ſit valde urgens, *Tamb. & alii;* nec ſi unctio fiat non in forma crucis, vel ſi non dicantur Palmi pœnitentiales; bene autem ſi aliæ orationes antecedentes, & ſubſequentes omittantur ſine neceſſitate, *Bonac. & alii;* ac poſtea ſupplendæ ſunt; non tamen ſub mortali, *P. Gerv.* nec requiritur ſub mortali miniſtrans Sacerdotem adjuvans; nec lumen; neque ſub veniali in neceſſitate; nec poteſt Parochus retinere ſanctum Oleum in ſua domo, ut vocatus citius veniat ad ægrotum; non tamen eſt mortale, niſi illud continuo domi retineat, *Barboſa, & alii;* nec ſub mortali danda eſt extrema Unctio poſt Euchariſtiam; quia datur in quibuſdam Diœceſibus ante Viaticum, & poteſt dari in quocunque ſitu, prout neceſſitas ægroti requirit.

QUÆSTIO II.

DE ORDINE.

Quæritur. 1. Quid ſit Ordo, & quot ſint Ordines?

Reſp. 1. ORdo, ſeu Ordinatio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo gratia, ſpiritualiſque poteſtas traditur Clerico ad Euchariſtiam conſecrandam, conſecranti inſerviendum, cæteraque munia eccleſiaſtica rite obeunda.

2. Septem ſunt Ordines, videlicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus, quorum tres primi dicuntur majores ab majorem poteſtatem propinque miniſtrandi circa Euchariſtiam & ſacri; quia annexam habent legem continentiæ, ac horarum canonicarum obligationem; quibus aliqui addunt Epiſcopatum ut Ordinem probabilius diſtinctum. Quatuor poſteriores minores, ob minorem poteſtatem remote duntaxat miniſtrandi circa Euchariſtiam; & non ſacri; quia non annexam habent legem continentiæ, nec horarum canonicarum obligationem, quibus aliqui addunt tonſuram, ut Ordinem a minoribus diſtinctum, ſed minus probabiliter.

Quær. 2. Quomodo definiantur ſinguli Ordines?

Reſp. Epiſcopatus definitur Ordinatio, qua per manuum impoſitionem ab Epiſcopo conſecratore, & aſſiſtentibus Epiſcopis factam ſub præſcripta verborum forma traditur Presbytero poteſtas regendi Eccleſiam Dei. *Presbytaratus* eſt Ordinatio, qua per traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum Hoſtia, & impoſitionem manuum Epiſcopi ſub præſcriptis verborum formis traditur poteſtas Euchariſtiam conficiendi, & a peccatis abſolvendi. *Diaconatus* eſt Ordinatio, qua per traditionem libri Evangeliorum, & impoſitionem manuum Epiſcopi ſub præſcriptis verborum formis confertur poteſtas Evangelium legendi, & Sacerdoti immediate aſſiſtendi. *Subdiaconatus* eſt Ordinatio, qua per traditionem Calicis vacui cum Patena vacua, & Libri Epiſtolarum ſub præſcriptis verborum formis confertur poteſtas proxime inſerviendi Diacono ſolemniter mini-

niſtranti, & legendi Epiſtolas in Eccleſia. *Acolytatus* eſt Ordinatio, qua per traditionem candelabri cum cereo extinčto, & urceoli vacui ſub præſcriptis verborum formis confertur poteſtas accendendi Eccleſiæ luminaria, & ſuggerendi vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti. *Exorciſtatus* eſt Ordinatio, qua per traditionem libri Exorciſmorum ſub præſcripta verborum forma confertur poteſtas manus imponendi ſuper energumenos ad expellendum dæmonem. *Lectoratus* eſt Ordinatio, qua per traditionem libri Lectionum ſub præſcripta verborum forma confertur poteſtas legendi, vel cantandi Lectiones in divinis Officiis, ac alias inſtructiones, & benedicendi novos fructus. *Oſtiariatus*, eſt Ordinatio, qua per traditionem clavium ſub præſcripta verborum forma confertur poteſtas aperiendi, & claudendi Eccleſiam, arcendi indignos, percutiendi cymbalum, ac campanam, & eccleſiaſticam ſuppellectilem cuſtodiendi. *Prima Tonſura* eſt ritus ab Eccleſia inſtitutus, quo quis capillorum abſciſſione a ſtatu laicorum diſtinguitur, & ad Ordines ſuſcipiendos melius diſponitur.

Quær. 3. *An Ordo verum ſit Sacramentum?*

Dico. Ordo, ſeu Ordinatio eſt verum, ac proprie dictum Sacramentum novæ Legis; quia habet omnes conditiones ad Sacramentum verum proprie dictum requiſitas, & ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *Can.* 3. eſtque a Chriſto inſtitutum in ultima Cœna dicente: *hoc facite in meam commemorationem*, ut docet Concilium Trid. *Seſſ.* 22. *c.* 1. ſeptem autem ſunt Ordines, videlicet, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus, & omnes ſunt Sacramenta; quia omnes habent conditiones ad Sacramentum requiſitas, & de Presbyteratu ita expreſſe de fide definivit Concilium Trid. & de Diaconatu id negare eſſet temerarium, *ita comm.* quibus annumeratur Epiſcopatus tanquam Sacracramentum a Presbyteratu diſtinctum, non vero Tonſura; quia etiam Epiſcopatus veras habet conditiones Sacramenti, & imprimit caracterem, & poteſtatem confert a Presbyteratu diſtinctam; non vero Tonſura, ſed ſolum ad Ordines præparat; ſuntque Epiſcopi Jure divino Presbyteris ſuperiores ordine, juriſdictione, honore, ac dignitate; quia Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, *Actor*, 20, & Jure divino ſunt ſoli Miniſtri ordinis, &

con-

confirmationis, ac juriſdictionem habent in alios Presbyteros, ita definivit Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *Can.* 7.

Quær. 4. *Quanam ſit materia, & forma Ordinum in genere, & in particulari?*

Reſp. prænot. Tactus alius eſt realis, ac phyſicus, quo inſtrumentum porrectum realiter tangitur; alius moralis, qui fit extenſione manuum verſus inſtrumentum ſine tactu reali, quo oſtenditur inſtrumentum porrectum acceptari. Hoc notato.

Dico 1. Materia remota Ordinis in communi eſt aliquod inſtrumentum Ordinandis in ſignum poteſtatis ſpiritualis traditum, & proxima eſt ejuſdem Traditio, & acceptatio; forma vero ſunt verba ab Epiſcopo prolata cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur; quia ita expreſſe habetur in Concilio Carthaginenſi IV. & Florent. Materia particularis Ordinum differt quidem in Eccleſia latina, & græca; non tamen eſſentialiter, & cum eam in ſpecie determinandam Chriſtus Eccleſiæ reliquerit, potuit Eccleſia utriuſque ritum permittere. In utraque latina, ac græca de neceſſitate Sacramenti requiritur juxta probabiliorem, ac tutiorem tactus materiæ phyſicus, quo inſtrumentum porrectum realiter tangitur, *P. Thom. ex Charm. Billuart*; ſaltem una manu, *P. Gerv.* quia materia eſt phyſica, & forma per λη *accipe* videtur indicare tactum phyſicum, & ita docet praxis Eccleſiæ; de neceſſitate vero præcepti tactus utraque manu, quoad Calicem cum Patena, & Patenam cum pane, *P. Gerv.* ſufficienter tamen tangitur vinum mediante Calice, & panis mediante Patena, *Billuart*; quia ita eſt praxis Eccleſiæ. Materia vero particularis cujuslibet Ordinis eſt, 1. Oſtiariatus materia remota ſunt claves, proxima eſt traditio clavium per Epiſcopum facta, & acceptatio; forma vero ſunt verba Epiſcopi: *ſic age quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. 2. Lectoratus materia remota eſt liber lectionum, proxima eſt traditio illius, & acceptatio, & forma: *accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus (ſi fideliter, & utiliter impleveris Officium) partem cum his, qui verbum Dei miniſtrarunt ab initio*. 3. Exorciſtatus materia remota eſt, liber exorciſmorum, proxima eſt libri exorciſmorum traditio, & acceptatio, ac forma: *accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos ſive baptizatos, ſive cathecumenos*.

4. Aco-

4. Acolytatus duplex eſt materia partialis, nempe remota, candelabrum cum cereo extincto, & ſaltem unicus urceolus vacuus, proxima eſt traditio, & acceptatio candelabri cum cereo extincto, ac urceoli vacui, & duplex forma partialis videlicet: *accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias, te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini*. Altera: *accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis in nomine Domini*. Sacrorum Ordinum etiam eſt duplex materia, & forma partialis in Eccleſia latina, videlicet, 1. Subdiaconatus materia remota partialis eſt Calix vacuus, & Patena vacua, proxima, utriuſque traditio, & acceptatio, forma vero partialis correſpondens: *videte, cujuſmodi Miniſterium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis*; & altera materia remota, eſt Liber Epiſtolarum, proxima illius traditio, & acceptatio, forma vero: *accipe Librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis*. 2. Diaconatus materia remota partialis ſunt manus Epiſcopi, proxima eſt manuum Epiſcopi impoſitio, forma vero partialis: *accipe Spiritum Sanctum, ac robur ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*. Altera materia partialis remota eſt Liber Evangeliorum, proxima libri Evangeliorum traditio, & acceptatio, forma vero: *accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*. 3. Presbyteratus materia partialis remota, eſt Calix cum vino, & Patena cum pane, proxima, eſt traditio, & acceptatio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, forma autem partialis: *accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*. Altera materia remota, ſunt manus Epiſcopi, proxima impoſitio manuum Epiſcopi, & forma: *quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, quorum retinueris, retenta ſunt*. 4. Epiſcopatus materia remota eſſentialis ſunt manus trium Epiſcoporum, proxima impoſitio manuum a tribus Epiſcopis, vel ſaltem unius cum diſpenſatione Papæ; quia ita docet praxis Eccleſiæ, & forma: *accipe Spiritum Sanctum, &c.* Integralis vero Unctio capitis, & manuum cum Traditione baculi, annuli, & Libri Evangeliorum, & forma ſunt verba correſpondentia, *Tourn*.

Hinc

Hinc 1. Graviter peccat inſtrumenta non phyſice, nec moraliter tangens, vel ordinans verba proferens, & alius inſtrumenta porrigens, & reiteranda eſt Ordinatio; quia eſt invalida; valida tamen eſt Ordinatio Subdiaconi tangentis phyſice Calicem, licet non Patenam ſuperpoſitam, *P. Gerv. & alii*; vel Presbyteri tangentis Calicem, ac Patenam, licet non immediate tangat Vinum, vel Hoſtiam, *Gob.* quia Subdiaconus tangere cenſetur phyſice ſaltem mediante Calice Patenam, & certius Presbyter mediante Calice Vinum; & mediante Patena Hoſtiam ſuperpoſitam, nullumque quoad tactum Panis, & Vini ſubeſt, ſaltem morale nullitatis dubium, *Billuart.* communiter enim ſumitur continens pro contento. 2. Qui non tetigit, quando prolata fuit forma, ſed paulo ante, vel poſt, valide videtur ordinatus, ut multi docent, *Baſſ.* quia moralis adhuc cenſetur materiæ, & formæ unio: poteſt tamen Ordinatio ſub conditione reiterari, præcipue, ſi ſit Presbyteratus, vel Epiſcopatus, *Gob.* quia ſecurius eſt. 3. qui inſtrumenta tetigit tantum moraliter extenſione manuum verſus illa, debet de novo ordinari, *Pont.* præcipue in Presbyteratu; quia ipſius Ordinatio ſaltem eſt dubia, & ob alia Sacramenta a Presbytero adminiſtranda pro eorum valore neceſſitas magis ſuadet; ſi vero dubitet dubio poſitivo utrinque rationes habens probabiles, an phyſice, vel ſolum moraliter tetigerit, etiam repetendus eſt ordo, præcipue Presbyteratus, vel Epiſcopatus, *P. Gerv.* quia in dubio circa valorem Sacramentorum tutior pars eſt eligenda; non ſufficit tamen timor, vel oblivio; quia cum ordinarie plures periti adſtent corrigentes defectus, raro error circa valorem committitur. 4. In Ordinatione Presbyteratus tacto Calice cum Vino, & Patena cum Pane ſubito infirmatus, & ante impoſitionem manuum Epiſcopi e Capella tranſportatus, in ſequenti Ordinatione debet ſuppleri, quod defuit, nec de novo integre ordinandus, *Fromageau apud Pont.* interim tamen non poteſt valide abſolvere, etiamſi eſſet curatus, & haberet juriſdictionem; quia nondum accepit poteſtatem; nec poteſt celebrare; quia non eſt integre ordinatus, & dubium eſt, an valeret Conſecratio, cum diverſæ deſuper ſint opiniones, quamvis poteſtatem conſecrandi, ac celebrandi per materiam, & formam partialem accepiſſe cenſeatur.

Quar. 5.

Quær. 5. *Quiſnam ſit Miniſter Ordinum?*

Dico. Solus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius Sacramenti Ordinis; quia ita in Concilio Flor. & Trid. *Seſſ.* 23. *Can.* 7. eſt definitum. Poteſt tamen ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ eſſe Miniſter extraordinarius, & conferre primam Tonſuram, & quatuor minores; quia etiam ita declaravit Concilium Trid. *Seſſ.* 13. *Cap. de abbatibus quoad ſibi ſubditos*: non vero majores Ordines; quia ita docet Traditio, ac praxis Eccleſiæ; & ad Conſecrationem Epiſcopi tres requiritur Epiſcopi, non quidem neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, quia hunc numerum requirunt S. Canones, ac praxis Eccleſiæ. Ordinatio juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *Cap.* 8. ſub pœna ſuſpenſionis Ordinantis a collatione Ordinum per annum, & ordinati ad arbitrium proprii Epiſcopi fieri debet a proprio Epiſcopo, vel originis, in cujus Diœceſi quis natus eſt, vel beneficii, in cujus Diœceſi beneficium obtinuit, ſive reſidentiam poſtulet, ſive non; vel domicilii, in cujus Diœceſi quis commoratur cum propoſito ibidem perpetuo manendi; & in Gallia ex ſpeciali ſtatuto Cleri Gallicani 1655. a ſolo Epiſcopo originis, *Pont.* & Regulares debent ordinari ab eo, in cujus Diœceſi ſitum eſt monaſterium, *Thom. ex Charm. & alii*; Litteras dimiſſoriales concedere poteſt, 1. Epiſcopus ſuis ſubditis ex juſta cauſa, & examinatis, *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 3. *de Reform.* 2. Capitulum ſede vacante anno elapſo a die vacante, niſi eas poſtulans beneficii eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi occaſione arctatus fuerit, *Conc. Trid. Seſſ.* 7. *Cap.* 12. 3. Prælati regulares ad Epiſcopum Diœceſanum, non vero ad alium dare poſſunt dimiſſoriales, niſi diœceſanus eſſet abſens, vel non daturus Ordines, quæ cauſa in iis exprimi debet, *Pont.* modo non de induſtria dimiſſorias diſtulerint in id tempus, quo proprius Epiſcopus non ſit habiturus Ordinationem, *Clem. VIII.* ſecus pœnam privationis officii, & dignitatis, ac vocis activæ, & paſſivæ incurrunt. Dimiſſoriæ non extinguuntur morte concedentis; quia eſt gratia, ſed revocatione concedentis, vel ſucceſſoris, *Tourn.*

Hinc 1. Simplex Sacerdos in Indiis ex commiſſione Papæ poteſt dare quatuor minores, non vero Subdiaconatum, & alios Ordines majores. 2. Clericus recuſatus ab Epiſcopo pro minoribus, illos recipiens ab illius Coadiutore

tore graviter peccat, & ſuſpenſionem incurrit, *Fromagèau.* 3. Epiſcopus ordinans, per decennium, vel ultra in ſua Diœceſi negotiorum, vel ſtudiorum gratia commorantem, graviter peccat; quia, cum non ibi animo ſit perpetuo manendi, non contraxit domicilium ſufficiens pro Ordinatione, *Pont.* niſi fuiſſet illius domeſticus per triennium, eique beneficium quacunque fraude ceſſante ſtatim conferat, *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 9. quamvis triennium inceperit, antequam eſſet Epiſcopus, non tamen hoc privilegio gaudent Epiſcopi ſolum titulares, *Baſſ. Bonac.* nec poteſt domeſticus mortuo Epiſcopo recipere Ordines a ſucceſſore, niſi eidem per triennium inſerviat, vel in Diœceſi maneat cum propoſito in ea perpetuo commorandi, quod comprobari debet non verbis, ſed per acquiſitionem officii in illa, vel translationem partis bonorum ſuorum mobilium, vel per decennalem commorationem a Concilio Mediol. IV. requiſitam; & inſuper in Gallia legitimam debet habere rationem; quia per Clerum Gallicanum ſtatutum eſt 1655. ut non niſi ab Epiſcopo originis fiat Ordinatio, a quo ſine juſta ratione recedere non licet, habens vero licentiam ordinandi in aliena Diœceſi poteſt etiam ibidem ordinare ſuos ſubditos, *P. Gerv.* non tamen ſufficit ſpes ratihabitionis pro ordinando alieno, niſi in foro conſcientiæ, *Suar. Baſſ.* 4. Qui accepit quatuor minores, vel Subdiaconatum in Diœceſi beneficii, non poteſt recipere alios Ordines in Diœceſi originis; quia habens plures Epiſcopos, originis, & domicilii, vel beneficii facta ſemel electione, & ſubmiſſione unius juriſdictioni, non poteſt eam mutare, *Cabaſſ. apud Pont.* 5. Habens reſcriptum a Papa permittens ordinari a quolibet Epiſcopo, licite ordinatur a quocunque, ſed ab Ordinario teſtimonium morum habere debet, *Pont.* habens dimiſſorias a ſuo Epiſcopo ad alium, poteſt ipſo etiam poſtea mortuo illis uti; quia eſt pura gratia non exſpirans morte concedentis, *Pont.* dimiſſoriæ vero a Vicario-Generali Epiſcopi non valent, niſi ſpecialem habeat illas concedendi facultatem, vel Epiſcopo abſente in remotis; *Bonifac. XIII.* uti ſi eſſet extra regnum, *Pont.* valet tamen illius diſpenſatio ab interſtitiis, ſi habeat poteſtatem concedendi dimiſſorias abſente Epiſcopo, *Fagna. apud Pont.* nec valent dimiſſoriæ a Vicario-Generali Capituli ſede vacante, niſi quis urgeatur beneficio obtento,

vel

vel obtinendo, vel anno vacationis elapſo, *Pont.* ſedens autem cenſetur vacans uſque ad novi Epiſcopi poſſeſſionem, *ibid.*

Quær. 6. Quodnam ſit ſubjectum capax Ordinum, & quæ in eo requirantur diſpoſitiones?

Dico. Subjectum capax Ordinum eſt, via ordinaria homo viator, in quo ad validitatem requiritur 1. Ut ſit maſculus. 2. Baptizatus. 3. Aliqua intentio in adulto, ut non ſit abſolute invitus: ad liceitatem vero 1. Vocatio Dei. 2. Status gratiæ. 3. Confirmatio, & prima Tonſura. 4. Requiritur ſub pœna privationis exercitii Ordinis ipſo jure, titulus congruæ ſuſtentationis ſive ex beneficio, ſive ex patrimonio, ſive ex penſione, exceptis Religioſis, quibus ſufficit titulus paupertatis, 5. Ætas legitima, quæ pro prima Tonſura, & tribus minoribus eſt ſeptennium; pro Acolytatu annus duodecimus completus, pro Subdiaconatu vigeſimus ſecundus; pro Diaconatu vigeſimus tertius, pro Preſbyteratu vigeſimus quintus, omnes incepti, *Concil. Trid. Seſſ.* 23. *Cap.* 12. pro Epiſcopatu trigeſimus completus, & in Gallia vigeſimus ſeptimus inceptus, *Pont.* 6. Tempus ſtatutum pro Ordinatione, videlicet ad Ordines majores Jure communi ſub pœna ſuſpenſionis ab executione Ordinum in Sabbatis quatuor Temporum, in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, in Sabbato ſancto, & ex juſta cauſa in Dominica ſequenti, qualis eſt, ſi non omnes poſſent expediri in Sabbato, modo jejunium continuetur ab Ordinante, & ordinando, *P. Gerv.* & extra tempora poſſunt ordinari diſpenſati, vel privilegiati ſi placuerit Epiſcopis, ut ſunt Regulares, præcipue Fratres Minores, *Greg. XIV. Clem. VIII. Paul. V.* & Ordines minores quavis die Dominica, vel Feſtiva dari poſſunt, & ex juſta cauſa in jejunio quatuor Temporum etiam cum Subdiaconatu ex legitima conſuetudine, *Vaſq. & alii*; non vero duo majores, ut Subdiaconatus, & Diaconatus eadem die ſub pœna ſuſpenſionis ſuſcipientis, ac conferentis, *P. Paul. Lugd. P. Gerv.* & Tonſura quavis die: Epiſcopatus vero non niſi die Dominica, *P. Gerv.* & omnes Ordines, etiam minores, cum jejunio conferri debent, *Conc. Trid. cit. cap.* 8. & ob reverentiam illorum in Miſſa, *P. Gerv.* poſſunt tamen etiam conferri extra Miſſam adhibita ſtola ſupra Rochetum, *Catech. ad Ord.* 7. Obſervatio interſtitiorum a ſuſceptione minorum, & inter majores

jores unius anni, *Conc. Trid. cit. cap.* 11. nempe anni Eccleſiaſtici, qui deſumitur ab uno tempore ſancto, vel Feſto ad idem alterius anni, licet prius cadat, *Pont.* 8. Ordinata ſuſceptio, & non per ſaltum ſuſcipiendo ſuperiorem ante inferiorem ſub pœna ſuſpenſionis Ordinis ſuſcepti, *in Jur.* 9. Immunitas ab omni irregularitate. 10. Scientia ſufficiens ad uſum cujuſcumque Ordinis, videlicet, pro prima Tonſura rudimenta fidei. & ſaltem poſſe legere, & ſcribere; pro minoribus lingua latina; pro Subdiaconatu, & Diaconatu, quæ ad iſtos Ordines pertinent; pro Sacerdotio, ut populum docere poſſit neceſſaria ad ſalutem, & adminiſtrare Sacramenta, minor in Regularibus, quam in ſæcularibus; quia eos ex ſocietate, & continuo uſu, ac ſtudio in litteris magis profecturos præſumitur, *Baſſa.* 11. Teſtimonium morum. 12. Animus clericandi.

Hinc 1. Invalide ordinantur fœminæ, hermaphroditi æque, vel magis ſexum fœmineum participiantes. 2. Infideles, ac Judæi; quia Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum. 3. Dormiens, ebrius, qui nunquam de Ordine ſuſcipiendo cogitavit, nec cònſenſit. 4. Infans, vel perpetuo amens ſaltem veriſimilius invalide ordinatur, *Tourn.* quia deficit in eis intentio etiam interpretativa; cum enim non ſit Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, & gravia habeat onera, ut cœlibatus, &c. non licet inferre, gratam ei fore Ordinationem contra uſum Eccleſiæ; ſaltem eſt dubia, & ſub conditione reiteranda, præcipue Preſbyteratus; quia propter alia Sacramenta a Preſbytero adminiſtranda, quod ſecurius eſt, debet teneri.

Hinc 2. Valide, ſed illicite ordinantur, 1. per metum injuſte incuſſum ordinati, poſſuntque inire matrimonium, nec tenetur ad caſtitatem Ordinibus ſacris annexam, nec ad Officium, niſi ſponte poſtea ratificaverint, verbo, vel opere, libere exercendo Ordinem ſuſceptum. 2. Non ſubditis, ut ſcholares, & milites, vel tranſeuntes; quia non habent domicilium permanens, natus vero in una Diœceſi, & habens domicilium in altera, & beneficium in tertia, poteſt a quolibet ordinari, vel accipere dimiſſoriales excepto in Gallia a ſolo Epiſcopo originis; quia ita ſtatutum eſt in comitiis 1657. natus ex fornicatione ſequitur domicilium matris, *Baſſa.* quia partus ſequitur ventrem; & nati a legatis Principum in Regno alieno

tem-

tempore legationis, vel fortuito in aliena Diœceſi ſequuntur domicilium patris, *Thom. ex Charm.* 3. Illicite ordinatur mane Diaconus incipiens veſpere duntaxat annum vigeſimum tertium, *P. Gerv.* quia tempore Ordinationis nondum haberet ætatem præſcriptam. 4. Hæreticus, excommunicatus, degradatus, ſimoniacus, vel ſceleratus valide ordinantur ſed non licite, *Tourn. Pont.* quia ita docet praxis Eccleſiæ, & Concilium Nicæn. *Can.* 8. 5. Graviter peccat, licet nullam incurrat ſuſpenſionem, vel irregularitatem (*Bill.*) Ordinatus non ſervatis interſtitiis abſque diſpenſatione Epiſcopi ordinandi; quia eſt contra grave præceptum, & diſpenſatio non pertinet ad Epiſcopum ordinantem extraneum per dimiſſoriales, *Bill.* nec poſſunt Superiores regulares diſpenſare interſtitia ſuis ſubditis, *Congr. Concil. Trid. apud Tourn.* cauſæ autem diſpenſandi ſunt, utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ, *Conc. Trid.* promotio ad curam animarum, vel dignitatem altiorem Ordinem exigentem, *Tourn.* ætas provecta cum eximia ordinandi virtute, ac favor ſtudiorum in aliqua Univerſitate, *Barboſa*.

Quær. 7. *Quinam ſint effectus Ordinis, ac cujuslibet functiones?*

Dico. Effectus Ordinis præcipue ſunt quinque, videlicet 1. gratiæ ſanctificantis augmentum, & per accidens prima gratia, *vide de Sacram. in gen.* 2. Gratia ſacramentalis, quæ eſt ipſa habitualis habens annexum jus ad gratias actuales neceſſarias ad officia cujuslibet Ordinis propria rite perſolvenda, & poteſtatem ſpiritualem, quæ tamen cum illa non amittitur; quia fundatur in caractere. 3. Caracter indelebilis in quolibet Ordine impreſſus, & ex omnibus totalem perficiens; ita tamen, ut caracter partialis impreſſus in Presbyteratu cum poteſtate abſolvendi eſſentialiter præſupponat illum cum poteſtate conſecrandi, & caracter Epiſcopatus illum Presbyteratus, non autem ita alii caracteres a ſe dependent. 4. Jus ad quaſdam functiones, ſeu officia, videlicet, ut *Oſtiarii*, ſervare claves templi, arcere indignos, percutere cymbalum, & campanam, claudere, & aperire Eccleſiam, Sacrarium, & librum ei, qui prædicat. *Lectoris*, legere, quæ pertinent ad inſtructionem, cantare lectiones, benedicere panes, & novos fructus. *Exorciſta*, ejicere dæmones, dicere populo, ut, qui non communicat, det locum

alteri, & infundere aquam in Miniſterium Baptiſmi; *Acolythi*, ceroſerarium ferre, luminaria Eccleſiæ accendere, vinum, & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare. *Subdiaconi*, proxime miniſtrare Diacono, & Calicem vacuum eum Patena deferre, & tradere Diacono, cantare ſolemniter Epiſtolam, abluere Corporalia, & Pallas, &c. *Diaconi*, immediate aſſiſtere, & miniſtrare celebranti, ſolemniter in Miſſa cantare Evangelium, ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi ſolemniter in neceſſitate baptizare, & cum eadem licentia, ac neceſſitate Euchariſtiam diſpenſare, cum licentia Epiſcopi prædicare, colligere oblationes, opes, & proventus Eccleſiæ adminiſtrare, reconciliare publicos pœnitentes abſente Epiſcopo, & pauperum curam gerere. *Sacerdotis* inſuper, eſt conſecrare Euchariſtiam, a peccatis abſolvere, ac alia adminiſtrare Sacramenta, excepto Ordine, & Confirmatione, dona Dei benedicere, ad Deum præces fundere, prædicare verbum Dei, & docere populum, ſi Epiſcopus permittat. *Epiſcopi*, Clericos ordinare, virgines benedicere, Eccleſias dedicare, Clericos deponere, Chryſma conficere, veſtes, & vaſa conſecrare, Chryſmate ungere, excommunicare, interdicere, ſuſpendere a Sacris. Et *Archiepiſcopi, vel Primatis*, inſuper Epiſcopis ſuæ provinciæ præſidere, punire, non tamen deponere, quod Papæ reſervatur, *P. Gerv.* 5. Quædam obligationes, videlicet in majoribus dicendi Officium divinum, geſtandi habitum clericalem cum Tonſura; & in minoribus, ſaltem ſi habeant beneficium, abſtinendi a quibuſdam officiis, & artibus, ut Medici, Chyrurgi, Judicis in cauſa ſanguinis, Advocati, niſi in cauſa miſerabilium, non portare arma, niſi in itinere, nec tabernas frequentare potationis cauſa, nec vacare venationi clamoroſæ, mercaturæ, negotiationi per ſeipſos lucri cauſa, nec ludere aleis, &c. denique ſervare caſtitatem Jure eccleſiaſtico, & voto implicito ex ordinatione Eccleſiæ ſacris Ordinibus annexo, *Baſſæ*, *Billuart*; quia ſi eſſet ex ſola Lege Eccleſiæ, poſſet Papa abſque cauſa valide in ea diſpenſare, ut in aliis Eccleſiæ Legibus.

Hinc 1. In Eccleſia latina initiati ſacris Ordinibus, nec valide nubere, nec matrimonio prius contracto licite uti poſſunt, *Conc. Eliber. Can.* 33. *& Carth. IV. Can.* 1. nec in Eccleſia græca valide nubere, bene autem ma-

trimo-

trimonio legitime prius contracto uti; non tamen Epiſcopi, *P. Gerv.* quia ita mos obtinuit. 2. Non tenetur vi Ordinis ad continentiam Sacerdos Ordines ante uſum rationis, vel ex metu gravi injuſte in hunc finem incuſſo ſuſcipiens; quia votum eſt in primo caſu ex natura rei, & in ſecundo ex ipſo jure irritum, nec lege obligatur. 3. Non tenetur ad caſtitatem vi voti expreſſe caſtitatem vovere nolens; quia defuit conſenſus ad voti valorem requiſitus; tenetur tamen vi præcepti Eccleſiæ vovere, & ſervare caſtitatem, *Billuart*; quia ita intendit Eccleſia. 4. Solum ignorans votum continentiæ ſacro Ordini eſſe annexum, tenetur ad votum; quia volens officium etiam implicite vult obligationes ei annexas.

QUÆSTIO III.

DE IRREGULARITATE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Irregularitas?

Reſp. IRregularitas eſt impedimentum canonicum, ex defectu, vel delicto proveniens, quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines, & beneficia licite ſuſcipienda, & eorum functiones obeundas; differt a cenſuris, quæ non directe, ſed ſolum indirecte impediunt ſuſceptionem, & executionem Ordinum.

2. Dividitur 1. in totalem, quæ omnium Ordinum ſuſceptionem, & uſum impedit, ut per homicidium; & partialem, quæ alicujus tantum Ordinis ſuſceptionem, vel aſcenſum, vel ſuſcepti uſum impedit; & temporalem, ut impedit ad tempus ſuſceptionem Ordinum, ut minor ætas. 2. Dividitur in irregularitatem ex defectu abſque propria culpa, & in irregularitatem ex delicto, ſeu facto, quæ fundatur in peccato, quod debet eſſe grave, externum, & conſummatum.

Quær. 2. Quomodo, & quot modis contrahatur irregularitas ex defectu?

Dico. Irregularitas quæcunque incurritur etiam ab ignorantibus eam invincibiliter; quia non eſt proprie pœna, ſed impedimentum ad Ordines, ac beneficia ſuſci-

pienda, eorumque functiones ſubeundas; & contrahitur ex defectu octo modis, videlicet 1. *Ex defectu animi*, nempe uſus rationis, ſcientiæ per Canones requiſitæ, & fidei obſirmatæ, ut Neophitus. 2. *Ex defectu corporis*, quando aliquis ita eſt deformis, vel morbo fœdo affectus, ut ſine offenſione, horrore, contemptu, aut ſcandalo Ordines exercere nequeat. 3. *Ex defectu natalium*, quando quis eſt ex thoro illegitimo. 4. *Ex defectu famæ*, quando quis eſt infamis ex infamia ſive facti ex enormi delicto famam delinquentis apud honeſtos viros graviter lædente, & notorio, & in Gallia accedente ſententia declaratoria Judicis; ſive juris ob officium minus honeſtum, vel ob crimen infamiæ pœnam inducens, vel ob gravem pœnam graviter infamantem a Judice inflictam. 5. *Ex defectu ætatis* a Canonibus præſcriptæ. 6. *Ex defectu Sacramenti*, nempe matrimonii non perfecte repræſentantis unionem Chriſti cum Eccleſia ratione bigamiæ, cum quis plures uxores vere habuit; vel interpretative, ducendo viduam cognitam, vel corruptam, licet pro virgine habitam, vel mortua prima uxore, cum alia contrahendo, ſed invalide propter impedimentum dirimens, *Innoc. III. cap. nuper de Big. non ord.* vel poſt adulterium propriæ uxoris etiam ignotum, vel violentum eam cognoſcendo; vel ſimilitudinarie poſt votum ſolemne caſtitatis in Religione approbata, vel poſt ſacrum Ordinem contrahendo, ac conſummando matrimonium. 7. *Ex defectu lenitatis*, quando quis poſt baptiſmum voluntarie actu, quamvis juſte, ac licite hominem fidelem, ſive infidelem occidit, vel mutilavit, aut ad illius necem, vel mutilationem membri notabilis diſtincti propriam actionem habentis, ſive in, ſive extra judicium concurrit; vel phyſice, ut carnifex, vel moraliter poſitive, ut mandans, conſulens, conſentiens, vel negative, ut non obſtans, ex officio, vel juſtitia, ut Magiſtratus, Medicus, *Tourn.* & omnes dicto, vel facto cauſam mortis propinquam dantes, vel ut Miniſtri publici circa ſententiam rei, vel opifices ad illius executionem inſtrumenta ſcienter, ac expreſſe, & in hunc ſolum finem perficientes, vel vendentes, *S. Antoninus*, *Tourn. Nav. Pont.* quia actione ſua directe in mortem alterius tendunt, quod nota quædam eſt crudelitatis. 8. *Ex defectu libertatis*, ut ſervi veri, niſi prius libertate fuerint dona-

donati, & curiales obligati ad ratiocinia; *Cap. præterea, diſt.* 51.

Hinc 1. Irregulares ſunt *ex defectu animi*, 1. furioſi, energumeni, etiam lunatici vocati, amentes, dæmoniaci. 2. Illiterati ad uſum Ordinum neceſſaria ignorantes. 3. Neophiti ab idolatria, Mahumetiſmo, Judaiſmo, vel hæretici ad fidem recenter converſi, donec judicio Epiſcopi eorum fides ſufficienter fuerit probata.

Hinc 2. *Ex defectu corporis* irregulares ſunt 1. carentes manu, indice, vel pollice, vel oculo canonico, id eſt ſiniſtro, vel cui alteruter erutus eſt, *Cap. ſi Evang. diſt.* 55. Surdi utraque aure, vel carentes pedibus, & claudi ſine baculo Altare accedere non valentes; *Cap. nullus Epiſ. diſt.* 1. *de Conf.* ridicule gibboſi, gigantes, pigmæi, æthiopes; quia in his partibus pariunt horrorem. 2. Habentes dentes defectuoſe extra os prominentes, donec reſecentur, vel labia corroſa, vel abſciſſa, vel linguam valde balbutientem, ut vix verbum integrum proferre poſſint. 3. Leproſi, abſtemii, tremuli manibus propter periculum ſcandali, vel effuſionis ſanguinis, *Cap. tua nos de Cler. ægr.* 4. Hermaphroditi etiam occulti, *Cap. ſi teſtes* 4. *q.* 3. etiamſi ſexus virilis prævaleat, *Billuart*, *Tourn.* 5. Ad horrorem ſcabioſi, faciem habentes ululatam, vel deformiter maculatam, *Ritus Argentinenſis*, Laborantes febri continua, morbo venereo, ſi horrorem, vel ſcandalum pariat; lepra, paralyſi, appoplexia, vel morbo caduco laborantes, ad Ordines ſuſcipiendos in perpetuum ſunt irregulares, niſi affectus epilepticus ante annum 14. acciderit, *Cabaſſ.* quia ante pubertatem amotionem recipit, poſt annum 25. vero fere comitatur ad mortem uſque, *Hipocr.* 6. Carentes aliquo membro, vel parte etiam membri occulti ex propria culpa voluntaria, *P. Gerv.* ut eunuchi virilia abſque juſta cauſa, ut ob cantum, vel caſtitatem, ſibi amputantes, vel amputari permittentes, vel iis in pœnam delicti amputatis, *Cap. ſi quis*, *& Cap. hi qui diſt.* 59. Non autem cenſentur irregulares eunuchi ſic nati, vel propter infirmitatem, aut injuſtam violentiam facti, *Cap. de corp. vit.* nec habens tantum maculam in oculo viſum non auferentem, vel ſi dextero oculo ſine deformitate poſſit legere canonem, *Valent. Henriq. Tourn. P. Gerv.* vel ſi erutum, oculo artificiali reſarciat, *Pont.* ſed conſentiente Epiſcopo; nec habens

ſex digitos, vel aliquos conjunctos, vel carens ungula pollicis, vel alio digito, vel dentibus; quia in omnibus prædictis non eſt notabilis corporis deformitas: in dubio per Epiſcopum eſt dijudicandum; & qui inhabiles ſunt ad Sacerdotium, ut abſtemii, vel carentes pollice, etiam inhabiles ſunt ad Tonſuram, & Ordines inferiores, *Pont. Tourn.*

Hinc 3. *Ex defectu natalium* ſunt irregulares omnes illegitimi, ſive ſpurii, ſive naturales etiam occulti, *Cap.* 1. *&* 2. *de fil. praſ.* niſi eſſent legitimati ſubſecuto matrimonio ſoluti cum ſoluta, *Cap. tanta, &c.* etiam cum impedimento dirimente invalide, ſed bona fide ſaltem ex una parte in facie Eccleſiæ contracto, licet per ſententiam poſtea diſſoluto, *Cap. cum iter.* vel niſi legitimentur per Profeſſionem religioſam; ſic tamen legitimatus non poteſt ad Prælaturas promoveri. Dubius, an ſit legitimus, non habendus eſt irregularis, *Caſp.* nec tenetur credere matri, ſe eſſe illegitimum in fine vitæ aſſerenti, *Avila, & alii;* niſi circumſtantiæ ſuadeant, vel pater confirmet: in hoſpitali tamen expoſiti præſumuntur illegitimi, *communior apud Tourn.* quia non ſolent alii exponi; & filii Clericorum illegitimi non poſſunt obtinere beneficium in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium quomodocumque diſſimile habent; nec in iis quoquo modo miniſtrare, nec penſionem ſuper fructus beneficiorum parentum habere, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 15.

Hinc 4. *Ex defectu famæ* ſunt irregulares 1. *ratione officii minus honeſti*, hyſtriones, tortores, mimi, comædi, uſurarii, vel aliud officium minus honeſtum, ut macellianorum, tabernariorum publice, & perſonaliter exercentes, & ab eo deſiſtere nolentes, *Clem.* 1. *de vit. & honeſt. Cleric.* quia officium publice eos infames facit, nec opus eſſe videtur Judicis ſententia, *Tourn.* 2. *Ratione delicti* ſive ſit facti legalis, cui in Jure annexa eſt infamia, uti ſunt homicidæ, malefici, criminoſi, perjuri, ſacrilegi, rei criminis læſæ Majeſtatis, & eorum filii, vel proſtitutores filiæ, vel neptis, hæretici, ſchiſmatici, ſimoniaci, ſodomitæ, lenones, uſurarii, famoſum libellum facientes, conſentientes, invenientes, ſi illud non lacerent, belli deſertores in duello pugnantes, adjuvantes, ſpectantes, &c. *apud Tourn.* ſive ſit facti popularis, quod prudentum æſtimatione boni nominis amiſſionem parit, modo crimina ſint noto-

notoria, & in Gallia accedat ſententia criminis declaratoria, vel ſaltem judicium Epiſcopi. *Tourn.* ſive ſit per ſententiam Judicis, vel ratione pœnæ infamiam inferentis, ut ad cippum pro pœna alligati, virgos cœſi, carcere, exilio, (gallice *baniſſement hors du Royaume*) in perpetuum damnati; quia cenſentur civiliter mortui, & beneficium amittunt; ſecus ſi ad tempus, & infra decem annos redire poſſint; novum tamen acquirere nequeunt; item ad triremes, vel ad honorariam mulctam in publicum (gallice *amenda honorable*) vel numellis publicis traductis (gallice *mis au carcan*) a Judice in auditorio reprehenſi (gallice *blames*) quia hæ pœnæ infamiam inferunt; etiamſi delictum, ob quod iſtæ pœnæ imponuntur; fuiſſet tantum præſumptum, ac falſis teſtibus probatum, *Tourn.* quia pœnis nota infamiæ annexa eſt: non vero ſunt infames ſolum admoniti in judicio (gallice *admonetes*) bene autem per decretum comprehenſionis (gal. *decret de priſe de corps*) *cont. Tourn.* nec per vadimonii per ſe obeundi denunciationem (gallice, *ajournement perſonnel*) quia licet juxta Edictum Regium 1670. *tit.* 1. *art.* 2. per iſtud decretum ſuſpendatur exercitium juriſdictionis civilis, ad quam Judex eccleſiaſticus conformare ſe tenetur, nulla inde naſcitur irregularitas reſpectu beneficii, vel Ordinis, in quo miniſtrare poteſt, *Tourn. de ord.* bene autem ob mulctam pecuniariam in criminalibus; nec pœnæ a Judice eccleſiaſtico inflictæ, ſaltem directe quoad effectus civiles inducunt infamiam; quia bona ſicut fortunæ, ita fama directe ſubeſt juriſdictioni civili; indirecte tamen infamiam inducunt declarando crimen infamiam importans, vel in ordine ad effectus ſpirituales. Tollitur autem infamia per ſententiam Judicis; qua criminis accuſatus declaratur innocens, & per notoriam morum in melius converſionem. *Tourn.*

Hinc 5. *Ex defectu ætatis*, pueri, & omnes alii non habentes ætatem a Canonibus præſcriptam numerando diem bis ſextum, *Tourn.* & præſumentes ante ætatem ſacrum aliquem Ordinem accipere ipſo facto ab illius exercitio ſuſpenduntur, & eum exercentes fiunt irregulares, nec ſuperveniente ætate ante obtentam a Papa abſolutione poſſunt illum exercere, *Conſtit. Pii II. Tourn.*

Hinc 6. *Ex defectu Sacramenti*, irregulares ſunt bigami ante, vel poſt Baptiſmum facti, *S. Aug. S. Amb.* 1. Bigami veri, qui vere duas ſucceſſive habuerunt uxores. 2. Interpretativi, qui duo matrimonia contraxerunt, ſed

unum, vel utrumque cum impedimento dirimente, *Innoc. III. cap. nuper;* vel cum vidua, vel quomodocunque corrupta etiam pro virgine habita, vel ſi poſt adulterium propriæ uxoris, etiam ignotum, vel violentum, eam cognoverint, *cap. curandum.* 3. Bigami ſimilitudinarii, qui poſt votum ſolemne caſtitatis in Religione approbata emiſſum, vel ſacrum Ordinem ſuſceptum, matrimonium contraxerunt, & conſummaverunt, ſive valide cum diſpenſatione Papæ, ſive invalide, *Tourn.* & patet ex *cap. quotquot;* modo copula fuerit perfecta; non tamen ſufficiunt ſponſalia cum pluribus, etiam ſecuta copula; nec fornicatio; nec ſolum matrimonium ratum, etiam cum pluribus, *P. Gerv.* nec ſi quis propriam uxorem poſt adulterium intactam reliquerit; nec ſi ſæcularis nubat Moniali, *Tourn.* quia his jura irregularitatem non decernunt.

Hinc 7. *Ex defectu lenitatis*, irregulares ſunt 1. Milites in bello aggreſſivo, etiam juſte propria manu militantes, vel occidentes; non vero in mere defenſivo, niſi animo præliandi eo venerint, *Tourn.* quia in mere offenſivo judicibus, & in defenſivo injuſtum invaſorem occidentibus æquiparantur; nec fiunt irregulares, etiam bello injuſto aſſiſtentes non animo præliandi, ſed ſpiritualiter adjuvandi, pacem componendi, &c. licet per accidens pro ſalvanda propria vita occiderent; nec Clerici juſſu Papæ propria manu pugnantes; quia cenſetur ipſis diſpenſare; non vero ſæcularibus, *Tourn.* nec fiunt irregulares, arma ſolum ferentes, neminem occidentes, vel mutilantes, *Tourn. & Caſuiſtæ communiter ibid.* in dubio tamen fundato, an quemquam interfecerint, diſpenſatio obtinenda eſt, *Pont.* imo etiam ſi propria manu non occiderint, vel mutilaverint, ſed ſolum imperaverint, vel commilitantibus præſto fuerint, *Ritual. Arg. de irreg.* quia ſecurius eſt, & in foro externo irregulares habentur: in bello vero evidenter injuſto cooperantes, occidentes, vel mutilantes potius ex delicto homicidii, quam defectu lenitatis irregulares ſunt, *ibid. vide infra quær.* 3. non autem irregularis eſt abſcindens ſolum digitum, vel pollicem, partem naſi, barbam, dentes, auriculam ſumptam pro cartilagine, quæ eſt circa aurem, *Tourn.* quia non ſunt vera membra, actum diſtinctum ab alio membro habentia, ſed tantum ad ornatum, vel aliorum membrorum integritatem pertinentia; nec abſcindens mammam in viro,

bene

bene autem in muliere, *Tourn.* quia in ipſa diſtinctum nutriendi actum habet, non vero in viro; nec irregularis eſt in cadaver inimici deſæviens, membra dilanians, &c. abortum ante fœtus animationem procurans, virum, ac mulierem ſterilem efficiens, *Pont.* quia vere non ſunt homicidæ quoad effectum irregularitatis. 2. Irregulares ſunt Jure communi reum ad vindictam accuſantes, denuntiantes, teſtimonium ferentes, Advocati, procuratores, ſcribæ, judices, carnifex, ſatellites, vendentes, aut conficientes inſtrumenta ſupplicii, ut furcas, ſcalas, funes, gladium præciſe in hunc ſolum finem, *Auct. ſupra cit.* & procurantes ligna expreſſe ad comburendum reum vivum, ſecus ſi prius ſuffocatus fuiſſet, *Tourn.* in Gallia tamen accuſatores, ac denuntiatores non fiunt irregulares, quia civiliter tantum, & Procurator juriſdictionis, aut Regius criminaliter ſolum accuſat, & ad mortem concludit; nec teſtes, ac rei comprehenſores; quia vel Canones circa iilos nulli exiſtunt, vel in Gallia non ſunt recepti, *Pont.* niſi ſponte, & mortis alienæ libido eos ad teſtandum inducat, *Tourn.* nec Advocati, ac Procuratores, niſi innocentis cauſam male defendendo, vel nocentis injuſte tuendo, cauſa mortis innocentis fuiſſent, *Tourn.* nec Judices ad torturam, ad ſtigma, ſeu cauterium liliatum, ſive flagella, inſciſſionem linguæ, vel alterius membri condemnantes; quia non eſt mutilatio, quæ indicat ſeparationem membri, nec ſi morte, vel mutilatione damnati, fuga, vel Principis gratia liberentur, *S. Thom. & Pont.* 3. Irregularitatis periculo ſe exponunt etiam omnes dicto, vel facto cauſam mortis propinquam dantes, vel ad illius accelerationem effectu ſecuto deliberate concurrentes, ut impetrando a Judice rotæ expoſitum citius ſuffocari, ne longius torqueatur, vel carnifici ſuadens, ut furciferum citius interficiat, ne diu vexetur; vel ut omnino ſuffocet nondum ſatis ſtrangulatum, vel ut crura ita frangat, ut aperta vena citius moriatur, *Tourn. Nat. Alex.* quia licet bona fiat intentione, ſpeciem tamen crudelitatis habent, & mortem directe accelerant. Non vero irregulares ſunt Principes, Leges, capitales condentes; nec eis ſuadentes; nec Epiſcopi Clericum degradatum tradentes Judici ſæculari, etiamſi pœnam capitalem ſecuturam prævideant; quia prædicti, remote tantum ad mortem concurrunt; nec Clerici ſimpliciter aſtantes in loco ſuppli-

plicii, niſi ibi eſſent tanquam ſententiam executioni mandantes; nec peccant graviter ſcandalo, *Tourn.* peccant tamen venialiter, præcipue ſi ſint in ſacris, vel beneficiati, *ibid.* quia Concilium I. Lat. ſub Innoc. III. prohibet, *ita communior*; nec Chyrurgi juxta regulas mutilationem conſulentes, vel exequentes, *Tourn.* quia ipſis non deeſt lenitas, ſed elucet charitas ad totius conſervationem; niſi ex gravi illorum culpa mors ſequatur, etiam in dubio, an ſufficientem diligentiam adhibuerint; *Cap.* 18. *de Homic.* a fortiori, ſi ex potione non ſatis cognita experimenti gratia conceſſa moriatur, *Tourn.* niſi aliud non habuiſſent, & ſine illa deſperata ægrotantis vita fuiſſet, *Tourn.* nec Clerici ſacris initiati medicinam, vel chyrurgiam exercentes juxta artis regulas, vel ſuadentes, aut jubentes juxta medicinæ regulas medicinæ ſumptionem, etiamſi ægrotus illa moriatur, *Tourn.* nec ſi peritus non cupiditatis cauſa aduſtionem, vel mutilationem jubeat, *Innoc. III.* nec chyrurgum ſecantem adjuvans, *P. Gerv. Tourn.* modo nullam faciant inciſionem, vel aduſtionem; quia tunc, ſi ſint in ſacris, fiunt irregulares, ſi mors etiam adhibita omni diligentia ſequatur, etiamſi ſolum venam aperiant; non vero ſi emplaſtro mollificativo apoſtema aperientes ſine culpa mors ſequatur, *Tourn. & alii;* quia non eſt inciſio; nec ſi inciſionem faciant urgente neceſſitate, ut tempore peſtis, *Tourn.* quia neceſſitas excuſat; nec ſi mors non ſequatur, *ibid.* quia licet peccent agentes contra prohibitionem, irregularitas non oritur ex mutilatione ordinata ad conſervationem totius, cum non fiat ex defectu lenitatis; nec ſi mors ſequatur non vi abſciſſionis, ſed ægroti culpa; quia non operanti imputatur, niſi dubium eſſet, tunc diſpenſatio petenda, *Tourn.* nec eam incurrunt infirmarii ægrotum vertendo, transferendo; cibum, vel potum porrigendo, &c. mortem accelerantes, niſi expreſſe a Medico iſta fuiſſent prohibita, & mortem mortali culpa cauſent, etiamſi pietatis cauſa fiat, ne diutius patiatur, vel ne ſatisfactione e cibo, vel potu diutius careat, *Tourn.* nec injuſtum invaſorem pro defenſione propriæ vitæ occidentes, vel mutilantes cum moderamine inculpatæ tutelæ, licet leviter excederent, *Tourn.* niſi quis ſe exponens duello, vel adulterio, aut bello injuſto præviderit, pro tutela propriæ vitæ alios eſſe occidendos, *Tourn.* vel ſi fuga vitæ ſuæ conſulere potuiſſet,

quam-

quamvis cum præjudicio ſui honoris, *ibid.* quia vitæ, & quidem propriæ, non vero honoris tuendi cauſa eximitur; nec ob defenſionem bonorum, vel vitæ patris, aut ſororis, *ibid.* bene autem, ſi Jure naturali, vel divino, ut pro defenſione Regis, Reipublicæ, Fidei occidere teneretur, *Bonac. Avila, & alii*; quia homicidium non eſſet omnino voluntarium, nec cenſetur Eccleſiam velle punire ob id, quod ſine peccato non potuit omitti; nec Clericus accuſans reum de injuria ſibi, vel ſuis rebus illata cum expreſſa proteſtatione, ſe nullam capitis, vel mutilationis pœnam intendere, ſed ſolum, ut ſibi, vel ſuis ſatisfiat: in Gallia tamen proteſtatio non eſt neceſſaria, *Tourn.* quia non per ſe, ſed ſolus Procurator-Fiſcalis, vel Regius ad vindictam accuſare poteſt, ut ſupra dictum eſt; nec teſtes etiam Clerici, ac Regulares, ſanctione regia compulſi teſtimonium ferentes in Gallia fiunt irregulares, quia non intendunt mortem, ſed rei emendationem, & implere legem, ac juſtitiam, *Tourn. & alii Doctores galli contra alios*; nec Scribæ, ſeu Notarii in Gallia cenſentur irregulares ex uſu regni. *Rit. Arg. de irreg.* nec opifices indifferenter funes, ſcalas, &c. vendentes, licet etiam carnifex ab illis emeret ad rei executionem, modo non expreſſe in hunc finem fabricentur: cum tamen circa prædicta variæ ſint Auctorum opiniones, ac uſus, judicio Epiſcopi ſtandum eſt; nec Clericus habens juriſdictionem temporalem mandans ſuis Officialibus, ut capitis pœna reos inquirant, & puniant; nec concionatores Judices exhortantes, ut Rempublicam purgent, nec Confeſſarius ſuadens pœnitenti juridice interrogato, ut delictum confiteatur, vel ut juſtæ mortis ſententiæ acquieſcat, quam differre nequit, niſi per injuſtam appellationem, etiam negando ei abſolutionem; nec ſi dicat Judici, eſſe obligatum ad condemnationem rei, præcipue in genere, & abſtrahendo ab iſto particulari, vel impetrans a Judice, ne ante domum matris tranſeat, licet via eſſet brevior; nec reo conſolationis gratia dicens: perge alacriter; nec carnifici dicens: ſe functum eſſe ſuo officio, & nihil obſtare executioni; vel in genere oſtendens carnifici modum nodandi funem, ut citius moriatur, *Tourn.* quia ſolum per accidens, & præter intentionem in prædictis cauſa eſt, ut reus citius moriatur; vel dicens ei pro majori merito, ut caput ſupponat ad ictum recipiendum ob eandem

dem rationem, vel ſi dicat, ut quis pro fide mortem ſuſtineat, vel ut ad ſalvandum periclitantem in flumen ſe projiciat, licet cum ipſo pereat; *Tourn.* quia non intendit mortem, & fit per accidens.

Hinc 8. *Ex defectu libertatis* ſunt irregulares, 1. Servi proprie dicti. 2. Conjugati, niſi conjuge conſentiente, & Religionem ingrediente, vel de conſenſu Epiſcopi, votum perpetuæ caſtitatis emittente. 3. Curiales curiæ ſæculari addicti, ut Judices, Advocati, milites, apparitores, &c. quamdiu iſtis functionibus ſunt addicti. 4. Obligati ad ratiocinia, ut theſaurarii publici, tutores, curatores, procuratores; &c. niſi prius redditis rationibus, & depoſita ſua obligatione, vel cauſarum piarum, Eccleſiaſticorum, vel miſerabilium adminiſtrationem gerant.

Quær. 3. *Quot modis contrahatur irregularitas ex delicto?*

Dico. Ex delicto quinque modis contrahitur irregularitas, ex crimine etiam non notorio hæreſis; & apoſtaſiæ a Fide, & Religione, receptores, defenſores, fautores, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ex linea paterna, & primam ex linea materna, *Cap.* 15. *de hæreſi in* 6, in Gallia tamen non viget, & abſolute poſſunt ordinari, *Tourn. Thom. ex Charm. Pont.* 2. Ex reiteratione baptiſmi a ſcienter, & abſolute rebaptizante, & rebaptizato, *Cap. confirmando, diſt.* 50. & ex officio rebaptizanti miniſtrante *Cap.* 2. *de apoſt.* 3. Ex indebita ſuſceptione, & uſu Ordinis. 4. Ex homicidio injuſto, ſive ſit ſimpliciter voluntarium, quod in ſe directe, vel in cauſa eſt intentum, ejuſque cooperatores, mandantes, conſulentes, non impedientes ex juſtitia obligati impedire; ſive ſit caſuale mixtum, quod præter intentionem agentis ex actu ſequitur, ex quo prævideri moraliter potuit, ac debuit adhibendo diligentiam ſub mortali debitam, vel abſtinendo ab opere mortaliter perículoſo, cum non ſatis erat peritus; non vero ex pure caſuali, quod præter intentionem agentis ſequitur ex actione, ex qua non prævidetur, nec moraliter previderi potuit ſecuturum, ſive occidens vacet rei licitæ, ſive illicitæ in ordine ad homicidium non mortaliter peccaminoſæ, *Tour. P. Gerv. & alii*; quia primum eſt plene voluntarium, ac proin irregularitatem graviſſimam raro diſpenſabilem inducit; ſecundum ſufficienter ad mortale, cum potuerit ac debuerit evitari; tertium vero ſive vacet rei licitæ, ſive illicitæ non val-

valde periculoſæ eſt mere involuntarium, ac proinde non mortaliter peccaminoſum. 5. Ex mutilatione membri principalis actionem propriam habentis, *P. Gerv. & alii*; quia Eccleſia eandem ei impoſuit pœnam.

Hinc 1. Irregulares ſunt *ex delicto hæreſis* independenter ab infamia, hæretici etiam occulti, & ab hæreſi abſoluti, modo ſint externi, apoſtatæ a fide, etiam externe tantum ſacrificando idolis, & fautores eorum, ac defenſores, & filii poſt hæreſim nati, *Nav. & alii;* etiam illegitimi, *Avila;* uſque in primum gradum per lineam maternam, & in ſecundum per paternam, quorum parentes in hæreſi ſunt mortui, vel actu exiſtunt, non vero ſi Eccleſiæ fuerint incorporati, vel ad pœnitentiam recipiendam parati fuerint, *Suar.* & apoſtatæ a profeſſione religioſa ad clericatus officium non debent admitti, *Cap. fin. diſt.* 50. non vero ſunt irregulares in Gallia hæretici, ac eorum filii, ſed ab hæreſi abſoluti ad Ordines, & beneficia poſſunt admitti ſine diſpenſatione, *Pont.* nec pure ſchiſmatici; quia nullibi in jure irregulares declarati ſunt; nex ex neophitis paganis, ac judæis deſcendentes; quia in Jure non eſt expreſſum; nec hæretici ſolum externi, licet graviter peccent, poſſunt tamen fieri irregulares defectu famæ, ſi hæreſis fiat notoria.

Hinc 2. *Ex reiteratione baptiſmi* ſunt irregulares ſcienter, & abſolute ſine conditione rebaptizantes, & rebaptizati etiam ex metu gravi, vel ex officio rebaptizanti miniſtrans, vel voluntarie, & abſque neceſſitate ab hæretico declarato ſe baptizari ſinens, *Rit. Arg. Tourn.* non vero irregularitatem incurrunt ignoranter ignorantia facti rebaptizantes, nec in dubio ſub conditione, vel in infantia rebaptizati, quia non intelligitur reiteratum, quod neſcitur, vel ambigitur eſſe factum, *Cap.* 3. *de presbyt. rebapt.* nec verens, ne obſtetrix baptizando erraverit, vel non inquirens, an baptizaverit, ſine conditione eundem baptizans; quia in mente cenſetur virtualiter conditionata, cum non novum jam legitime baptizato baptiſma conferre voluiſſe credatur, *Tourn.*

Hinc 3. *Ex indebita ſuſceptione, & uſu Ordinis* ſunt irregulares 1. recipientes Ordines furtive examen declinantes, non approbati, vel non admiſſi, vel poſt contractum matrimonium, licet non conſummatum, in vita uxore, niſi ſimul emittat profeſſionem in Religione approbata,

extra-

extravag. antiqua de voto. 1. Per ſaltum, *Rit. Arg.* licet Tournely incertum ſit. 3. Ab Epiſcopo non habente juriſdictionem, vel ab excommunicato excommunicatione majori, ſuſpenſo, interdicto, depoſito, vel degradato, *Tourn.* vel in excommunicatione majori, quamvis etiam de hoc dubitet, *Tournely*. 4. Non ſervatis interſtitiis, & ſine dimiſſoriis. 5. Exercentes in excommunicatione majori etiam occulta, ſuſpenſione, vel interdicto actum proprii Ordinis majoris; non vero minorum, *Tourn.* quia etiam ſæculares eos exercent, niſi forte fieret vi ordinis, *Thom. ex Charm.* & fiunt irregulares, etiamſi ſuſpenſio, & interdictum eſſent ſolum ad tempus, & per modum pœnæ, *Rit. Arg.* 6. Exercentes Ordinem, quem non habent; excipitur tamen laicus cum dalmatica ſine manipulo vices Subdiaconi gerens, *Tourn.* vel prædicans, *Pont. ibid.* quia non eſt actus Ordinis, & laico committi poteſt, *ibid.* 7. Fit irregularis exercens Ordinem inordinate ſuſceptum, id eſt ſuperiorem ante inferiorem: vel in loco interdicto ſcienter celebrans; non vero celebrans in Eccleſia polluta, *Cap. is qui de ſent. excomm. in* 6. nec fit irregularis Ordinem ad ſe non pertinentem exercens ex inadvertentia, vel ignorantia probabili, vel in caſu neceſſitatis ad evitandum ſcandalum, *Tourn.* quia non ex temeritate facit; nec Diaconus ex mandato Epiſcopi, vel Presbyteri ſolemniter baptizans, ſal ſimul benedicens, non advertens ſolius Presbyteri eſſe, illud benedicere, vel ſimplex Clericus juſſu Sacerdotis Epiſtolam cantans cum manipulo non advertens, vel ignorans, ornamentum eſſe proprium Subdiaconi, nec Diaconus excommunicatus, vel ligatus alia cenſura ſermonem habens ad populum, vel Subdiaconus, aut alius Clericus, quia non eſt actus proprius Ordinis ſacri, ut mox dictum, *Pont. Tourn.* nec Sacerdos Euchariſtiam, vel pęnitentiam adminiſtrans non ſubdito; bene autem non Sacerdos abſolvens, *ibid.*

Hinc 4. *Ex homicidio injuſto, vel mutilatione*, occidens, vel mutilans in duello, in bello clare injuſto, vel præbendo venenum, quo, licet poſt longum tempus eſt moriturus, quamvis ante illius mortem vere doleat, & omni conatu illius mortem impedire ſtudeat, *Tourn. & alii*; quia eſt opinio probabilior, & in praxi ſecurior, & ob cauſam voluntarie poſitam eſt vere pęna dignus. 2. Procurans abortum animati fętus, *Bonac. & alii*. 3. Mandans,

dans, inimicum verberari, qui a mandatario mutilatus, vel occiſus fuit, licet expreſſe inhibuerit, ne mutilet, vel occidat; quia evenire poſſe, potuit, ac debuit cogitare. *Cap. fin. de hom.* etiamſi mandatarius ab initio mandatum non acceptaſſet; poſtea tamen mutata voluntate vi illius mutilavit, vel occidit, licet mandans interim etiam ſuam mutaſſet voluntatem, & contra ipſius voluntatem eveniſſet; quia adhuc influxum habuit; & fit irregularis etiamſi non inimicus, ſed mandatarius fuiſſet occiſus, non quidem irregularitate homicidii voluntarii; quia hoc non voluit, ſed cauſalis, cui eum expoſuit, *Suar. apud Tourn.* quia illud prævidere potuit, ac debuit. 4. Conſilio voluntatem occidendi in alio efficaciter excitans, vel augens, ut facilius, citius crudelius animo firmiori fiat, *Tourn.* quia operatur in mortem, ſecus ſi jam ante æque paratus fuiſſet, vel percuſſionem ſuaſiſſet, ut volentem occidere ab occiſione retrahat, *Tourn.* fieret tamen irregularis, ſi ad idem minus malum, nempe mutilationem cooperaretur; modo in prædictis mors, vel mutilatio actu ſit ſecuta: non tamen fit irregularis conſulens aliquid licitum, & neceſſarium, unde mors oriatur, ut defenſionem fidei, patriæ, &c. nec ſi conſilium efficaciter ante mortem illatam retractet, omnia deſtruendo motiva propoſita, ita, ut effectum non ſecuturum firmiter credat, *ibid.* 5. Fiunt irregulares cooperantes, ſic ſinguli milites belli injuſti, etſi unicus eorum occidat; arma, pecunias, annonas procurantes, milites eo fine conducentes, ſarcinas cuſtodientes; quia ſunt una cauſa moralis cædis injuſtæ; ſic falſo accuſantes injuſte, viam legitimæ defenſionis præcludentes, injuſte condemnantes, arma pro juſta ſui defenſione cum intentione illius mortis occultantes, armis occidenti aſſiſtentes, licet non occidant; quia animum addunt; item mutuo conſilio ad pugnam ſe excitantes, licet unicus occidat; ſecus ſi rixa ſubito exorta unus occidat: ſi ab uno inflicto vulnere lethali, & altero ſuperveniente occidatur, hic ſolus irregularitatem incurrit; quia ſolus reipſa mortem intulit; ſecus ſi vulnus primi, cauſa fuiſſet ſecundi; quia fugere non potuit, vel quod citius mortuus ſit, *Tourn.* non tamen ſufficit 1. ſola ratihabitio homicidii commiſſi intuitu, ac nomine illius, ipſo tamen inſcio, & alias non influante, *Tourn.* quia tunc conſenſus ſolum irregularitatem parit, quando ſufficit ad mortale, & obligatio-

gationem reſtitutionis inducit, *ibid.* 2. Non fit irregularis pauperem fame pereuntem non refovens, inſidias mortis proximo paratas in via non manifeſtans, parato ad ferendam opem, ne occidatur, diſſuadens, Medicus ægrotum, ad cujus curam gerendam non conductus eſt, negligens; quia tantum ex charitate tenentur; ſecus ſi Medicus ab ægroto, vel ab oppido, vel incolis ſtipendium accipiat; vel ea lege admiſſus ſit, ut omnium curam gerat; vel ſi paratum ex charitate ad ſuccurrendum, vi, vel dolo retrahat, vel maritus uxori aliunde non habenti alimenta ad vitam conſervandam ea deneget, vel ſi Princeps innocentis defenſionem negligat, Judex injuſtæ mortis ſententiæ non obſtet, dominus, vel cuſtos ferarum, ſi non caveant, ne feræ obvios occidant, pater, ſi puellæ ab ipſo deceptæ abortum proponenti non contradicat, navis gubernator, ſi neglecta navis cura in ſcopulos impingat, cuſtos viæ prætereuntes nocte non monens de præcipitio recenter ſuborto, vel de hoſtibus, unde mors videtur indubie ſecutura; quia omnes iſti ex juſtitia eam tenentur impedire; ſic leviter enſe percutere intendens manu fallente graviter mutilans, vel omnino occidens, Chyrurgus prolem ex utero ſecans, cum ſciat ſe imperitum, matrem occidens, gravidam ſcienter percutiens, abortum fœtus animati cauſans, lignum ex turri in plateam ubi homines tranſeunt, projiciendo eos occidens; infantem obvium equo rupto frœno opprimens, advertens, frœnum eſſe debile, & æquum frœni impatientem, *Tourn.* quia, cum in prædictis homicidium ſit caſuale mixtum, illud prævidere & adhibendo diligentiam debitam, vel abſtinendo ab opere periculoſo ad mortem tendente præcavare potuiſſent, ac debuiſſent; ſecus ſi lignum ex turri projiciens clamaſſet, ſignum appoſuiſſet, vel homines non tranſire ſoliti fuiſſent, vel inſolita equi ferocitate infantem obvium occidiſſet; quia tunc eſſet homicidium mere caſuale, quod prævidere nec potuit, nec debuit. 3. Irregularitatem non incurrit pulſando campanas cadente tintinnabulo Eccleſiam ingredientem occidens, vel cædendo ſuam arborem, omni adhibita diligentia, ne cuiquam noceat, tranſeuntem opprimens, vel laicus in ſuo ſaltu errore invincibili hominem pro fera occidens; quia pro irregularitate ex delicto requiritur voluntarium ad mortale ſufficiens; nec incurrit, etiamſi pulſaſſet campanas tempore interdicti, vel cædiſſet

ſet arborem in alieno fundo invito domino, vel occidiſſet in venatione in alterius ſylva, vel Clerico prohibita; *Tourn. & alii*; quia propter prohibitionem, ac illiceitatem operis homicidium non eſt magis voluntarium, nec in ratione homicidii peccaminoſum, cum non ſint prohibita, quia in ordine ad homicidium ſunt periculoſa; ſed quia alteri virtuti ſunt oppoſita. 4. Non eſt irregularis in dubio Juris, *ita communis*; quia non incurritur irregularitas, niſi in Jure expreſſa; quod autem in Jure ita obſcurum eſt, ut periti dubitent, non videtur in Jure expreſſum; nec in dubio facti; quia eſt res odioſa, excepto homicidio injuſto certe commiſſo, & ſolum dubio, an ex conſilio, vel mandato, vel alia cauſa ſit ſecutum quia, cum conſtet de homicidio, & cauſa data, præſumptio ſtat pro homicidio, *Innoc. III.* & *Clemens III. & communior apud P. Gerv.* ſic Medicus rationabili fundamento dubitans, an ægrotus mortuus ſua culpa mortali deceſſerit, an ægrotus mortuus ſua culpa mortali deceſſerit, an data cauſa abortus, eoque ſecuto, fœtus fuerit animatus, an graviter vulneratus ex vulnere, vel alia infirmitate obierit, *Clem. III.* an dato conſilio homicidii ſecuti efficaciter influxerit, ſine diſpenſatione ordinari nequeunt, *Tourn.* & ſi dubitetur inter plures, cujus ictu occiſus fuerit, omnes fiunt irregulares, *Tourn. & communior apud P. Gerv.* non vero incurritur in dubio de homicidio juſto, *Sanch. Henriq.* nec in dubio circa ſubſtantiam homicidii, v. g. an ille, cui conſilium, vel mandatum datum fuit, occiderit, *Sanch.* an hominem, vel cervam quis interfecerit, *ibid.* quia lex ſupponit homicidium certo commiſſum, nec in dubio de mutilatione, vel alio caſu, quam homicidii, *Bonac. contra Thom. ex Charm.* quia Clemens III. loquitur tantum de homicidio, & odioſa ſunt reſtringenda, *Reg. Jur.* & Clerici in dubio homicidii, licet quoad uſum, & ſuſceptionem Ordinum ſint irregulares, non tamen quoad beneficia, vel alios effectus, *Tourn. & alii*; quia Jus de ſolis Ordinibus loquitur, & materia eſt odioſa.

Quær. 4. *Quinam ſint effectus irregularitatis, & quomodo tollatur irregularitas?*

Dico. Irregularitatis effectus præcipue ſunt tres, videlicet 1. Inhabilitas, etiam ante Judicis ſententiam, ad Ordines licite ſuſcipiendos, etiam primam Tonſuram, licet crimen ſit occultum, *Tourn. Thom. ex Charm.* quia non

eſt proprie pœna, ſed impedimentum, licet quoad infamiam crimen debeat eſſe notorium; 2. Illicita executio Ordinum, *ibid.* 3. Incapacitas licite, & valide recipiendi beneficia, & illorum fructus; *Cabaſſ. Suar. & ſecurior, ac communior*; non vero privat jam obtento, & ejus fructibus; nec exercitio juriſdictionis; quæ poteſt exerceri ſine uſu Ordinum; nec juriſdictione ordinaria proveniente ex beneficio ante poſſeſſo, *Tourn.* nec juriſdictione delegata, ſad valide in utroque foro exerceri poteſt, *Tourn. Suar.* ſed non licite, ſi illius uſus dependeat ab exercitio Ordinis; poteſt tamen privari beneficio antea legitime poſſeſſo per ſententiam Judicis; nec excuſat ignorantia quæcumque ab irregularitate ex defectu; quia non contrahitur propter culpam; nec ignorantia invincibilis Legis eccleſiaſticæ, vel irregularitatis excuſat ab irregularitate ex delicto; modo ſciat, alia lege graviter eſſe prohibitum; quia ſufficit pro pœna notitia gravis culpæ. Irregularitas tollitur 1. Per baptiſmum, omnis proveniens ex delicto antea commiſſo, ex canonica infamia, lenitate, & defectu poſt baptiſmum non remanente. 2. Ceſſatione defectus temporalis. 3. Per legitimationem, ſi ſit ex defectu natalium. 4. Per legitimam diſpenſationem a Papa, vel Epiſcopo, vel a Prælatis Regularium cum ſuis ſubditis vi privilegiorum; poteſtque dari, in, vel extra Sacramentum, etiam abſenti, vel non petenti, *apud P. Gerv.*

Hinc r. Irregularis graviter peccat 1. recipiendo Ordines etiam minores, vel primam Tonſuram, quamvis valide illos recipiat, *Tourn.* 2. Ordines receptos quoſcunque exercendo, ſi ſit totalis reſpectu omnium Ordinum; vel exercendo prohibitos, ſic Sacerdoti amittenti duos digitos cum medietate palmæ prohibetur celebrare Miſſam, *Cap. de Cler. ægr.* poteſt tamen baptizare ſolemniter, aſſiſtere matrimonio, ad præbendam diaconalem promoveri, niſi obſtet ſtylus curiæ, *Bonac. apud Tourn.* quia eſt partialis quoad exercitium ordinis; habens tamen minores, amiſſo pollice, non poteſt ſuperiores Ordines recipere, *Cabaſſ. Pont. & alii*; quia irregularitas quoad Ordines ſuſcipiendos eſt totalis a toto ſtatu clericali excludens, *Tourn.* irregularis tamen ordines exercens prohibitos, alias pœnas præter peccatum non incurrit, *Thom. ex Charm.* quia nulla in lege decernitur; nec peccat ſine clericali ſolemnitate more laicorum in choro cantans Veſperas, vel

reci-

recipiens Sacramenta, vel baptiſmum adminiſtrans ſine ſolemnitate in caſu, in quo laïcis licet; quia prædicta non facit virtute Ordinum.

Hinc 2. Irregularis invalide recipit beneficium, illiuſque fructus, ac proinde tenetur 1. dimittere beneficium, niſi irregularitatis diſpenſationem, novámque collationem obtineat; nec eum juvat clauſula in Litteris apoſtolicis apponi ſolita. *Nav. & alii apud Tourn.* quia a cenſuris, non vero ab irregularitate diſpenſat. 2. Reſtituere fructus omnes mala fide poſſeſſos, & bona fide irregularitatem invincibiliter ignorando poſſeſſos, qui extant, vel quibus factus eſt ditior; *Tourn.* niſi obtinendo diſpenſationem pro beneficio, etiam pro fructibus obtineat: non tamen privatur beneficiis antea obtentis, *Tourn. ac fere communis, &c.* quia nulla datur lex beneficiis legitime poſſeſſis ipſo facto privans, niſi in certis caſibus non præciſe vi irregularitatis, ſed Juris particularis, ut ob homicidium voluntarium, & quidem in Gallia qualificatum, ut patris, fratris, Epiſcopi, vel Sacerdotis, *Tourn.* privatur tamen omni jure ad rem, ut ſunt graduatorum nominationes, aliæque gratiæ exſpectativæ, *Tourn.* & Judicis ſententia etiam privari poteſt beneficio poſſeſſo, & ſi ſit curatum, vel tenetur obtinere diſpenſationem, vel de eo diſponere in favorem alterius; ſi conditio beneficii, vel irregularitas ex crimine premittat, vel illud dimittere; quia nemo retinere poteſt id, cujus obligationem inde ortam nunquam licite exercere valet, *Salmanticenſes*; niſi irregularitas ſolum eſſet ex defectu, ut ægritudine; quia tunc adminiſtratorem aſſociare ſufficit; *Tourn.* vel niſi eſſet ſimplex obligans ſolum ad officii recitationem, *ibid.* 3. In irregularitate promotus, invalide eligit, præſentat, & beneficia confert, ipſumque beneficium adminiſtrat, ac proinde invalide abſolvit, invalide matrimonium benedicit, *Tourn.* quia ruente fundamento, nempe beneficii validitate, ruunt & actus ab illius juriſdictione dependentes; valide tamen abſolvit habens juriſdictionem ordinariam ex alio beneficio antea legitime poſſeſſo, vel delegatam, ante vel poſtea ab Ordinario obtentam, *Suar.* quia illa non privatur irregularitate; non tamen licite, quia ſine ordinis exercitio ipſi prohibito fieri nequit; niſi irregularitas ſuperveniens juriſdictioni ordinariæ ex beneficio antea poſſeſſo eſſet publica per denunciationem, vel æqui-

 valens,

valens, ut per decretum apprehenſionis corporalis a Judice eccleſiaſtico emiſſum, & debito modo intimatum, *Gibert. apud Tourn.* ſic valida eſt collatio beneficii a bigamis, ab homicidis, &c. modo irregularitas non proveniat ex crimine beneficii vacationem ipſo facto inducente. 4. Etiam ex diſpoſitione juris valida eſt collatio beneficii facta irregulari in quatuor caſibus ad honeſtam ſuſtentationem, nempe 1. Subdiacono, qui culpa ſua alterius morti occaſionem dedit. 2. Presbytero, ex cujus percuſſione ſecuta eſt mors alterius. 3. Ei, qui factum aliquod duello probaturus pugilem in ſui locum commiſit, a quo alter occiſus eſt. 4. Diacono, qui Miſſarum celebrationem uſurpare præſumpſit, *ita in Jure, Gibert apud Tourn.* ne ſuſtentatione privati ad ſæculi negotia revertantur.

Hinc 3. Ceſſat irregularitas. 1. Ex delicto, lenitate, & infamia per baptiſmum, modo infamia non ſit per ſententiam; ſic Judæus, vel Turca per ſententiam infamis poſt baptiſmum, manet infamis, *Tourn.* 2. Ex defectu temporali, per ceſſationem defectus; ſublata cauſa tollitur effectus: ſic irregularitas ex defectu animi; ætatis, ſcientiæ, libertatis, tollitur adepta ætate, ſcientia, libertate. 3. Ex defectu natalium, per legitimationem, vel a Principe quoad effectus temporales, & a Papa, quoad ſpirituales, *Tourn.* vel per matrimonium ſubſeqens, vel per ſolemnem in Religione approbata profeſſionem, ſaltem quoad Ordines ſuſcipiendos, *Cap. ut filii extrav. de fil. Presb.* non vero quoad Prælaturas, in vel extra ordinem ſine alia diſpenſatione in Capitulo generali, vel provinciali, *P. Gerv.* 4. Ex infamia populari, emendatione prudentum judicio proportionata; ex infamia facti, loci mutatione, *Tourn. P. Gerv.* ex juridica, Papæ diſpenſatione, vel Epiſcopi in criminibus adulterio non ſuperioribus, & ſolum ad ordinis, vel beneficii uſum, non vero ad novi acquiſitionem *Tournely*; vel Judice etiam ſæculari diffamati innocentiam declarante, vel ſi ſit ex delicto, non proprie diſpenſante, ſed indirecte pœnam infamiæ crimini ſuo jure annexam ſubtrahente, & ſi ſit eſt infamia facti legalis, diſpenſatione ab Auctore juris, *ibid.* 5. Ex defectu corporis, ſublato illius defectu, vel morbo, ſic ex morbo caduco, per annum ceſſante affectu epileptico pro exercitio Ordinis, vel per menſem, ſi nondum conſtet de morbo, *Cap. nuper.* & relapſorum, probato per annum,

annum, ſi nullum hujus morbi ſymptoma ſe exhibeat *Tourn.* & tunc debet adeſſe alius Sacerdos jejunus, ut eo deficiente, canone jam incepto ſacrum perficiat, *Cap. nuper can.* 14. pro Ordine vero ſuſcipiendo, ſi contigerit poſt annum 14. videtur perpetua; quia raro curatur. Reliquæ per legitimam diſpenſationem 1. a Papa in omni irregularitate Jure humano inducta. 2. Ab Epiſcopo etiam nondum conſecrato, *P. Gerv.* in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto ad forum contentioſum non deducto, excepto homicidio in ſe directe volito, *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 6. etiam poteſt diſpenſare in delicto ad forum contentioſum deducto, ſed punito, & finita cauſa, *Baſſæ.* ac in homicidio occulto, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtret in neceſſitate ſcandali vitandi, vel in difficili recurſu ad Papam ob inopiam, vel nimiam diſtantiam, *Tourn. Baſſæ.* & in homicidio caſuali mixto, & involuntario, nec non in mutilatione, *Tourne'y*; & cum illegitimis quoad ordines minores, & beneficia ſimplicia, & non curata ſacrum ordinem non requirentia *Cap.* 1. *de filiis presbyt.* & cum bigamis ad eoſdem Ordines, ac beneficia, ubi conſuetudo ita prævaluit legitima, nec ei per Concilium Trid. fuit derogatum, *Tourn.* & in bigamia ſimilitudinaria; *Tourn.* & in quibuſdam defectibus corporis, qui in dubio ipſius judicio relicti ſunt, *Rit. Argent.* non vero in aliis ſecluſo privilegio; quia Epiſcopus in Jure communi diſpenſare nequit, niſi ſpecialiter ei conceſſum ſit; & in dubio, an Papæ illius reſervetur diſpenſatio, vel ſi ob nimiam diſtantiam loci ultra duos, vel tres menſes diſpenſatio cum ſcandalo, vel parochialium omiſſione exſpectari deberet; vel ob inopiam a Papa omnino obtineri non poſſet, *Tourn.* eo ipſo autem, quod Epiſcopus aliquem ad Ordines admittat, vel dimiſſorias conferat, cenſetur diſpenſare, modo irregularem eſſe ſciat, *Bonac. apud P. Gerv.* occultum autem in hac materia cenſetur, quod non eſt notorium certo, ac indubie, ſed ſolum rumore eſt publicum; *Tourn.* quia fama veris addere falſa gaudet; ſic non eſt irregularis ex delicto notorio Sacerdos poſt percuſſionem Clerici publice celebrans, ſi non ſimul notorium ſit, celebraſſe ante illius abſolutionem; ſic nec excommunicatus occultus celebrans publice, nec publice excommunicatus celebrans occulte, *Tourn.* quia celebratio in excommunicatione, ex qua oritur irre-

gularitas, non eſt notoria, cum in primo excommunicatio, & in altero caſu celebratio ſit occulta. Sic irregularis ex crimine notorio in uno loco, poteſt diſpenſari ab Epiſcopo in alio loco, ubi delictum eſt occultum, *Tourn.* quia, cum auctores graves ſint diviſi, & dubitetur, an Papæ reſervetur, eo ipſo Epiſcopus diſpenſare poteſt, *Tourn.* 3. Poteſt diſpenſari a Prælatis regularibus; ſpectato Jure communi, cum ſuis ſubditis in caſibus, in quibus poteſt diſpenſari ab Epiſcopo cum ſuis Diœceſanis, *Tourn. de irreg: biga.* quia Generales, Provinciales, Abbates, & Priores exempti, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent in ſuos ſubditos, *ibid.* & vi privilegiorum a Mart. V. Sixt. IV. Clem. VIII. Paul. III. *apud Thom. ex Charm. P. Gerv. P. Mich. Tug. in ſuo Bull.* noſtro ordini conceſſorum, poſſunt diſpenſare noſtri Generales, Provinciales, & eorum Vicarii, & in cauſa urgente Cuſtodes, dum aditus ad Provincialem non patet, in foro tam interno, quam externo, cum ſuis ſubditis, vel non ſubditis, ejuſdem tamen ordinisad eos declinantibus, in omni irregularitate, etiam cum illegitimis ad Prælaturas, ſed in Capitulo generali, vel provinciali, *Sanch. Gav. communior apud P. Gerv.* excepta ex bigamia, homicidio, mutilatione, & ex enormi corporis vitio proveniente; & Guardiani, ac alii Confeſſores ad uſum duntaxat Sacramentorum, *Bonagr. Baſſa, apud P. Gerv. & P. Mich. Tug. in ſuo Bull,* diſpenſatio, quæ in fine viſitationis a Prælato regulari, vel in quibuſdam feſtivitatibus dari ſolet, valet pro cenſuris, ac irregularitatibus dubiis, & oblitis, vel ignoranter incurſis, ita, ut poſtea illarum recordans, maneat abſolutus, *P. Gerv. tom.* 6. *fol.* 626. etiam pro certis, occultis tamen, pro foro conſcientiæ tantum, *ibid. fol.* 300. etiam pro ſibi manifeſtis, *Mich. Tug. in ſuo Bullario*; non ita valet abſolutio a Præſide electionum pro cautela duntaxat, & valore electionis data; quia finita electione reviviſcunt cenſuræ abſolutæ, ob quas electores erant inhabiles, *ibid.*

TRA-

TRACTATUS VI.

DE CENSURIS.

Hic Tractatus in quatuor dividitur quæſtiones, 1. de Cenſuris in genere, 2. de Excommunicatione, 3. de Suſpenſione, 4. de Interdicto, Ceſſatione, Depoſitione, & Degradatione.

QUÆSTIO I.

DE CENSURIS IN GENERE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit cenſura?

Reſp. 1. CEnſura in communi eſt ſpiritualis, ac medicinalis fori exterioris pœna ab eccleſiaſtica poteſtate inflicta, hominem viatorem baptizatum adultum delinquentem privans uſu bonorum Eccleſiæ ſpiritualium, & communium, donec a contumacia reſipiſcat.

2. Dividitur in cenſuram a jure latam, quæ per canones, ſeu ſtatutum perpetuum fertur generaliter in omnes ſubditos; & ab homine latam, quæ per ſententiam Judicis, aut præceptum tranſitorium fertur propter factum particulare, vel in perſonas particulares; & ceſſat morte, vel revocatione conditoris; contracta tamen manet poſt mortem etiam conditoris, donec abſolutione tollatur.

3. Dividitur in latæ ſententiæ, quæ incurritur ipſo fa-

ſto criminis admiſſione, ſine ulla Judicis ſententia, & ordinarie ſit, 1. Quando eam ferens utitur verbis, ipſo facto; ipſo jure, eo ipſo, ſtatim, ex tunc, mox, illico, latæ ſententiæ, &c. 2. Quando utitur verbis indicativi modi temporis præſentis, ut excommunicamus, ſuſpenduntur, &c. vel præteriti, ut excommunicatus eſt, noverit ſe eſſe ſuſpenſum, &c. 3. Quando utitur verbis imperativi modi, & nulla actio Judicis, vel Miniſtri, nec mandatum exprimitur; ut ſit excommunicatus, maneat ſuſpenſus. Et in ferendæ ſententiæ, quæ non contrahitur, niſi accedente Judicis ſententia, & vocatur etiam comminatoria, talis eſt, 1. Quæ fertur per verba ſimplicem comminationem indicantia, ut ſub pœna anathematis, vel ſuſpenſionis. 2. Quando exprimitur verbis futuri temporis, ut excommunicabitur, noverit ſe eſſe ſuſpenſionem incurſurum, niſi addatur ipſo facto. 3. Quando verba ſunt imperativi modi actionem Judicis indicantia, ut excommunicetur; eſt excommunicandus; volumus ſuſpendi; in dubio eſt ferendæ ſententiæ; quia in pœnis benignior pars eſt interpretanda.

4. Cenſura alia eſt valida, quæ fertur a legitima poteſtate ſervatis regulis juris eſſentialibus. Alia invalida, ſi alterutra harum conditionum deſit. Alia eſt juſta, cujus cauſa eſt juſta. Alia injuſta, cujus cauſa eſt injuſta.

5. Dividitur in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. De quibus infra in particulari.

Quær. 2. *Quiſnam poſſit ferre cenſuras, & quando expirent?*

Dico. Dari in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, patet *Matth.* 18. 1. *Cor.* 5. & de fide conſtat, *Tourn. & alii*; eaſque ferre poſſunt Superiores habentes juriſdictionem ordinariam, ut Prælati regulares in ſuos ſubditos, etiam locales, *Tourn.* niſi aliter in aliqua Religione ſit conſtitutum; non vero Parochi, *S. Thom. S. Bonav. apud Tourn.* quia pertinent ad forum contentioſum, qua carent Parochi, *ibid.* poſſuntque eandem facultatem ſubdelegare, etiam ſimplici Clerico prima Tonſura initiato; quia non eſt poteſtas Ordinis, ſed juriſdictionis; non tamen laico, niſi Papa, *P. Gerv. Tourn.* nec fœminæ, licet eſſet Abbatiſſa, nec Papa, *Coninck, & alii*; quia incapax eſt poteſtatis clavium; poteſt tamen mulier jubere ceſſationem a divinis, *Thom. ex Charm.* hanc transgredientes vero non

fiunt

fiunt irregulares. Poteſtas pro cenſuris ferendis delegata exſpirat morte delegantis, niſi cauſa jam eſſet incepta; & pari modo exſpirant cenſuræ per modum mandati latæ, *Caſp.* non vero latæ per modum legis, vel ſtatuti.

Quær. 3. Quænam requirantur conditiones ad valide, ac licite cenſuras ferendas?

Dico. Sex, ad valide ferendas cenſuras, requiruntur conditiones, 1. Juriſdictio ordinaria, vel delegata, non impedita cenſura notoria, vel a Superiore, vel abſentia a propria Diœceſi, vel captivitate, vel per legitimam appellationem, quæ ferendam, non vero latam impedit, vel privilegio rei. 2. Subjectum capax, in quod fertur, nempe, ut ſit viator, baptizatus, doli capax; quia debet eſſe ſubditus Eccleſiæ, & poſſe peccare. 3. Peccatum mortale ſufficienter probatum; quoad actum externum conſummatum in ſuo genere juxta tenorem legis, vel ſententiæ, ac proprium, excepta excommunicatione minore, quæ poteſt ferri ob veniale, ſicut & ſuſpenſio ab aliquo duntaxat officio, v. g. ordinis, *Thom. ex Charm.* quia pœnæ leves cenſentur; & excepta ſuſpenſione, ac interdicto, quæ poſſunt ferri ob alterius delictum in illius communitatem, *ita in Jure. P. Gerv.* 4. Contumacia; quia eſt medicinalis. 5. Ut non fiat in propria cauſa; quia nemo in propria cauſa eſt Judex, niſi in cauſa defenſionis, in qua licet vim vi repellere, vel niſi ita eſſet notoria, ut non negari poſſet, nec examinari indigeat, *Suar. apud Tourn.* quia tunc ſententia eſſet tantum declaratoria. 6. Ut ſervetur ordo ſubſtantialis judicii, nempe pro cenſura a jure, vel ſtatuto lata formalitas pro lege, vel ſtatuto requiſita, *Suar. apud Tourn.* & pro cenſura ab homine lata requiritur 1. Monitio, ſaltem unica non neceſſario canonica, niſi in caſibus a jure præſcriptis, *Tourn*; attamen cum comminatione cenſuræ ſaltem in genere, cum nomine Judicis ipſi reo nominatim facta, ſi notus ſit Judici, vel ſi ei non poſſet fieri, illius domui, vel ſi non ſit notus, vel non poſſet fieri in illius domo, in loco publico, ut in Gallia in Eccleſia a Parocho; & pro cenſura a jure lata ſufficit lex promulgata continuo monens, etiam ſolum comminatoria cenſuræ, *Tourn.* 2. Citatio rei, & copia defenſionis, etiamſi crimen ſit notorium, & ſententia ferenda tantum ſit declaratoria, *Tourn. Pont.* quia poteſt apponere, ſe non

mala

mala fide, vel cum licentia, aut cum inadvertentia, ſeu ex neceſſitate feciſſe. 3. Sententia ſaltem declaratoria, ſi crimen ſit notorium. 4. Denunciatio cenſuræ affecti, ut ſit vitandus, facta in Eccleſia coram populo, vel ad illius valvas affixa more locorum, & formalitatibus in iis uſitatis, *Tourn.*; ut autem cenſura licite feratur, inſuper requiritur 1. Ut aliæ ſerventur formalitates non ſubſtantiales, a jure tamen præſcriptæ, videlicet admonitio canonica; quæ eſt trina cum intervallo duorum, vel trium dierum, vel ob gravis mali periculum ſaltem una pro tribus facta coram teſtibus, in Gallia in Eccleſia a Parocho, vel apparitore perſonaliter, & ſententia in ſcriptis cum expreſſione cauſæ cenſuræ, & reo petente intra menſem illius traditio, *Cap. cum medicin.* 2. Ut eam ferens non ſit occulte excommunicatus, ac negligens abſolvi. 3. Ut peccato ſit proportionata. 3. Ut non fiat pravo affectu odii, vel vindictæ. Multiplicatur cenſura juxta multiplicitatem contumaciæ numero, vel ſpecie diverſæ, quæ deſumitur a moraliter diverſis ſpecie, vel numero tranſgreſſionibus, *Tourn.*

Hinc 1. Invalida eſt cenſura, 1. A Prælato extra propriam Diœceſim exiſtente per modum ſententiæ lata; quia extra Diœceſim non habet tribunal, & in alia Diœceſi exercere juriſdictionem contentioſam prohibetur; *Clem. de foro compet.* niſi conſentiente Epiſcopo alieno, & partibus; vel ex proprio territorio expulſus in civitatibus, vel locis inſignibus ſuæ Eccleſiæ vicinoribus, petita, licet non obtenta, Ordinarii licentia: valet autem lata per modum legis, vel ſtatuti extra Diœceſim facti, & in propria promulgati, *Tourn.* quia ita fieri poſſe, experientia docet. 2. Ab Epiſcopo in captivitate ab hoſtibus detento, *Tourn.* quia tunc Capitulum, ſicut ſi ſedes morte vacaret, juriſdictionem exercet, *Cap. 3. de ſupplenda negl. Prel. in 6.* 3. Ab excommunicato excommunicatione majori non tolerato lata, *Tourn.* vel etiam ab ipſius delegato, niſi ante illius excommunicationem res jam ſit incepta, *ibid.* quia juriſdictione cum illo ſpoliatur, *ibid.* vel ab alio delegato lata poſt mortem delegantis naturalem, vel civilem; uti eſt captivitas, *Tourn.* vel poſt revocationem delegationis, ſi illius notitiam habere potuerit; ſecus ſi illius notitiam habere non potuerit ante cenſuram latam, niſi de contraria intentione delegan-

legantis expreſſe conſtet. 4. Invalidæ ſunt excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiæ latæ contra participantes excommunicato ea participatione, quæ ſolum excommunicationem minorem inducit, non præmiſſa monitione canonica, *Tourn.* quia ita in jure notatum eſt, *Bonif. VIII. Cap.* 43. vel ſi imperata a delegante monitione canonica, delegatus eam omiſiſſet; quia delegatus nihil poteſt ultra intentionem delegantis: non tamen requiritur canonica monitio pro excommunicatione lata contra communicantes cum excommunicato ab alio Epiſcopo, *Tourn.* 5. Eſt invalida cenſura ab homine lata, omiſſa citatione, etiam ob crimen notorium, ſaltem in Gallia, *Tourn.* quia tergiverſatione poteſt eludi, allegando ignorantiam legis, inadvertentiam, &c. vel facta ſine expreſſione nominis ſuperioris; quia ignorans ſuperiorem, cui parendum, non eſt contumax; vel ſine nomine, vel caracteribus moniti, quibus clare ſe agnoſcere poſſet, ſi notus ſit; quia alias non eſt contumax; pro interdicto tamen ſufficit, ut moneantur contumaces cauſam interdicti totius communitatis præbentes, *Tourn.* vel facta ſine expreſſione cenſuræ, ſaltem in genere; quia hic non eſſet contra cenſuram vere contumax, *Tourn.* vel reo non perſonaliter facta, niſi monitionem perſonalem fugiat, & dolo latitet, qui tamen non ſupponendus, ſed probandus, *apud Tourn.* vel niſi jam nominatim ſit citatus, vel monitio in domo facta ipſi ſit nota, vel ſi male abſolutus denuo ſubjaceat; vel ſi ob appellati, vel ſuorum metum, & potentiam fieri nequeat, *Clem. III. de elect.* tunc ſufficit facta in loco publico, vel Eccleſia; non tamen eſſet invalida ſine ſcriptis, vel teſtibus, vel non canonice facta, niſi in caſu ſupra dicto, nempe a delegante fuiſſet præcepta, ut in ſcriptis, & coram teſtibus, vel canonice fiat; bene autem illicita defectu duarum ultimarum conditionum. 6. Eſt invalida defectu ſententiæ verbis determinatis latæ; quia ſine verbis non poteſt ſcire reus, quomodo ſit ligatus; non tamen pro valore requiritur, ut proferatur ſcriptis cum expreſſione cauſæ, & traditione ſcripturæ infra menſem petenti, bene autem ſub mortali, & ſuſpenſione per menſem, & ab ingreſſu Eccleſiæ, & a divinis officiis, cujus tranſgreſſio irregularitatem parit, & impenſis reo reſarciendis, *Cap. medicinalis*; niſi ſit Epiſcopus, vel neceſſitas periculi urgeat;

vel

vel eſſent Prælati Ordinis Minorum, qui concedente Leone XI. ferre poſſunt cenſuras ſine ſcripto, *Tourn.* vel ſi ſine dolo bona fide a mortali excuſante omitteretur; *ibid.* nec requiritur, ut ſcriptura hæc ſit omnino authentica, nempe fide Notarii publici, & teſtibus munita; nec neceſſario a Judice, ſed etiam ab alio ipſius nomine ex ſcripto legi, vel proferri poteſt, *ibid.* nec ſemper, ac neceſſario facienda eſt rei denunciatio, niſi neceſſe ſit, ut per confuſionem a contumacia retrahatur, per ſegregationem a fidelibus deſinat, iis eſſe petra ſcandali, & ut damnum Eccleſiæ, & privatis reſarciat; non debet autem ferri, ſi reus congruam offerat ſatisfactionem; vel ſi executor delegatus ſciat ſententiam manifeſte injuſtam, bene autem ſi ſecundum allegata, & probata ſit juſta, licet in re ſit injuſta; quia Judici juſtitiæ ordinem ſervanti parendum eſt, *apud Tourn.* debet tamen Superior moneri, *ibid.* & ſi neceſſaria ſit rei denunciatio, debet fieri a Superiore, vel delegato ſolemnitate locorum uſitata, *ibid.*

Hinc 2. Cenſuras non incurrit 1. Papa; quia nulli eſt ſubditus; nec Reges, Reginæ, eorumque filii cenſuras ab Ordinario latas; quia ſolent eſſe exempti a juriſdictione Ordinarii per privilegium Papæ, *Sayrus*, *Avila*, *&* *alii apud Tourn.* nec Religioſi exempti in iis caſibus, in quibus a juriſdictione Epiſcopi exempti ſunt; quia ratione privilegii non ſubjacent illius juriſdictioni; bene autem ſine licentia Ordinarii prædicantes, vel confeſſiones excipientes, vel a reſervatis abſolventes, &c. quia in his Ordinario ſubjecti ſunt; nec pueri ante pubertatem, id eſt 14. annos, & puellæ ante 12. incurrunt cenſuras ab homine latas, ut contra non revelantes crimen per monitorium detegendum, *Suar. Coninck*, *&* *alii apud Tourn.* bene autem contra Clericum percutientes latam incurrunt, *Gregorius IX.* quia iſta eſt juris, non illa; cum aliquo tamen moderamine permittendo iſtius abſolutionem Epiſcopo. 2. Nec eas incurrunt Judæi, Pagani nondum ſunt ſubditi Eccleſiæ; nec mortui, niſi antea fuerint ligati, & improprie ad aliquos effectus; bene autem hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ; quia per baptiſmum ſubditi ſunt Eccleſiæ 3. Non incurrunt extranei per breve tempus, & quaſi curſum tranſeuntes, cenſuras per ſententiam, etiam ipſis jam in ea exiſtentibus, latas, uti, v. g. eſt

g. eſt monitorium; quia ita docet communis apud *Tourn.* nec vagi ante eorum ingreſſum, etiam per ſententiam latas; quia ſe habent per modum præcepti ſolum in præſentes cadentes, *Tourn.* bene autem lege, vel ſtatuto latas; & extranei in alieno territorio delinquentes contra Jus naturale, vel commune, poſſunt cenſuris puniri, *Avila, & com.* quia ſortiuntur forum delicti; exeuntes tamen e territorio antequam citentur, non poſſunt excommunicari, *Tourn. & alii ibid.* niſi Judex loci, in quem diſceſſerunt, ad preces Judicis delicti eos citaverit, vel remiſerit, *ibid.* quia ſunt tantum ſubditi ſecundum quid, nempe ratione delicti: ſubditus vero in proprio territorio delinquens ligatur ejuſdem cenſuris, etiamſi in alienum fugerit, *communis apud Tourn.* ſive cenſura ſit juris, ſive ab homine; in hoc tamen caſu debet a Judice loci, in quem fugit, ad inſtantiam Judicis delicti citari, vel remitti, & comparere nolens cenſura plecti, *ibid.* ſic vulnus lethale infligens in una, & fugiens in aliam Diœceſim, vel vulnerato in aliam translato, incurrit cenſuras in inſtanti mortis vulnerati, licet in loco fugitivi, vel vulnerati translati nulla eſſet cenſura; quia actus principalis, nempe vulnus lethale in loco cenſuræ fuit inflictum, licet extra conſummatum, *Pont.* ſecus rapiens virgigem in loco, ubi ſtupro cenſura eſt annexa, & abutens, ubi non eſt cenſura; quia licet incepit, ubi eſt cenſura, actus tamen principalis cenſuræ in loco, ubi non eſt cenſura, fuit poſitus, *Tourn.* 4. Nec ligat cenſura per modum ſtatuti lata extra territorium proprium, vel in loco exempto, ſic facta ſub cenſura prohibitione Clericis, ne comam nutriant, furentur, in alia Diœceſi celebrent, cenſuram non incurrunt iſta extra facientes, *Tourn.* quia juxta regulam juris extra territoria dicenti non paretur impune, *Cap. 2. de Conſtit. in 6.* niſi propterea in propria Diœceſi Miſſas non haberent requiſitas; quia tunc ex fictione juris in propria delinquenti; vel ſi quis Epiſcopi nomine legatione fungeretur extra Diœceſim; quia tunc delictum in dedecus proprii Epiſcopi cederet, & ei perſonaliter ſubeſſet, *Conink*; vel ſi eſſet Religioſus contra ſtatuta Superiorum ſub cenſuris facta delinquens; quia Superiores regulares non ratione territorii, ſed perſonarum juriſdictionem habent; ſic etiam in beneficio non reſidentes, vel ab Epiſcopo ad Synodum vocati non comparen-

parentes; ſed in alio territorio degentes, cenſuras incurrunt contra abſentes latas, vel contra prohibitionem ſub cenſura extra Diœceſim egredientes, vel triticum exportantes extra Diœceſim cenſuras incurrunt; quia fictione juris in proprio cenſentur eſſe præſentes, & peccare, non facientes; quod ibi facere tenentur, *leg. 121. ſt. de reg. jur.* cum in proprio territorio damnum inferant exeundo, vel frumenta exportantes, *Tourn.* ſic obligatus ad ſolvendum debitum, vel reſtitutionem ſub excommunicatione poſt menſem incuerenda, termino finito non ſolvens, eam incurrit; etſi forum mutet, & in aliam Diœceſim eat, *Tourn.* quia per Judicis ſententiam præventus eſt; ſecus ſi ante ſententiam exiviſſet. 5. Nec cenſuras incurrunt laborantes ignorantia invincibili, etiam concomitante, vel venialiter ſolum culpabili, ſive juris, ſive facti; bene autem mortaliter vincibili craſſa, aut ſupina laborans, *Bonif. VIII.* niſi eſſent contra ſcienter, temere, conſulto violantes, aut præſumentes latæ; quia ignorantes etiam vincibiliter non cenſentur ſcienter, temere, conſulto agere, vel præſumere, niſi ignorantia eſſet affectata, *Tourn. Suar.* ſic ſciens percuſſionem Clerici Jure divino, non vero eccleſiaſtico prohibitam, vel prohibitioni ingreſſus in clauſtra Monialium ab Eccleſia annexam eſſe cenſuram, ignorans, eas non incurrit; quia non eſt contumax; ſic occidens Clericum, putans invincibiliter eſſe feram, non incurrit cenſuras, licet libentius occidiſſet, vel optaſſet eſſe Clericum; ſecus ſi diceret, ſe velle occidere, ſive fera, ſive Clericus ſit; quia tunc homicidium eſt ſufficienter volitum, *Tourn.* nec incurrit cenſuram percutiens laicum, putans eſſe clericum, vel putans percuſſioni laici annexam eſſe excommunicationem; quia non conſcientia erronea, ſed Superior inducit cenſuram, *ibid.* ſic advertens ex ſua actione ebrietatem, & ex ebrietate percuſſionem Clerici, vel homicidium ſecuturum, cenſuræ ſubjacet, *Tourn.* niſi poſita cauſa advertens periculum arma abſconderet, vel ſub ſera ſe includi curet, *Tol. & alii*; ſic ſomnambuli excuſantur, ſi mala in ſomno ſecutura prævenire curent, *ibid.* 6. Dubitans an actioni, v. g. lectioni libri hæretici annexa ſit cenſura, eam incurrit, ſi reipſa ei in illo loco annexa ſit; quia ſatis eſt contumax; ſi dubitet de actione præterita poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, an excommunicatus ſit, ſe gere-

re debet ut excommunicatus, ſive dubium juris, ſive facti ſit, *Tourn. & alii*; contra alios, & in praxi ſaltem ſecurius eſt: Unde dubitans, an excommunicatus ſit, non laborans pro cognoſcenda veritate, temere ſe ſacris ingerit, *Tourn. Suar.* quia periculo ſe exponit; & ſtante dubio non curans prius abſolvi ad cautelam, imprudentiſſime agit, *Tourn. Suar.* cenſura tamen de ſe Papæ reſervata ei non reſervatur, cum vere ſit dubia, *Tourn. & alii ibid.* 7. Nec ex metu gravi, ut mortis, mutilationis, infamiæ in circumſtantiis, in quibus excuſata mortali, tranſgrediens legem incurrit cenſuras annexas; ſic etiam Monialis occulte in cenſuram lapſa nondum abſoluta, homicida nondum obtenta diſpenſatione irregularitatis, ad vitandum ſcandalum, infamiam, detractionem, grave proximi periculum, & neceſſitatem, poſſunt choro intereſſe, communicare, celebrare, abſolvere, &c. præmiſſa contritione, & ſi poſſint, præmiſſa confeſſione; quia Lex eccleſiaſtica in his circumſtantiis non obligat; econtra metu mortis committens inceſtum, vel ſodomiam, cenſuras incurrit; quia in his metus non excuſat a peccato, cum ſint intrinſece mala: nec cenſuras incurrunt impotentes moraliter obedire mandato ob periculum infamiæ, ſcandali, gravis damni, &c. quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *leg.* 185. & impotentia moralis excuſat a peccato in lege humana; niſi, v. g. ſub excommunicatione ad ſolvendum infra menſem obligatus, præviſa circa finem menſis pro ſolutione impotentia, non antea ſolviſſet; *Suar. & alii com.* poteſt tamen ab ea præſervari offerendo Judici ſatisfactionem, vel cautionem ante tempus elapſum, *Suar.* nec incurrit, ſi conſentiat pars læſa, vel remittat injuriam, vel debitum, ob quod ſolvendum cenſura lata eſt, vel terminum proroget; quia Judex non intendit ligare, niſi juxta voluntatem læſi, in cujus favorem cenſura lata eſt; niſi ſimul in odium delicti eſſet lata. In Gallia debitores non per cenſuras ſolent cogi; nec incurrunt appellantes ante ſententiam, vel lapſum temporis, ſi ſit conditionata, vel contra ſententiam mere declaratoriam, *Nav. Suar. & alii apud Tourn.* bene autem eam incurrunt appellantes a legitime lata, vel poſt conditionis eventum, *Innoc. III. cap. paſtor*; quia impleta conditione, fit abſoluta, & abſoluta executionem ſecum trahit, & nihil poteſt opponi, cum fuerit citatus, ac auditus; bene autem

con-

contra ſententiam declaratoriam poteſt opponi, Judicem ſibi eſſe offenſum, ignorantia legis, inadvertentia, &c. unde in Gallia debet etiam pro ſententia declaratoria citari, & audiri reus, *Tourn.* 8. Nec cenſuram incurrit Clericum venialiter percutiens, licet odio gravi, niſi ex aliis circumſtantiis ſtatui clericali gravis fiat injuria, nec ſartori acum auferens cenſuram contra fures in una, aut altera Diœceſi latam, licet grave inde damnum pateretur; quia non eſt grave in ratione furti, licet ſit in ratione damni; ſecus ſi contra grave damnum inferentes eſſet lata, *Suar. Navar. apud Tourn.* nec hanc contra fures incurrunt uſurarii. *Auct. cit.* quia nomine furis intelligitur, qui occulte, & nullo modo conſentiente Domino aliquid aufert; quamvis Tournely ægreiis conſentiat; bene autem incurrunt cenſuram contra vineam devaſtantes latam, licet ſinguli paucos tantum racemos mutuo, ſive non mutuo conſilio, gravis tamen damni conſcii, auferant; quia cenſura eſt lata ob grave damnum, cui ſinguli participant, illudque reſarcire tenentur, *apud Tourn.* non tamen valeret cenſura gravis, ut excommunicatio major ob leve mendacium, vel aliud veniale lata, niſi fiat grave ob circumſtantias, ut ratione ſcandali, vel periculi labendi inde in mortale: ſic ſub gravi prohibuerunt Apoſtoli comeſtionem ſanguinis, & ſuffocati ratione ſcandali, ſic ſub gravi etiam cenſura poteſt prohiberi Clericis nutrire comam, popinam ingredi, &c. *Tourn.* bene autem valet excommunicatio minor, vel ſuſpenſio ab aliquo duntaxat officio pro venialia lata, *Thom. ex Charm.* quia hæc excommunicatio ſaltem pro levi pœna habetur, cum facile, & a quolibet Confeſſario poſſit tolli, *Tourn.* & ſuſpenſio ab unius, aut alterius Ordinis exercitio non reputetur gravis, *Thom. ex Charm.* 9. Nec cenſuram contra homicidium incurrit animo occidendi hominem non lethaliter percutiens, licet poſtea alio accidente ſuperveniente moriatur, *Suar. & alii apud Tournely*; nec ſi vulnus fuerit lethale, ſi ob remedia naturalia, vel miraculum non fuerit mortuus, *Tourn.* quia actus non eſt completus juxta tenorem cenſuræ; bene autem incurrunt cenſuram contra duellantes latam, ad illud ſolum provocantes, vel acceptantes; quia in Bulla Clementis VIII. in Gallia acceptata non ſolum ob actionem, ſed etiam conatum eſt lata. 10. Nec incurrit cenſuras contra hæreticos ex metu

tu hæreſim externo proferens, corde vero ei non aſſentiens, bene autem ſi contra hæretice loquentes eſſet lata, *Pont.* nec in die veneris carnes manducans interne hæretice credens, Eccleſiam non poſſe carnis comeſtionem prohibere, *Tourn.* quia ambigue, & non ſufficienter hæreſis in mente latens externe patet; bene autem librum hæreticorum clam legens; quia opus prohibitum eſt externum. 11. Nec cenſuras *contra facientes latas* ſolum mandans, vel conſulens, niſi etiam in cenſura exprimantur; imo etiamſi exprimantur, eas non incurrunt, ſi mandans ita revocet, ut ante homicidium innoteſcat, & conſilium ita, ut non influat, licet mors alia ratione ſequatur; niſi cenſura eſſet lata contra mandantes independenter ab effectu, uti *cap.* 1. *de homicid. in* 6. excommunicatur ipſo facto, qui quempiam Chriſtianorum per aſſaſinos non ſolum interfici fecerit, ſed etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur, *apud Tourn.* 12. Nec eam incurrit bono animo ſuadens minus malum, ut eum retrahat ab inferendo majori malo, puta volenti occidere Clericum, ut eum ſolum percutiat, *Tournely*; quia non influit culpabiliter in effectum ſub cenſura prohibitum, *ibid.* 13. Nec incurrit cenſuram ob peccatum mere præteritum, ſed debet poſt admonitionem adhuc perſeverare, *Coninck*; quia alias non eſt contumax; poteſt tamen ad tempus arceri a conſortio, communione, &c. quod ſubinde in jure vocatur ſuſpenſio, &c. ſed late, nec illius violatio irregularitatem parit. 14. Cenſura notorie invalida, vel injuſta ex defectu cauſæ ſufficientis non ligat coram Deo, neque coram hominibus; ſic ſi Judex eccleſiaſticus prohiberet ſub cenſura amorem Dei, vel dilectionem inimici; vel ſubjectionem Principi, vel credere in Deum, vel imperaret furtum, ſeu homicidium, non ligaret, *Rit. Art.* quia nullitas a nemine in dubium revocari debet, nec poteſt; nulla vero, vel injuſta in ſe, ſed non notorie, non quidem ligaret coram Deo, ſed coram hominibus, *ibid.* ac proinde tenetur ſe externe gerere tanquam cenſura affectus coram illis, qui cenſuram norunt, & innocentiam ignorant, quia ſecus peccaret peccato ſcandali reſiſtendo poteſtati publicæ, etiamſi appellaverit ad Superiorem; quia cenſuræ ab homine latæ per appellationem non ſuſpenduntur, *Cap. is, cui de ſent excomm. in* 6. bene autem a jure per ſententiam declaratoriam latæ,

Tourn. pœnas tamen contra violantes cenſuras non incurreret, *Thom. ex Charm.*

Hinc 3. Uno ictu tres occidens, tres incurrit cenſuras, quia tria committit homicidia: percutiens Monachum ſimul Clericum duas excommunicationes incurrit, unam ob irreverentiam ſtatui clericali, & alteram Religioſo inflictam, *Tourn.* qui vero percutit Sacerdotem, qui ſimul eſt Diaconus, & Subdiaconus, vel pluribus non interruptis, unicam incurrit cenſuram; quia eſt unicum numero peccatum, & contumacia; qui vero pluries, etiam ſine interruptione cum eadem inceſtum committit, plures incurrit cenſuras; quia quælibet actio ſuum habet terminum, & contumaciam novam contra legem prohibentem ſub cenſura, *Tourn.* quia agit contra legem a pluribus ejuſdem poteſtatis Superioribus ſucceſſive latam, v. g. a pluribus SS. Pontificibus, vel Epiſcopis, unicam incurrit cenſuram; quia leges ſunt tantum materialiter diverſæ; plures vero incurrit, ſi lex ſit a pluribus diverſi Ordinis, ac gradus, puta a Papa, & Epiſcopo, ſi quilibet novum jus condere intendat; quia licet unicum eſſet peccatum, jus tamen cujuslibet violatur, & duplex eſt contumacia, *Tourn.* videtur tamen S. Thomas contrarius; quia contumaciæ coaleſcunt in unum peccatum, *ibid.* in praxi abſolvantur ab omnibus.

Quær. 4. *Quiſnam poſſit abſolvere a cenſuris?*

Dico. Poteſt 1. abſolvere in foro externo a cenſura ab homine per ſententiam particularem lata, ſolus, & omnis ille, qui eam tulit, & ejus ſucceſſor, ſuperior, vel delegatus ab eo; quia illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare. 2. A cenſura a jure, vel ſtatuto lata reſervata ſolus illius auctor, vel ſucceſſor, vel illius ſuperior, vel ab ipſo delegatus, *Cap. nuper. de ſent. excomm.* uti Epiſcopi quoad cenſuras Papæ reſervatas ex delicto occulto, vel ob impedimentum canonicum. 3. Poteſt quilibet Confeſſarius approbatus abſolvere a cenſuris non reſervatis, *Tourn.* 4. In articulo mortis etiam poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere a reſervatis ſalutem impedientibus, *Concil. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 7. etiamſi eſſet excommunicatus, & denuntiatus; quia nunc ſaltem ita docet communior, *Tourn.* & in neceſſitate melius eſt medium dubium, quam nullum; hac tamen conditione, 1. ut moribundus convaleſcens ſub pœna reincidentiæ ipſo facto ſine nova ſententia ad Superio-

periorem, vel ejus delegatum recurrat, non quidem pro nova abſolutione, ſed ut mandata illius ſuſcipiat, *Cap. eos de ſent. excomm. in* 6. qui textus tamen juris videtur de eo loqui, qui per ſententiam Judicis fuit ligatus, *Auct. ſupra cit.* pag. 137. debetque a Confeſſario ſub juramento ad hoc obligari, *Cap. quamvis de ſent. excomm.* 2. Ut pœnitens juramentum præſtet de ſtandis mandatis Eccleſiæ, & non committendo impoſterum tali crimine, *Cap. de cætero, & ex timore de ſent. excomm.* 3. Ut prius parti læſæ ſatisfaciat, vel ſi non poſſit, cautionem fidejuſſoriam, vel pignoratitiam, vel ſaltem juratam præſtet, *Cap. fin. de ſepult.* vel hæredes ad damni reparationem inſtrumento authentico obliget; niſi ſatisfactio ſponte fuerit remiſſa, vel oblata fuerit rejecta, debetque a Confeſſario ſub juramento ad hoc obligari, *Cap. quamvis de ſent. excomm.* præcipue ubi iſtæ conditiones præſcribuntur, ut in Diœceſi Baſileenſi, *inſtruct. paſt. art.* 4. §. 6. *num.* 4. qualem Regulares habeant poteſtatem circa cenſuras, vide *Tr. de pœnit. Q.* 5. *quær.* 11. *Hinc.* 2. *num.* 4. *&.* 5.

Hinc 1. Poteſt S. Pontifex abſolvere omnes cenſuras a quocumque latas in tota Eccleſia. 3. Metropolitanus in ſua provincia a ſuo ſuffraganeo latas; ſed jure duntaxat viſitationis, vel appellationis, ſi injuſtam, aut dubiam inveniat; quia in his caſibus ſolum habet juriſdictionem, *Cap. venerab. de ſent. excomm.* 3. Epiſcopus a ſe contra ſuos ſubitos latas, & ejus Vicarius, ac Capitulum ſede vacante; non vero Abbates juriſdictionem quaſi eſpiſcopalem habentes, *Suar. & declar. Card. apud Tour.* niſi etiam a ſe latas in ſuos ſubditos; item poteſt Epiſcopus abſolvere cenſuras Papæ reſervatas ex delicto occulto ad forum contentioſum non deductas, modo ipſe, vel pœnitens ſit in Diœceſi; quia ita videtur intendere Concilium Trid. expreſſe dicendo: *in ſua Diœceſi*, *Tourn.* bene autem poteſt extra Diœceſim abſolvere a ſe latas; quia, ſi poteſt Parochus ubique abſolvere ſuum parochianum ſibi præſentem a peccatis, cur non Epiſcopus a cenſuris ſaltem in foro conſcientiæ, non obſtante alia prohibitione; non vero cenſuras ex crimine, quod ex confeſſione rei in judicio, vel ex Judicis ſententia conſtat; quia eſt notorium juris; nec ſi nulla tergiverſatione in majori parte viciniæ, vel populi celari queat; quia eſt notorium facti; attamen minori numero, quam decem,

non conſtituitur populus, nec parochia, *ita in Jure cap. unio;* & in Gallia ſuppoſita adhuc ſententia declaratoria; *Tourn.* nec crimen ante Judicem deductum; ſi probatum non fuerit, notorium, ſed occultum cenſetur, *Congreg. Card. Cabaſſ.* poteſt tamen Epiſcopus abſolvere, ſi ſint ex delicto notorio ob impedimentum canonicum, ſic Monachos, ac Regulares, Moniales, conjugatas, juniores, viduas, puellas, filios familias, impuberes, pauperes, ſenes, valetudinarios, & alios, qui ſalva vita, libertate, ac rebus ſuis Romam ire nequeunt; quia omnes iſti laborant impedimento canonico, *apud Tourn.* ceſſante tamen impedimento ſub pœna reincidentiæ Sedi Apoſtolicæ, vel illius legato ſe ſiſtere tenentur, mandatum illius humiliter ſuſcepturi, exceptis pueris ante, vel poſt pubertatem abſolutis. *Greg. IX. & Bonif. VIII.* in Gallia tamen non ubique hoc viget, unde Ritualia, ac uſus Diœceſis conſulendi ſunt: ſic poſſunt abſolvere Monachos, aut Moniales a cenſura Papæ reſervata ob violentam manuum injectionem in Moniales, vel Clericos; vel clauſuram violantes exeundo, vel viros, aut fœminas introducendo etiam exemptas, etiamſi cenſura ſit notoria, & publica: præcipue in Regno Galliæ ex uſu longævo, *Tourn.* Epiſcopi in Gallia etiam abſolvunt ab hæreſi per ſe, & ſuos Vicarios; & quos delegare placet, *Pont. Tourn.* in Germania vero pro majori ſecuritate hanc petere ſolent a Papa licentiam. Monitorio vero non parens, vel alia cenſura per ſententiam particularem affectus in aliam abiens Diœceſim, non poteſt ibi ab alieno Epiſcopo abſolvi, nec a proprio ob delictum in aliena commiſſum cenſura notatus in ſuam rediens; quia neuter illam tulit, ſed remitti ad ſuum Judicem; vel facultas abſolvendi ab eo peti debet; quia, ex trito axiomate, præventus a Judice forum ipſius in ea cauſa declinare non poteſt; & licet monitorium verbis communibus videatur concipi, & in unum, vel plures delinquentes confuſe ferri, cenſura per ſententiam particularem lata cenſetur, *Suar. apud Thom.* econtra Pariſiis in cenſuram per ſtatutum reſervatam lapſus bona fide, & non expreſſe in alia Diœceſi confitens, poteſt abſolvi, modo abſolvens habeat a cenſuris reſervatis. *Bonac. Cabaſſ. Pont.* quia ita videtur uſu receptum, licet habens caſum reſervatum Pariſiis, alibi, ubi non eſt reſervatus, a quolibet non habente a reſervatis abſolvi poſ-

ſit

ſit; quia reſervatio caſus afficit Confeſſarium, cenſura vero ipſam perſonam. *Auct. cit.* & ita uſus docet; 4. Delegatus a Papa ad abſolvendum a caſibus ei reſervatis poteſt abſolvere a cenſuris, *Tourn.* nempe illorum abſolutionem impedientibus; quia alias eſſet inutilis, cum ordinarie omnes caſus Papæ reſervati habeant cenſuram annexam, *ibid.* a qua prius debet abſolvere; non vero delegatus ab Epiſcopo pro reſervatis, propterea habet a cenſuris: quia multi independenter a cenſuris ſunt reſervati, nec habens ab Epiſcopo a reſervatis in genere, ideo habet a cenſuris ab homine latis per ſententiam particularem, nec a caſibus, vel cenſuris SS. Pontifici reſervatis de jure ad Epiſcopum devolutis ſecluſa ſpeciali licentia; vel privilegio, minus ab hæreſi; nec habens a cenſuris in genere Papæ reſervatis, propterea habet a cenſuris ab homine per ſententiam particularem latis, niſi ſpecialiter ad id ſit approbatus, *Tourn. Suar. Vaſq. & alii*; delegatus ab Epiſcopo pro ferenda cenſura, propterea non eſt pro ea abſolvenda, bene autem delegatus a Papa in Gallia; quia cenſetur agere poteſtate ordinaria, ſicut etiam Epiſcopi abſolventes a cenſuris occultis, poſſuntque eam ſubdelegare aliis; *Tourn.* 5. Poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere a cenſuris non reſervatis a jure, vel ſtatuto latis, *Innoc. III.* etiamſi ad forum contentioſum traductis purgato crimine, etiam falſis aſſeverationibus; quia in judicio purgatæ non magis, quam antea ſunt reſervatæ; vel ab homine per ſententiam univerſalem latis, & non reſervatis; quia non differunt ab illis a jure latis, niſi quod non ſint perpetuæ, *Tourn.* non vero ab homine per ſententiam particularem latis; quia iſtæ ſemper ſunt reſervatæ, etiam Judice eas non expreſſe reſervante; & in articulo mortis poteſt a cenſuris abſolvere omnis Sacerdos, etiam excommunicatus, denunciatus, hæreticus; non vero alius Clericus, niſi eam tulerit; tunc enim poteſt etiam illam relaxare, *Tourn.* debet tamen præferri approbatus non approbato, & approbatus in aliena Diœceſi in nulla approbato, *Suar.* non approbatus excommunicato etiam tolerato, & approbato, *Tourn.* quia excommunicatus ſponte ad Sacramentorum adminiſtrationem ſe ingerere nequit; & ſuſpenſus, interdictus, vel irregularis excommunicato vitando, &c. *Tourn.* niſi adveniente approbato, non approbatus jam incepiſſet, *Suar, & alii*; quia cauſa non eſt am-

plius integra; niſi abſolutus obtenta abſolutione, & ſuperveniente approbato, peccati obliti, vel gravis peccati circumſtantiæ recordaretur; quia quoad peccatum oblitum nova debet fieri confeſſio, & quoad circumſtantiam etiam neceſſe eſt, ut approbato aperiatur, præcipue ſi ſit ſpeciem mutans; quia eſt novum peccatum; non tamen poteſt abſolvi in articulo mortis ab irregularitate, ſuſpenſione ab Ordine, officio, vel beneficio, ſed ſolum ab excommunicatione, & interdicto perſonali, *Sanch. Bonac.* quia ab his, non vero ab aliis neceſſaria eſt abſolutio, ne quis pereat, ut ait Concilium Trid. 6. Excommunicatio ratione ſolius publicatis Papæ reſervata ſupponit publicitatem juris, niſi ubi etiam facti admittitur, *Tourn.* 7. Non valet abſolutio cenſuræ ex metu gravi injurioſe incuſſo in hunc finem obtenta, vel ſententiæ revocatio, conditione nondum impleta, & metum incutiens incurrit excommunicationem, *Cap. de iis, apud Tourn.* nec valet per dolum circa ſubſtantiam obtenta, v. g. aſſerendo, ſe ſatisfeciſſe, vel non poſſe ſatisfacere, receſſiſſe ab hæreſi vel contumacia, cum nihil horum ſit.

Quær. 5. Quomodo danda ſit abſolutio a cenſuris?

Dico. Pro abſolutione danda in foro externo ſervandum eſt Rituale cujuslibet Diœceſis, & in foro interno pro validitate ſufficit forma earum abſolutionem ſufficienter exprimens, ut *abſolvo te*, licet ſimul eſſet a peccatis, modo ab illis abſolvere intendat, *P. Gerv.* quia nulla certa eſt præſcripta, & ex intentione Eccleſiæ, & proferentis intelligitur a cenſuris natura prius, & poſtea a peccatis: ſecurius tamen additur, a cenſuris, & a peccatis cum forma ordinaria, *te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, &c.* non vero ſufficit ſolis ſignis, vel nutibus ab inferiore ſummo Pontifice, *P. Gerv.* licet ſufficere poſſit in ſcriptis, *P. Gerv.* quia non eſt ſacramentalis. Abſolutio poteſt dari abſolute, vel conditionate, vel cum reincidentia non ſervantis ſub nova culpa præſtanda, vel ad cautelam, quæ datur appellanti proviſionaliter pro litis proſecutione, vel pœnitenti ante abſolutionem a peccatis, vel ante electionem pro illarum validitate, etiam extra confeſſionem, & abſenti, quia ſicut abſens poteſt cenſura ligari, etiam poteſt abſolvi, *Tourn.* etiam invito, modo a contumacia recedat, *ibid.* debetque concedi eam petenti, & a contumacia recedenti, *Tourn.* publice denun-

nunciatus abſolutus in foro ſolum conſcientiæ, v. g. tempore Jubilæi debet adhuc abſolvi in foro externo, ut publice ſe gerat quaſi abſolutus; & ne in foro externo conveniri, vel denunciari poſſit, *Tournely*.

QUÆSTIO II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Quær. 1. *Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio?*

Reſp. 1. Excommunicatio eſt cenſura, per quam homo baptizatus privatur ex toto, vel ex parte aliquibus ſpiritualibus bonis communibus a diſpenſatione Eccleſiæ dependentibus, ſcilicet conſortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis.

2. Alia eſt major, qua aliquis omnibus prædictis privatur Eccleſiæ bonis communibus, & hæc ordinarie nomine excommunicationis ſimpliciter in jure intelligitur. Alia eſt minor, qua aliquis privatur aliquibus bonis, nimirum communione paſſiva Sacramentorum, & electione paſſiva ad beneficia eccleſiaſtica. Porro excommunicatio major alia eſt tolerati, quem fidelis vitare non tenetur; & alia non tolerati, quem vitare tenetur.

Quær. 2. *An excommunicatio in Commuŋitatem lata, ſit valida, & quinam excommunicationem incurrant?*

Dico. Excommunicatio in Communitatem, Collegium, ſeu Univerſitatem lata pro delictis præteritis valida eſt pro noxiis, *Sylvius, & alii apud Tourn.* quia nullibi in lege irritatur; & licet in foro interno non liget inſontem, palam tamen ut excommunicatus ſe gerere debet, donec ſuam probaverit innocentiam: non tamen licita eſt, *Innoc. III. S. Thom.* quia inſontes ſimul paterentur, niſi conſtaret de crimine, & contumacia ſingulorum, *Tourn.* etiam licita eſt pro delictis futuris contra omnes Communitatis, v. g. qui blaſphematuri ſunt, *Tourn.* quia particulares, & rei eam incurrentes ſolum gravantur. Excommunicationem incurrunt Epiſcopi, ac Prælati Papa inferiores, ſive per ſententiam, ſive per canonem latam,

quamvis non expreſſa eorum ſiat mentio, & licet ſine expreſſa eorum mentione nec ſuſpenſionem, nec interdictum incurrant, *Tourn.* quia Lex, *cap. 4. de ſent. excom. in 6.* expreſſam eorum mentionem ad has, non vero ad illam requirit. Excommunicatio major generaliter contrahitur in duobus caſibus, 1. quando aliquid ſit, vel omittitur, quod ab ipſo jure prohibetur, vel præcipitur ſub pœna excommunicationis, & dicitur a jure fata, quarum multæ in corpore juris continentur, quas Confeſſarius licet laudabiliter, non tamen omnes neceſſario, ſed ſolum reſervatas ſcire tenetur, *P. Gerv.* de quibus uſus, Rituale, ac ſtatuta, cujuslibet Diœceſis conſulenda ſunt. 2. Quando Judici eccleſiaſtico aliquid ſub pœna excommunicationis præcipienti, vel prohibenti non paretur, & hæc dicitur ab homine. Minor vero ſolum contrahitur propter illicitam cum excommunicato non tolerato converſationem, *P. Thom. ex Charm. & Tourn.*

Quær. 3. Quinam excommunicati vitandi ſint, & a quo Clerici percuſſor abſolvi poſſit?

Reſp. Pren. Percuſſio Clerici alia eſt enormis, & atrox, quæ pervenit ad occiſionem, vel mutilationem membri, oculi ejectionem, illationem vulneris magni a Chirurgia ſerio tractandi, vel cum effuſione copioſi ſanguinis aliunde, quam e naribus effluentis, *Tourn.* alia levis, attamen mortalis, qua nec membrum abſcinditur, nec dens evellitur, nec ſanguis multus effunditur ſine carnis laceratione, & ſcandalo, talis ſatis communiter eſſe ſolet, quæ ſit palma, pugno, &c. *ibid.* alia mediocris, quæ locum inter utramque tenet. Alia venialis, quæ omnibus conſideratis, non ſufficit ad mortale, quæ ex circumſtantiis perſonæ, loci, temporis, modi, judicio prudentis diſcernenda ſunt, quod enim leve in pueris, grave eſſe poteſt reſpectu ſenis, & enorme reſpectu Superioris. His notatis.

Dico. Excommunicati vitandi ſunt 1. qui non ſolum per tranſgreſſionem legis, vel ſententiam Judicis eccleſiaſtici nominatim excommunicati ſunt, ſed etiam ſpecialiter, & publice denunciati ſunt, *Tourn.* 2. Notorius Clerici percuſſor, cujus factum nulla tergiverſatione celari, vel alio ſuffragio excuſari poteſt: cum autem admodum difficile ſit hoc diſcernere, ordinarie & præcipue in Gallia inſuper requiritur ſententia Judicis ſaltem declarato-

ria

ria criminis, & excommunicati denunciatio; *Tourn. P. Gerv.* levis autem Clerici percuſſio, quamvis mortaliter mala, & publica, non Papæ reſervatur, nec enormis, ſi ſit occulta, ſed poteſt ab Epiſcopo abſolvi; etiam enormis notoria occurrente impedimento canonico, *P. Gerv.* & Religioſi fere omnes a ſuis Superioribus ex privilegio abſolvi poſſunt, etiam Novitii, hi tamen cum reincidentia, ſi exeant, *Tourn.* impedimenta autem canonica continentur *Tract.* 5. *de pœnit.* Q. 5. *quær.* 11. *Hinc* 2. *num.* 3.

Hinc 1. In Gallia, Germania, Anglia, non tenemur vitare proteſtantes, *Tourn.* quia ſunt tolerati: nec eum, cui aliquid ſub pœna excommunicationis prohibitum, vel præceptum, licet contra faciat, niſi prius per ſententiam ſpecialem, & expreſſam in particulari ſit excommunicatus, ac denunciatus; nec complices ſine nomine excommunicatos; quia non ſunt nominatim, ſed ſolum generice excommunicati, niſi publice fiant notorii, *P. Gerv.* & in Gallia per ſententiam declaratoria; nec eum, qui in conclavi eſt excommunicatus; quia non cenſetur publice denunciatus, *P. Gerv.* nec Clerici percuſſorem, niſi prius denunciatum, *Tourn. P. Gerv.* quia fere ſemper allegando rumoris falſitatem, ebrietatem, ſui defenſionem, inadvertentiam, &c. excuſari poteſt, vel ſaltem non certo conſtat, eſſe excommunicatum; in foro conſcientiæ tamen Clerici percuſſor excommunicationem incurrit 1. *ſi quis*, cujuſcunque ſit conditionis, ſive ſit vir, ſive mulier etiam impuber, rationis tamen compos; etiam efficaciter effectu ſecuto mandantes, conſulentes, conſentientes, vel ſuo nomine factum ratihabentes, vel non impedientes, ſi ex officio teneantur, ut Judices, Superiores, Patres, Tutores, Domini, Pædagogi, Parochi, &c. *Laym. Bonac. & Comm.* auxilium, & favorem præbentes, etiam percuſſo conſentiente; quia juri ſuo cedere nequit 2. *Suadente diabolo*, id eſt mortaliter peccaminoſe. 3. *In Clericum*, vel ſeipſum ira, deſperatione, tædio mortaliter contra charitatem ſibi debitam injurioſe percutiens, vulnerans, vel occidens, *Suar. & alii*; ſecus ſi mortificationis cauſa ſe flagellet, vel ob peccata ſua ab alio flagellari expeteret, vel ob dolorem a morte patris, vel alterius conceptum, capillos ſibi evellat, *P. Gerv.* vel percutiens alium Clericum, etiamſi ſolum pri-

ma

ma Tonſura initiatum, modo non invalide eam acceperit, v. g. ab alieno Præſule eam accipiendo ſine proprii licentia, *Bonac. apud Tourn.* etiamſi ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, degradatus verbaliter tantum, *Nav. Bonac.* vel conjugatus, modo ſit cum virgine in primo matrimonio, & Tonſuram, ac habitum clericalem gerat, *P. Thom. ex Charm.* & alicui Eccleſiæ inſerviat; 4. *Vel Monachum* utriuſque ſexus, etiam laicum, converſum, niſi invalide habitum ſuſceperit, *Bonac. cit.* vel Novitium, etiam Tertiarii Ordinis S. Franciſci, S. Dominici, ſi habitum gerat, & in Communitate vivat, etiam Eremitam, modo ſub aliqua regula, vel Superiore vivat, vel ex voto, vel pacto, aut munere alicui loco ſacro ſub Epiſcopo addictus ſit, *Tourn.* vel etiam ſi ſit Eques S. Joannis, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani in Florentia, ſi ſua certa vota habeant, niſi forte contraria conſuetudine ſit derogatum, *Bonac. apud P. Gerv.* 5. *Manus violentas injecerit* quacunque percuſſione, vel alia actione exteriore mortaliter contumelioſa Clerico, vel ſuis rebus adhærentibus, ſive manu, ſive baculo, ſive gladio, ſive pedibus, pulveris, ſputi, aquæ, luti injectione, Breviarium in alterius Clerici caput projiciendo, licet manu illud declinet, *Pont.* veſtis laceratione, vel crines evellendo, pileum, &c. gravi impetu arripiendo, occidendo per cibum, vel potum veneno infectum, vel ſaltem, ſi venenum incipiat operari; non tamen Monialis gravida ſumens potionem fœtui ſolum mortiferam, *Tourn.* item Clericum incarcerando, vel in privata domo detinendo, cuſtodes apponendo, vel in alio loco violenter retinendo, ex quo ſine dedecore exire nequit; vel ita perſequendo, ut cogatur, ſe præcipitem dare in fluvium, vel foſſam, ſecus ſi caſu fugiendo labatur, niſi alter hoc præviderit, item manus violentas injiciendo in equum, cui Clericus inſedit, feriendo, vulnerando equum, frangendo frœnum, vel equum ſiſtendo, *Tourn.* quia ſaltem reſpectu honoris ſunt gravia; vel etiam plaga dignum puniendo, ſed a non habente poteſtatem, ut a Judice ſæculari, vel modo illicito, v. g. a Prælato per laicum, niſi urgente neceſſitate deficientibus Clericis, *Bonac. Laym. & alii.*

Hinc 2. Excommunicationem non incurrit 1. Clerico brachii,

chii, & pugni tentione, fuſti exhibitione comminatoria ſe oſtendens, ſed actio debet eſſe conſummata, *Tourn.* 2. Nec fur clam furando Clerico, ejus marſupium abſcindendo, vel Cingulum, veſtem dormienti, &c. cum actio fraudolenta non cenſeatur violenta, niſi ipſum detinendo violentia accedat; nec metu verbis duntaxat incuſſo ad dandam pecuniam cogens. 3. Nec ſi ſolum caſu, joco, ut pueri primam Tonſuram habentes inter ſe rixentur, ac ſe invicem percutiant, *Bonac. & alii;* etiam cum modica ſanguinis effuſione e naribus, *apud Tourn.* 2. Nec ſi fiat ad defenſionem ſui ipſius, vitæ ſuæ, honoris capitalis, vel ſuarum rerum, uxoris, parentum, filiorum, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, *Laym. Bonac.* licet ex inadvertentia, vel invite excederet, *Tourn. & alii*; etiamſi fugiendo Clerici inſaniem evitare potuiſſet, ſi ſit perſona gravis, ut Magiſtratus, vel Princeps, cui fugere, vel currere dedecus foret, *Tourn.* nec ſi percutiat Clericum cum ſua uxore, matre, ſorore, vel filia turpiter agentem inventum, vel in loco ſuſpecto ſolum cum ſola, ſi antea rationabiliter ſuſpecti fuerint, & incontinenti fiat, *Suar.* quia acer doloris ſenſus, ſi non a culpa, tamen a cenſura excuſat; non vero ſi eum percutiat tranſacto furoris motu, *Tourn.* nec in remotiori conſanguinitatis gradu, *ibid.* 5. Nec eam incurrit motu primo primi alapam Clerico infligens; in dubio tamen abſolutio petenda ad majorem cautelam, *Tourn.* 6. Nec quotieſcunque actio ratione levitatis, vel imperfectionis libertatis, vel voluntarii, non ſit mortalis; nec ſi Prælatus, pater, præceptor, aut alius, ad quem cura corrigendi pertinet, ſubditum in minoribus corrigendi cauſa moderate percutiat, etiam accedente ira; imo Prælatus, vel præceptor eccleſiaſticus, etiam in majoribus poſitum poteſt caſtigare, de patre dubitatur, id affirmat S. Antoninus, *Bonac. & alii* 7. nec incurrit percutiens realiter degradatum, bigamum, vel ſimpliciter conjugatum, habitum clericalem non gerentem, vel in Gallia etiamſi habitum clericalem geſtet, *Tourn.* quia cenſetur, ſtatum clericalem dereliquiſſe; vel publicum cauponem, macellarium, lanionem, ſcurram, mercatorem poſt ternam admonitionem agentem, vel turbas, aut ſeditionem excitantem, etiam ſine trina admonitione, *Tourn.* vel habitum, & tonſuram clericalem non deferentem poſt tres ab Epiſcopo factas admonitiones diſtinctas; quia omnes

præ-

Digitized by Google

prædicti privilegium clericale perdunt; vel ei renunciaſſe cenſentur; niſi habitum clericalem geſtare non poſſent, ut in Anglia; nec nocte percutiens Clericum, quem non agnovit, nec agnoſcere potuit, ſecus ſi adverteret, ſe æque Clericum percutere poſſe, ac laicum in nocte verberando, *Tourn.* nec eam incurrit deſæviens in Clerici defuncti cadaver illud membratim dilaniando, *Tourn.* quia non eſt vere Clerici percuſſor.

Quær. 4. Quinam ſint effectus excommunicationis majoris, & minoris?

Dico. Excommunicationis majoris effectus per ſe adæquatus eſt totalis privatio communionis Eccleſiæ, partialis vero ſunt ſeptem, videlicet: 1. quoad excommunicatum non toleratum, eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum, *P. Gerv. & alii*; quæ in nomine totius Eccleſiæ fiunt. Non vero iis privatur toleratus, *Conink*, *Nav. P. Gerv. & alii contra Tourn.* quia Concilium Conſt. *in extrav. ad vit.* permittit communicare cum ipſis, etiam in divinis, & ab Eccleſia toleratos chriſtiane ſepelire, & ejus Miniſtri preces pro ipſis etiam nominatim facere ſolent. 2. Quod toleratum, ac non toleratum eſt privatio participationis activæ, & paſſivæ Sacramentorum, id eſt licitæ eorum adminiſtrationis ſub pœna irregularitatis, & receptionis, & privato validæ reſpectu Sacramenti pœnitentiæ a miniſtrate non tolerato, & in recipiente etiam tolerato; quia in adminiſtrante non tolerato deficit Juriſdictio, *P. Gerv. & Communior*; excepto articulo mortis, vel niſi ſuppleat error communis, *Tourn.* & in recipiente tolerato eſſentialis deficit diſpoſitio. 3. Privatio divinorum officiorum, Miſſæ, Officii canonici, Proceſſionis, publicæ Orationis, &c. illiſque aſſiſtens graviter peccat quilibet excommunicatus etiam toleratus, *Tourn. Suar.* tenetur tamen recitare officium privatim, ſi ſit beneficiarius, vel in ſacris, & ſub veniali loco *Dominus vobiſcum*, dicere: *Domine exaudi orationem meam*; quia indicat communicationem cum populo fideli, *Thom. ex Charm.* 4. Inhabilitas ad beneficia eccleſiaſtica, ac dignitates, *Thom. ex Charm.* & officia etiam ſæcularia, *P. Gerv.* 5. Privatio uſus liciti omnis juriſdictionis ſpiritualis, & ſi ſit non toleratus etiam validi ſaltem juriſdictionis propriæ, non vero juriſdictionis alienæ, *P. Gerv. & alii*. 6. Excommunicati non tolerati eſt privatio communicationis cum fidelibus

libus in ſacris ſub mortali, & in civilibus extra caſus a jure exemptos ſub veniali, & inſuper cum ipſis communicantes incurrunt excommunicationem minorem, & aliquando majorem. Caſus autem, in quibus excommunicati non tolerati ſunt vitandi, ſunt quinque in hoc verſu contenti:

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Et quinque ſunt caſus exempti in hoc pariter verſu expreſſi:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

7. Privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ, ſi ſit non toleratus, & debet iterum exhumari, ſi poſſit diſcerni, & locus pollutus reconciliari. Effectus vero excommunicationis minoris ſunt duo, videlicet: 1. privatio participationis paſſivæ Sacramentorum, id eſt licitæ eorum receptionis, non vero adminiſtrationis. 2. Privatio licitæ electionis paſſivæ ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica, propterea tamen non eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda, *Thom. ex Charm. P. Gerv.*

Hinc 1. Graviter peccat *circa ſuffragia* 1. applicans communia Eccleſiæ ſuffragia, ut horas canonicas, Miſſam, nomine Eccleſiæ pro excommunicato non tolerato, *Baſſa*; *& alii*; quia agit contra grave Eccleſiæ præceptum, ac illorum applicatio eſt invalida; quia Eccleſia donationem ſuffragiorum annullat, etiamſi contritione ſit juſtificatus, *Alex. VII. in damn. prop. contr.* quia pœna adhuc durat; valida tamen eſt applicatio fructus Miſſæ, quem habet ut oblata in Perſona Chriſti pro excommunicato non tolerato, *P. Gerv. & alii*; quia ut ſic dependet a Chriſto, & non poteſt ab Eccleſia impediri, quamvis ſit illicita, *ibid.* quia Eccleſia eam prohibet. 2. Publice orans pro excommunicatis vitandis, & incurrit excommunicationem minorem, *Tourn.* quia communicare videtur cum illis, niſi fieret 1. ex ignorantia, vel metu gravi. *ibid.* 2. Feria 6. Paraſceves, *Baſſæ*; quia iſta die Eccleſia permittit, & ipſa pro illis orat ad imitationem Chriſti. 3. Ut perſona privata in Memento, *Tourn.* vel in aliis partibus Miſſæ, vel niſi tantum opus operantis, vel officium divinum quoad propriam ſatisfactionem, & impetrationem privata intentione applicaret, etiam pro non tolerato. *P. Gerv.* quia ut ſic eſt opus privatum non commune Eccleſiæ; nec ſit ipſius nomine.

Hinc

Hinc 2. Graviter peccat *circa Sacramenta* peccato ſacrilegii, & alio peccato inobedientiæ contra cenſuram, 1. excommunicatus Sacramenta recipiens, vel ea adminiſtrans, & fit ſimul irregularis adminiſtrans quæcunque Sacramenta, & recipiens Ordines; in urgenti tamen mortis periculo excommunicatus non toleratus valide, ac licite adminiſtrat Sacramentum pœnitentiæ deficiente non excommunicato, vel etiam Euchariſtiæ, vel extremæ Unctionis, ſi ægrotus pœnitentiæ Sacramentum non poſſet recipere; quia per accidens conferunt primam gratiam; non vero, ſi poſſet abſolvi; quia iſta Sacramenta non ſunt neceſſaria neceſſitate medii, nec præcepti, niſi decenter ſecundum ordinem Eccleſiæ recipi poſſint, *Tourn.* 2. Graviter peccat non excommunicatus adminiſtrans Sacramenta excommunicato tolerato; quia adminiſtrat indigne petenti, niſi occultus publice petat, & adminiſtrans non tolerato ſimul excommunicationem minorem, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ; Clericus vero cum excommunicatis a Papa in divinis communicans, majorem a Papa reſervatam incurrit, *Cap. de ſent. excom.* & ab excommunicato vitando Sacramenta accipiens incurrit minorem, *Tourn.* quia cum eo participat; niſi juſta ratio, ut ad vitandum ſcandalum, infamiam, jacturam bonorum, vel ignorantia juris, vel facti, &c. inadvertentia, oblivio, &c. petentes, vel adminiſtrantes excuſet, *Baſſa. & alii*; quia leges Eccleſiæ non obligant cum tanto incommodo, Sacramenta tamen valide recipit excepta pœnitentia; quia ei deeſt eſſentialis diſpoſitio, niſi adſit ignorantia invincibilis, *Bonac. Baſſa. & alii.*

Hinc 3. *Aſſiſtendo divinis* graviter peccat excommunicatus, etiam toleratus aſſiſtens Miſſæ, officio canonico, proceſſioni, orationi publicæ, benedictioni candelarum, cinerum, palmarum, olei ſacri, &c. & cum eo communicans, ſi ſit vitandus monendus eſt, ut exeat, & ſi noluerit, novam incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, *Thom. ex Charm.* & eſt expellendus; ſi vero ſine gravioris mali periculo non poſſit expelli, adſtantes tenentur exire ſub mortali, & celebrans ab Altari recedere, etiam in die Feſto, ſi Canonem nondum inceperit; ſi inceperit, cum uno Miniſtro pergere debet uſque peracta communione, & reliqua in Sacriſtia, vel alio loco decenti abſolvere, celebrans coram ipſo, præter excommunicatio-

tionem minorem incurrit interdictum Eccleſiæ, *Bonac. & com.* & ſi ſit a Papa excommunicatus, majorem Papæ reſervatam incurrit, *Tourn.* non tamen ſit irregularis, *P. Gerv.* bene autem ſit irregularis Sacerdos excommunicatus jubens, vel ſua auctoritate procurans, ut Miſſa, vel alia officia coram ſe celebrentur, *Tourn.* quia idem eſt, ac ſi ipſe celebraret, vel divina publice faceret: poteſt tamen excommunicatus non toleratus admitti ad concionem audiendam, vel lectionem Sacræ Scripturæ, vel Theologiæ, *Baſſa*; quia inſerviunt ad illius converſionem; nec peccant alii, ſi tantum tranſeat per Eccleſiam, vel breviter, aut omnino privatim oraret, v. g. *Angelus Domini*, dum alii orant, licet in eodem loco, *Tourn.* vel aliam Miſſam, quam ipſi, audiret, *Baſſa*, *Tourn.* quia non cenſentur cum ipſo communicare: poteſt etiam uti Aqua benedicta, non ut orationibus Eccleſiæ fruatur, ſed ut ad pœnitentiam ſe excitet, *Tourn.* & Capellanus, vel famulus, qui antea ſolitus erat orare cum Domino, adhuc poteſt poſt excommunicationem, *Baſſa*, *Coninck*, *Nav. & alii*; nec peccat mortaliter, recitans cum eo officium B. V. M. quia eſt materia levis, *P. Gerv.* non vero poteſt in die Feſto audire Miſſam; ſi vero penes ipſum ſtet, abſolvi, quamvis non peccet, ſaltem præciſe ratione omiſſionis, *Tournely*; quia tenentur illam omittere, peccat tamen, ſi eo fine abſolvi non curet, *P. Gerv.* vel alia ratione non ſufficiente negligat, *Tournely*; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Hinc 4. *Circa beneficia, & officia ſuſcipienda*, 1. excommunicatus ipſo jure etiam toleratus, & occultus (*Tourn.*) invalide eligitur, poſtulatur, litteras pro beneficio vacaturo obtinet, inſtituitur, confirmatur, beneficium ei confertur, reſignatur, & in excommunicatione obtentum invalide reſignat, & permutat, nec obtenta abſolutione convaleſcunt, *Tourn.* quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*, *Reg. Jur.* 18. *in* 6. ſed obtenta legitima abſolutione, ac diſpenſatione renovari debent; ſic tempore nominationis cenſura irretitus, & ab ea ante inſtitutionem abſolutus, invalide inſtituitur, niſi rehabilitatus de novo nominetur; quia prior fuit invalida, & abſolutione non convaleſcit; manet tamen valida præſentatio non cenſurato facta, qui tempore collationis fuit excommunicatus, *Tourn*, quia cenſura ſubſequens

quens

quens non reddit præſentationem antea factam invalidam, & excommunicatus toleratus beneficium legitime poſſeſſum valide reſignat, & aliud confert, quia licet reſpectu ſui, non vero reſpectu aliorum ſuſpenſus eſt, *Tourn.* in juriſdictione adhuc gaudet. 2. Excommunicatus etiam toleratus invalide promovetur ad dignitates, & officia, etiam ſæcularia, *P. Gerv.* non videtur tamen vigere in Gallia; nec valet collatio etiamſi excommunicatio invinciliter ignoretur; quia licet excuſet a culpa, non tamen defectum ſupplet, *Leſſ. Baſſa, Tourn.* hic tamen poſſet diſpenſari ſine nova præſentatione, vel collatione, *Sanch.*, *& alii apud Baſſa*; ſecurius tamen renovatur: ſi autem Papa conferret beneficium, vel dignitatem excommunicato, valida eſſet collatio, ſive ſciat cenſuram, quia tunc conferendo ſcienter inhabili diſpenſare cenſetur, ſive ignoret; quia in proviſionibus pro cautela apponere ſolet clauſulam abſolutionis, *apud Tourn.* non tamen prodeſt irregulari, nec excommunicatis ab homine, *Pont.* & ſi non curet abſolvi, poteſt *viſa* ab Ordinario negari, *Gibert.* non tamen privatur excommunicatus etiam non toleratus beneficio legitime antea obtento, *Tourn.* quia nullum jus eum ſpolians extat; nec fructibus illius, *Sanch. Tourn. & alii*; quia uſus præcipue in Gallia ita invaluit; poteſt tamen privari, ſi per annum negligat obtinere abſolutionem, *Thom. ex Charm.* & ſi in cenſura obdureſcens privetur, portionem ſuſtentationi neceſſariam ei permittit pia Mater Eccleſia; non poteſt tamen in tribunali juſtitiæ etiam ſæcularis functiones judicis, advocati, actoris, teſtis, tutoris, &c. exercere, niſi uſualiter eſſet receptum; quia non toleratus privatur juriſdictione, ac communione fidelium.

Hinc 5. Circa beneficia conferenda, 1. excommunicatus non licite, & ſi ſit non toleratus, nec poteſt valide conferre beneficia, *Cap. 6. de conceſſ. præb.* nec inſtituere, confirmare; quia coincidunt cum collatione, *Tourn.* nec præſentare ratione patronatus Eccleſiaſtici; quia eſt ſuſpenſus a beneficio & honoribus beneficii, inter quos computatur Jus clericale præſentandi, *Tourn.* ſecus ſi patronatus ſit laici, cujus præſentatio etiam non tolerati, eſt valida, *Tourn. & alii*; quia non eſt actus poteſtatis eccleſiaſticæ, ſed fructus patrimonii; poſſet tamen recuſari ab inſtituente; quia non tenetur communicare cum ex-

com-

communicato etiam tolerato, *Tourn.* hoc tamen locum non habet in Gallia, *Ferriere.* 2. Non poteſt eligere, niſi eſſet electio SS. Pontificis a Cardinalibus, quæ valida eſt ſive electus, ſive electores cenſura ligati ſint, *Clem. V.* etiam eſt valida electio, ad quam excommunicatus cum aliis invitis, vel ignorantibus concurit, vel etiam ſcientibus, modo illius ſuffragium ſuperfluum ſit, *Tourn.* quia utile per inutile non vitiatur, niſi aliter in jure habeatur. 3. Nec vitandus, poteſt valide reſignare in favorem; quia æquivalet præſentationi, *Tourn. Suar.* bene autem valida eſt reſignatio ſimplex beneficii legitime acquiſiti, *ibid. com.* 4. Nec poteſt valide condere leges, aut ferre ſententiam; poteſt tamen valide, quæ ſunt juriſdictionis non propriæ, ut aſſiſtere matrimonio, vel ad hoc alteri dare licentiam; adminiſtrare Sacramenta, excepta pœnitentia; inire contractus; condere teſtamentum; inſtitui hæres, modo non fiant tanquam a perſona publica vi officii, & non manſerit per annum contumax in hæreſi accedente ſententia declaratoria, *Baſſæ*; vel teſtamentum non fiat a percuſſore Cardinalis, vel ab excommunicato propter hæreſim, *Tourn.* hæc tamen reſtrictio quoad hæreſim non viget in Gallia, *ibid.* etiam valide fit teſtamentum a tabellione vitando, *ibid. Suar.* quia nullam, vel non eccleſiaſticam ſupponunt juriſdictionem; & licet jure communi excommunicatus vitandus omni actu ad judicium pertinente tam in foro civili, quam eccleſiaſtico privatus ſit, non tamen viget in Gallia, & poteſt eſſe valide Judex, actor, advocatus, teſtis, tabellio, procurator, *Tourn.* quia pœna eccleſiaſtica iis tantum privat, quæ ab Eccleſia pendent; juriſdictio autem temporalis ab ea non dependet; poſſunt etiam in foro Eccleſiæ ſe, ſuamque Eccleſiam defendere, non tamen accuſare, a quo accuſati ſunt; poſſunt appellare & appellationem proſequi, uti exemptione; quia ipſis legitima defenſio permiſſa eſt: etiam alii contractus ab homine vitando facti validi ſunt, quia nullo jure irritantur, *Tourn.*

Hinc 6. Communicando cum excommunicatis, 1. graviter peccat communicans cum excommunicato non tolerato in divinis, ut oratione publice cum eo nomine Eccleſiæ orans, Sacramenta ab eo abſque graviſſima neceſſitate, vel mortis periculo petens, vel Sacramenta coram eo adminiſtrans, vel in aliis divinis communicans, de quibus ſu-

pra. 2. Venialiter ſaltem peccat communicans cum excommunicato non tolerato in civilibus, ut colloquiis, amicitiis, oſculis, muneribus, litteris, nutibus, ſalutatione, ſaltem honorifica verbo facta, nutu, amplexu, detegendo caput, ſurgendo, locum cedendo; reſalutatio tamen videtur licita, *Tourn.* quia eſt officium juſtitiæ, & reſponſio ad epiſtolam, *Henriq. & aliis* item venialiter peccat ſine neceſſitate contractus ineundo emptione, venditione, cohabitatione, cooperatione, in itinere aſſociatione, &c. in menſa ſumendo cum eo cibum, vel potum per modum ſocietatis; ſecus ſi iter faciendo in eodem hoſpitio convenirent, & quilibet ſuum particularem haberet cibum: & mortaliter peccat per accidens ratione ſcandali, vel contemptus, ſi prædicta nimis frequenter fiant, vel in crimine crimino ſo. 3. Incurrunt communicantes cum non tolerato etiam in civilibus excommunicationem minorem, & aliquando majorem, nempe 1. ſi communicent in crimine crimino ſo, id eſt in eodem crimine, quo contracta fuit excommunicatio, conſilium, auxilium, favorem præbendo. 2. Sepeliendo non toleratum in loco ſacro. 3. Eum admittendo ad divina officia, ſcienter coram illo celebrando, *ita in Jure.* 4. Clericus admittens excommunicatum a Papa ad divina officia incurrit majorem, Papæ reſervatam, *Cap. ſignificavit de ſent. excomm. apud Tourn.* tenetur quoque excommunicatus toleratus communionem aliorum, quantum poteſt, tam in civilibus, quam divinis vitare, *Tourn.* quia Eccleſia eos in civilibus tolerans, non ipſis, ſed Catholicis favere intendit; & fideles, ſi excommunicatio iis certo conſtet, etiam toleratum privatim evitare debent, *Tourn.* ſaltem Jure naturali, ſi hoc medio rubore affecti converſionem ſperent; quia tunc lex charitatis obligat, niſi obſtet alia ratio excuſans. Excommunicatus tamen vitandus in uno loco, non eſt publice vitandus in alio, niſi facta ibi publica denunciatione; ſi vero per ſententiam denunciatus occulte ſciatur, ab iis, qui ſciunt, occulte vitandus eſt, vitandus vero notoreitate facti ſolum in uno loco, ut percuſſor Clerici, nec occulte eſt vitandus in alio; quia notoreitas facti locum, notoreitas vero juris perſonam afficit, *P. Gerv.* licet tamen communicare cum excommunicato vitando, & a fortiori cum tolerato, 1. ob utilitatem veram, & notabilem ſpiritualem, aut corporalem propriam, vel ipſius excommuni-

municati, ut eum exhortari ad reſipiſcentiam, conſilium, vel auxilium neceſſarium, medicinam, reſtitutionem, debitum, &c. petere, & dare; non vero novos contractus inire, quamvis ſint validi. 2. Ex lege, v. g. matrimonii cohabitare cum viro excommunicato, petere, ac reddere debitum, gubernare familiam, invigilare educationi prolis, uti menſa communi, niſi factum eſſet divortium, vel excommunicatio eſſet lata ob matrimonium male celebratum, vel communicaret in crimine criminoſo. 3. Ex neceſſitate ſubjectionis, ac reverentiæ, ut filii, etiam adoptivi, & illegitimi erga parentes, famuli, & mancipia, nec non ruſtici ſervientes dominis, uxores erga maritos, nurus, & gener cohabitantes, nepotes, & pronepotes, vel in eodem genere affinis, *P. Gerv.* etiam in divinis quoad ea, quæ concernunt ſuum famulatum, & dominus poteſt communicare cum ſervo excommunicato; debet tamen procurare, ut reſipiſcat, vel eum repellere, *Tourn.* ſic poteſt ſervus cum domino recitare officium, audire Miſſam, *Caſp. Baſſa*; non vero facienti Miſſam inſervire, *Tourn.* quia eſſet proxime cooperari actioni ſacrilegæ; nec Religioſus ſuo Superiori, modo certo conſtet de actione ſacrilega. 4. Ob ignorantiam juris, vel facti invincibilem; non vero ob graſſam, aut affectatam, *Tourn.* nec in dubio vitandus, licet certa ſit excommunicatio, & dubia illius denunciatio, niſi ratione ſcandali, vel periculi Sacramenti pœnitentiæ invalide recipiendi, *Tourn.* vel ſi certa eſſet excommunicatio, & denunciatio, & dubia illius abſolutio; quia præſumptio eſt pro illo vitando. 5. Ex neceſſitate gravi, non tamen extrema ſpirituali, vel temporali propria, vel excommunicati, vel cujus cura ex præcepto, vel conſilio incumbit, *Tourn.* ſic licet Religioſis petere eleemoſynam ab excommunicato, illum recipere hoſpitio, mercatores, artifices in neceſſitate accedere, neceſſaria emere, equum pro itinere conducere, &c. *P. Gerv. Baſſa*; vel metu bonorum, &c. famæ, &c. cum illis communicare licet, *Tourn.*

Hinc 7. Sepeliendo, graviter peccant, & excommunicationem majorem incurrunt non toleratum in loco ſacro ſepelientes ſaltem propriis manibus, *P. Gerv.* vel etiam id fieri jubentes, aut procurantes, *Tourn.* & polluitur Eccleſia, debetque exhumari, ſi poſſit diſcerni; ſi autem ſigna doloris ante mortem dederit, debet etiam mortuus

 ab

ab excommunicatione abſolvi, & eccleſiaſtica ſepultura donari, *Tourn. ex Charm.* & ſi jam ſit ſepultus, non debet exhumari, ſed petita licentia abſolvi, *Tourn.* non polluitur Eccleſia, nec cœmeterium ſepultura hæretici, *Tourn. P. Gerv.* quia eſt excommunicatus toleratus, cujus ſepultura non polluitur; bene tamen in Germania Epiſcopi eam prohibent, *P. Gerv.*

Hinc 8. Circa excommunicationem minorem, 1. graviter peccat ligatus excommunicatione minore Sacramenta recipiens, vel Sacerdos celebrans; quia non poteſt celebrare, quin Sacramentum recipiat, non tamen ſit irregularis, *Thom. ex Charm. & alii*; 2. Adminiſtrando alia Sacramenta ſaltem venialiter peccat, *Tourn.* quia indecens eſt. 3. Non poteſt eligi, bene autem eligere; ipſius tamen electio non eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda, *Thom. ex Charm.*

Quar. 5. *A quonam monitoria concedenda ſint?*

Reſp. Prænot. Monitorium eſt mandatum Judicis eccleſiaſtici, quo ſub pœna excommunicationis poſt trinam monitionem incurrendæ jubet, revelari auctores criminis Reipublicæ pernicioſi, vel gravioris damni proximo illati. Monitoria alia ſunt extrajudicialia quæ ſine Judicis ſæcularis interventu ab Epiſcopo, vel ejus Vicario conceduntur. Alia judicialia, quæ interveniente, vel compellente Judice ſæculari ab Officiali decernuntur. Hoc notato.

Dico. Solus Epiſcopus facultatem habet juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 3. concedendi monitoria, ac illius Vicarius, aut Officialis, *Conc. Rhot. Rhem. Tourn.* quia idem cum ipſo conſtituunt tribunal; & juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, & Vicarius Capituli ſede vacante; non vero Capitulum per ſeipſum, *Pont. Tourn.* & quidem ex officio ob urgentem Diœceſis neceſſitatem, vel bonum publicum, *Edict.* 1646. 16. *Martii*; & licet juxta Concilium Trid. monitoria ad nullius ſæcularis, etiam Magiſtratus inſtantiam concedi deberent, in Gallia tamen uſus obtinuit, ut in materia criminali ad inſtantiam Procuratoris Regii, vel etiam obſignationem bonorum temporalium (gallice *ſaiſie*) Officialis poſſit cogi ad ea concedenda pro criminibus gravibus, ac ſcandalis publicis, quando aliter probari nequeunt, *Edict. Reg.* 1670. *tit.* 7. *art.* 2. nec propterea irregularitatem incurrit,

currit, ſi ex monitorii revelatione reum capite puniri contingat; quia cauſa eſt duntaxat remota, & fit Judice ſæculari cogente, & Eccleſia permittente, & ipſa practicante; cum degradatum tradat morte afficiendum ſciens. Poſſunt monitoria extrajudicialia ab Epiſcopo, vel illius Vicario decerni ſine Judicis ſæcularis licentia in materia mere eccleſiaſtica, & rebus perditis; quia màteria mere eccleſiaſtica ad illius forum ſpectat, & pro rebus perditis inutiliter ad Judicem ſæcularem recurreretur, cum damnum difficile probari poſſit, *Tourn.* judicialia vero diſcernuntur interveniente; vel cogente Judice ſæculari per obſignationem bonorum temporalium ab Officiali, niſi eſſet contra ſuos conſanguineos, vel affines uſque in quartum gradum incluſive, *Tourn.* quia tunc alius Officialis ad hoc ab Epiſcopo, vel illius Vicario inſtitui debet, *Tourn.*

Quær. 6. *Quandonam monitoria concedenda ſint?*

Dico. Monitoria non ſunt concedenda, niſi 1. pro criminibus pernicioſis, ac gravioris damni, ſcandalis publicis, *Edict. Reg.* 1695. non pro injuriis, quæ homini crimen admittenti fuerunt inuſtæ; aut quorum reparatio diu fuit neglecta; quia reparatio injuriæ vocalis uno anno præſcribitur. 2. In Gallia non niſi pro bonis mobilibus, in genere tamen ſine determinatione perſonæ, ac bonorum; excommunicari tamen poſſunt diebus Dominicis, qui bona aliena retinent, licet immobilia ſint, *Tourn.* 3. Non niſi in rebus magni momenti, uti cenſetur ſumma 20. aureorum, *Conc. Avenionenſe*. 4. Ut perſonæ accuſatæ non nominatim, nec indiciis, ut vultus, capillorum, &c. deſignentur; quia haberetur pro libello diffamatorio, niſi ſine prædictis indiciis prodeſſe non poſſit, *Gibert.* 5. Non niſi in favorem membrorum Eccleſiæ, non vero pro hæreticis, niſi ſub nomine Procuratoris Regii fiat: nec pro excommunicatis denunciatis, vel peccatoribus publicis; his tamen de facto conveniente ſæculari tribunali conceduntur. 6. Nec in Gallia monitoria a Papa recipiuntur, ſed ut abuſiva rejiciuntur; quia nocent juriſdictioni Ordinarii, ac ſubditos interveniente appellatione extra Regnum trahunt, *Tourn.*

Hinc: graviter peccant 1. levibus de cauſis monitoria petentes, vel ſimulata prætexentes damna illa obtinentes; Judices levibus de cauſis ea poſtulari permittentes, vel

vel in his circumſtantiis, vel ob injurias ſolum verbales ea decernentes, *Conc. Senon.* quia potius bonorum ſuorum obſignationem pati, vel ad ſuperiorem Judicem tanquam de abuſu rem provocare deberent; niſi eſſent convicia atrocia, ut contra honorem, vel famam Epiſcopi, Sacerdotis, Magiſtratus; quia ſimul adverſantur bono publico, vel ſi eſſent libelli famoſi, vel infame crimen mulieri intactæ famæ palam objectum, *Tourn.* prout etiam ſunt columbarum, aut gallinæ occiſores, *Tourn. Pont.* 2. Peccant pro gravitate rei monitoria concedentes, quando aliis modis crimen detegi poſſet, vel inania fore præſumuntur, ut contra eum, quem pro rebus in monitorio expreſſis ſatisfacere non poſſe, vel in loco, ubi veriſimiliter contemni, vel negligi conſtat, *Conc. Mediol.* 12. vel defectu teſtium, puta, quia de rebus diu perditis agitur, vel de crimine coram iis commiſſo, quia a revelando ſunt immunes, ut a filiis coram parentibus, &c.; aliquando tamen eorum teſtimonium admittitur, quando agitur de crimine in domus penetralibus commiſſo, *Tourn.*

Quær. 7. Quinam vi monitorii aliquid revelare, vel non revelare teneantur?

Dico. Omnes Diæceſani Epiſcopo monitorium concedenti ſubjecti poſt primam monitionem ſtricte revelare tenentur, ſi facti, ac monitorii notitiam habeant, niſi a revelando, vel legitima cauſa a ſtatim facienda eximantur; quia Eccleſiæ in materia gravi præcipienti quilibet, quamprimum poteſt, parere tenetur, & ſæpe ex ejus delatione grave conquerentis damnum ſequitur, ut ſumptus majores, rei ablatæ translatio, ſontis fuga; & in monitoriis ad commune Religionis, vel Regni bonum ſpectantibus nemo a revelando eximitur; quia juxta axioma: *ſalus populi ſuprema lex eſto*; & *contra hoſtes publicos, & majeſtatis reos omnis homo miles;* niſi eſſent ſceleris auctores, aut participes, etiamſi addita ſit clauſula nemine dempto: quia natura abhorret, ut quis ſeipſum revelet. Præterea a revelatione eximuntur, qui revelare non poſſunt, 1. abſque aliqua ſui diffamatione. 2. Sine gravi detrimento. 3. Sine ſecreti naturalis violatione. 4. Si ex eorum revelatione nulla exoriatur utilitas. 5. Uno verbo, quibus ſub mortali præcipi nequit revelatio, *Tourn.* quia Eccleſia non intendit obligare ad procurandum

Digitized by Google

dum alienum bonum cum gravi proprii boni diſpendio, & cum juris naturalis violatione: non revelans autem ſine juſta cauſa intra tempus in monitorio præſcriptum præter mortale excommunicationem, Superiori monitorium decernenti, reſervatam, incurrit, niſi ſub comminatione duntaxat excommunicationis eſſet publicatum, prout fieri ſolet in Diœceſi Argentinenſi; quia tunc, licet peccet contra obedientiam, excommunicationem non incurrit, niſi lata excommunicationis ſententia; & elapſo termino adhuc revelare tenetur, quamdiu revelationem utilem fore conjicere poteſt; quia terminus non ad finiendam, ſed urgendam revelationis obligationem fuit appoſitus, & tenetur ad reſtitutionem damni ex ſuo ſilentio ſecuti; quia agit contra jus per præceptum Eccleſiæ a conquerente acquiſitum, vi cujus omnes teſtimonio pro damno reparando opem ferre tenentur, ac proinde non ſolum contra charitatem, ſed contra juſtitiam alteri debitam agit.

Hinc: non obligantur per monitorium, 1. infideles, judæi, cathecumeni; quia Eccleſiæ non ſunt ſubditi. 2. Amentes, infantes ante annos rationis, quia obedientiæ ſunt incapaces; nec excommunicationi ſubjacent ante pubertatem; bene autem obligantur degentes in alia Parochia, in qua non fuit facta promulgatio, modo ſit ejuſdem Diœceſis, *Tourn.* quia fertur non a Parrocho, ſed ab Epiſcopo, qui in omnes ſuæ Diœceſis juriſdictionem habet; etiam Religioſi, licet de nulla ſint Parochia; quia quoad cenſuras Epiſcopo ſubmittuntur, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *de reg. cap.* 12. 3. Non obligantur viatores per Diœceſim pleno ductu tranſeuntes; quia non ſubjacent legibus affirmativis, & nimis ipſius eſſet oneroſum, ſi propterea iter interrumpere deberent; *vid. P. I. pag.* 46. *Hinc. num.* 2. nec qui de, & in aliena ſunt Diœceſi, licet vicina; quia non ſunt ſubditi; obligantur tamen Jure naturali ad revelationem, *Tourn.* etiam vi monitorii obligantur, qui pro negotiis in eo ſunt territorio, licet nullo domicilio, vel quaſi domicilio contracto; quia ibi ſunt Diœceſani ſaltem pro Sacramentis, abſtinentia, jejunio, & feſtis, ac proinde etiam pro monitorio ipſis in Diœceſi exiſtentibus lato, non vero antea promulgato, quia fertur per modum imperii, & ſolum afficit præſentes; ob eandem rationem tenentur ad revelationem, qui poſt inchoatam monitorii

promulgationem ex propria Diœceſi exire: non vero obligatur, qui antea exivit, & elapſo termino rediit, licet alibi figendi domicilium animum non habuerit, modo abſit fraus; ſi vero redeat ante elapſum terminum, ſtatim obligatur; quia eſt ſubditus, *Pont. apud Tourn.* 4. Non tenentur ſceleris auctores, vel participes, nec in materia civili, etiam addita clauſula, nemine dempto; ſed ſufficit, ut ſatisfaciant reſtituendo, v. g. inſtrumenta, titulos per monitorium petitos, &c. quia nemo teſtimonium ferre tenetur adverſus ſeipſum, nec ſuos ſocios manifeſtare vi monitorii, bene autem a Judice legitime interrogati, *Tourn.* & ſub excommunicatione reſtituere, ſi contra non reſtituentes, & non revelantes ſit lata. 5. Non obligantur parentes contra infantes, uxor contra maritum, & viciſſim, niſi agatur de hæreſis diſſeminatione, proditione Regni, vel Regis, morte nondum ſecuta; quia bonum commune id exigit; nec contra affines, & conſanguineos uſque in quartum gradum incluſive in linea collaterali, & in directa ad conſanguineos uſque in infinitum, *Tourn.* quia infamia unius cadit in alium, & ob odia vix ſtaret humana ſocietas; non vero eximuntur affines ſpirituales in baptiſmo, ac confirmatione, *Tourn.* nec ſi nullum ex revelatione ſequeretur incommodum, ſic pater ſciens, filium propriæ uxoris abſtuliſſe annulos, ac lapides pretioſos, non tenetur revelare, bene autem, ſi conſtet, filium incunctanter probare poſſe, rem innocenter eſſe factam; nec maritus ſub excommunicatione reſtituere; ſi uxor eſt conquerens, *Tourn.* quia non præſumitur intendere diffamationem, vel excommunicationem proprii mariti, nec Judicem ultra illius intentionem obligare, niſi rationabiliter aliter præſumatur, vel conſtet, licet Jure naturali reſtituere obligetur. 6. Eximuntur domeſtici contra heros, *Tourn.* quia ſine gravi ſui incommodo, & familiarum perturbatione revelare nequeunt, niſi aſſignentur coram Judice, tunc juridice interrogati vera loqui debent, vel ſi agatur de crimine exempto, puta hæreſi, patriæ proditione, vel ſi ageretur de crimine, cujus notitia aliunde haberi nequit, ut ſi maritus uxorem ſtrenue percuſſerit, vel occiderit, vel ſupellectilia hæreditatis clam abſtulerit, vel ſine ullo ſuo incommodo, quod rarum eſt, revelare poſſent, *Pont. apud Tourn.* 7. Eximuntur, qui conſilii cauſa ſciunt, ut Advocati, Notarii, Procuratores, Sollicitatores,

res, Conſulti, Medici, Pharmacopolæ, Obſtetrices, Chirurgi, fidus amicus, vel qui ſub ſecreto expreſſe, vel implicite promiſſum ſine peccato revelare nequeunt, niſi alia via ſciant, vel ut S. Thomas ait, ſi crimen in corruptelam cedat multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel grave damnum tertii; quia tunc non obligat ſecretum naturale; ſic tenetur quis revelare, ſi ageretur de matrimonio invalide contrahendo, de occultatione amici creditoribus ſuis decoquentis (*banqueroutier*) & magnam pecuniæ ſummam ſubtrahentis, *Pont.* quia ex matrimonio invalido graviſſima mala, ex decoctoris occultatione maxima creditoribus damna ſequuntur. 8. Eximuntur Clerici in cauſis criminalibus, præcipue capitalibus, niſi bonum commune exigat, ut hæreſis promulgatio, crimen læſæ Majeſtatis, &c. *Tourn.* quia Clerici in Gallia in cauſa ſanguinis licite ſine irregularitatis periculo teſtimonium ferunt, cum remote tantum, & Judice ſæculari cogente concurrant, ac proinde etiam facilius id poſſunt in caſibus prædictis, Eccleſia monitoria decernente. 9. Eximuntur; quorum revelatio eſt inanis, ſic qui ſolus novit homicidium, non tenetur, nec poteſt revelare, ſed debet prius auctorem monere, ſi ſit ſpes emendationis, ut damnum reparet, vel ſi nequeat, debitum ſecurum reddat, *Tourn.* quia videtur intentioni monitorii ſatisfactum; non tamen excuſatur, qui novit multos, rem jam denunciaſſe; quia propterea non eſt inutilis, cum ſæpe probationes, quæ videbantur invictæ, eluduntur, & Eccleſiæ eſt parendum.

Nec tenetur, ſi ille, a quo ſolum audivit, jam annunciaverit, vel ſi in plateis ab ignotis, nec fide dignis audiverit, quia nullam in judicio fidem faceret; nec revelare filium hæretici e paterna domo fugitivum, vel eum retinentem Religionis amplectendæ gratia; quia monitorium ſolum ligat, revelare injuſte fugientem, vel retinentem; qualis iſte non cenſetur, *Pont.* nec quem ſcit bona abſtracta juſto titulo poſſidere, ut juſtæ præſcriptionis, vel compenſationis occcultæ: vel phyſica, aut morali laborare reſtituendi impotentia: non reſtituens tamen incurreret excommunicationem, ſi promulgato, & cognito monitorio ſponte ſe in talem conjeciſſet impotentiam, vel ad meliorem ſtatum rediens non reſtituat; niſi, qui eam tulit, fato functus, vel depoſitus ſit, *Tourn.* quia, cum ſit ab homine, cum eo extinguitur, nec tenetur revelare,

re, qui injuriam paſſus eſt, ſi monitorium ab alio, v. g. amico pro ipſo fuerit obtentum; quia poteſt injuriam condonare, niſi publicus criminis vindex pro cohibitione criminis ex officio illud promulgaſſet, vel a parentibus, aut conſanguineis pro famæ reparatione fuiſſet petitum; quia tunc, licet juri ſuo, non vero parentum, vel boni communis, renunciare poteſt; in aliis dubiis conſulendus eſt prudens Confeſſarius, & Confeſſarius dubitans conſulet Epiſcopum. 10. Eximuntur ſaltem a revelatione ſtatim facienda, 1. gravibus negotiis propriis alio tractus. 2. Grave ex præcipitata revelatione detrimentum timens. 3. De obligatione revelandi dubitans, & conſilii petendi gratia differens. 4. Sperans, partes invicem ſalubribus ſuis conſiliis, ac correctione fraterna reconciliandas ſore: Parochus tamen illius promulgationem propria auctoritate non differat, etiamſi damni auctor in confeſſione, ad ſatisfactionem ſe paratum eſſe, aſſeruerit, *Tourn.* quia poſſet cedere in grave conquerentis præjudicium. Si vero certo obreptitie eſſe obtentum deprehendat, Officiali veritatem demonſtret; nec præcipuis ſolemnitatibus, ut Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque ſolemnioribus illud promulget, *Conc. Med. IV.* quia æquum non eſt, ſanctam ſolemniorum lætitiam pœnarum ſtrepitu turbari.

QUÆSTIO III.

DE SUSPENSIONE.

Quæritur 1. Quid, & quotuplex ſit Suſpenſio?

Reſp. 1. Suſpenſio eſt cenſura, qua Clericus privatur uſu eccleſiaſtici officii, vel beneficii, vel utriuſque ſimul in perpetuum, vel ad tempus. Unde alia eſt totalis, qua Clericus privatur uſu utriuſque, officii, & beneficii. Alia partialis, nempe tantum ab Ordine, qua Clericus privatur licito uſu ſui, vel ſuorum Ordinum; vel tantum a juriſdictione, qua Clericus privatur licito uſu juriſdictionis, non tamen valido, niſi ſit nominatim denunciatus, & non toleratus; vel ab officio, qua Clericus

cus privatur uſu Ordinis, & juriſdictionis; quia ambo ad officium pertinent; vel a beneficio, qua Clericus privatur fructibus temporalibus ſui beneficii, quos proinde adminiſtrare non poteſt, hæc tamen in Gallia non viget; quia non niſi depoſitus, ac ſpoliatus titulo beneficii fructibus illius a Judice eccleſiaſtico privari poteſt, *Thom. ex Charm.* Alia eſt pœnalis, quæ imponitur in pœnam delicti commiſſi, & mere præteriti, & ordinarie cum præfixione certi temporis, vel in perpetuum, vel donec ſatisfecerit, vel Judici placuerit. Alia medicinalis, quæ fertur in medicinam pro cavendo lapſu, vel ut reſipiſcat a contumacia, & ſit ordinarie ſine præfixo tempore. Pœnalis alia eſt perpetua, quæ non exſpirat cum certo tempore. Alia temporalis, quæ durat ad certum tempus.

Quær. 2. Quinam ſint effectus Suſpenſionis?

Dico. Effectus ſuſpenſionis ſunt per ſe, privatio uſus Ordinis, vel officii, vel beneficii, aut horum omnium ſimul. Suſpenſio abſolute, ac indefinite lata cenſetur totalis ab Ordine, officio, & beneficio, *Tourn.* quia locutio indefinita æquivalet univerſali. Determinata vero intelligitur duntaxat de eo, quod diſtincte exprimit, vel neceſſario in eo includitur, *Cap. de Crap. de vit. & honeſt. Cler.* Effectus per accidens, ac pœnæ ſuſpenſionis violatæ ſunt quatuor, I. ſuſpenſionem quamcunque violans, vel cum aliis in quo ſuſpenſus eſt ſolemniter communicans, peccat graviter, niſi a mortali levitas materiæ excuſet, *Tour.* quia in re gravi agit contra præceptuum Eccleſiæ: non vero peccat, ſaltem contra Jus eccleſiaſticum, participans cum ſuſpenſo tolerato; bene vero participans cum publice denunciato in actibus, a quibus ſuſpenſus eſt; quia ideo denunciatur a Judice, præcipue in ſequentibus, 1. in actibus juriſdictionis; quia ſunt invalidi. 2. Extra neceſſitatem eum inducendo ad actum ei mortaliter prohibitum. 3. Ei in actu graviter prohibito cooperando; quia in utroque graviter agit contra mentem Eccleſiæ; non vero peccat cum ſuſpenſo, etiam publice denunciato in aliis actibus humanis participans; quia Eccleſia hanc participationem cum excommunicatis non toleratis ſub veniali ſolum, non vero cum ſuſpenſis prohibet. II. ſolemniter exercens Ordinem ſacrum, a quo ſuſpenſus eſt, vel non ſacrum vi Ordinis, irregularitatem incurrit, *Cap. 1. de ſent. excom. in 6.* etiamſi ſuſpenſio eſſet ad tempus, ac mera pœna,

Cap.

Digitized by Google

Cap. cit. & cap. 1. de re jud. in 6. Suar. Bonac. Pont. apud Tourn. quamvis ſecundum hodiernam Eccleſiæ praxim in minoribus conſtituti ſuſpenſionem, ab exercitio ſui Ordinis non ſoleant incurrere, nec ſoleant minores vi Ordinis; ſed etiam a ſæcularibus exerceri, *apud Tourn.* III. ſuſpenſus ab officio, vel beneficio novum acquirens beneficium graviter peccat; quia ad beneficia eſt inhabilis, *Cap. cum delict. de conſuet.* & ſi ſimul a novo poſſidendo eſſet ſuſpenſus, invalida eſt illius collatio; ſi vero ſolum a poſſeſſo, eſt ſaltem dubia illius acquiſitio, & pro majori ſecuritate diſpenſatione, novaque collatione indiget, *Tourn.* quia de illius validitate, & invaliditate ex utraque parte graves ſtant auctores, & in dubio, quod ſecurius eſt, faciendum; idem dicendum de nova penſione acquirenda, quia an conditionem beneficiorum in his pœnalibus ſequatur, res apud auctores eſt valde dubia, *ibid.*

Hinc graviter peccat 1. ſuſpenſus exercens id, a quo eſt ſuſpenſus, etiam in aliena Diœceſi, *Tourn. & alii*; niſi parvitas materiæ a mortali excuſet, ut ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ modico tempore, durante officio, ingrederetur, *ibid.* poteſt tamen ea, quæ laicis licent, ut baptizare ſine ſolemnitate, urgente neceſſitate, more ſæcularium Sacramenta recipere, lucrari indulgentias, canere Epiſtolam etiam cum Alba, & Tunica, ſed ſine manipulo, *Tourn.* quia non cenſetur canere ex officio, cum non raro ſæculares id præſtent; vel canere Veſperas in Choro, ut alii laici, non vero capitula, & orationem, quæ ſolis Sacerdotibus competunt, & ſi ſit in ſacris, vel beneficiarius, tenetur privatim recitare officium. 2. Graviter peccat a nominatim denunciato ſine neceſſitate Sacramenta, a quibus ſuſpenſus eſt, petens; quia illius peccato cooperatur; & Sacramentum pœnitentiæ ex defectu juriſdictionis eſſet invalidum; vel eum ad alios actus ei graviter prohibitos inducens, vel Miſſam celebranti inſerviens; quia eſſet cooperans; non vero illius Miſſam, eum non inducendo, audiens, *Tourn. & P. Gerv.* nec cum eo manducans, colloquens, &c. quia in aliis communicatio ab Eccleſia non prohibita eſt. 3. Graviter peccat, & fit irregularis ſuſpenſus ab Ordinibus baptizans cum ſolemnitate, Miſſam celebrans, Evangelium cum Stola, & Epiſtolam cum Manipulo cantans, abſolutionem impertiens, extremam Unctionem, Euchariſtiam miniſtrans, aquam in

Domi-

Dominica benedicens, orationem in officio publico cum Dominus vobiſcum cantans; quia ſunt ſolemnes Ordinis ſunctiones. *Tourn.* ſic Epiſcopus ſuſpenſus ab Epiſcopalibus, ſeu Pontificalibus, peccat graviter & fit irregularis conficiens Chriſma, conſecrans Calices, conferens Ordines, vel Confirmationem ſolemniter more Epiſcoporum benedicens, *Tourn. Pont.* non vero fieret irregularis conferendo primam Tonſuram, *Pont. Tourn.* quia non eſt Ordo, & poteſt conferri à non Epiſcopo: nec fit irregularis, licet graviter peccet ſuſpenſus a juriſdictione, aut beneficio ferendo cenſuras, vel in foro externo illas abſolvendo, beneficia, vel approbationem conferendo, fructus beneficii percipiendo, Miſſam celebrando; quia non violat ſuſpenſionem ab Ordine; nec Presbyter ſuſpenſus a Sacerdotio, faciens functiones Diaconi, vel Subdiaconi; quia non violat Ordinem, a quo ſuſpenſus eſt; nec ſuſpenſus etiam a cathedra, prædicando, *Tourn.* quia licet propria quadam ratione prædicatio ad Presbyterum, vel Diaconum pertineat, non tamen eſt vere functio Ordinis ſacri, *ibid.* nec ſuſpenſus a minoribus aperiens januam Eccleſiæ, accendens luminaria, præparans urceolos, &c. quia etiam moderno tempore fiunt a ſæcularibus, niſi juxta votum Concilii Trid. Ordinum minorum functiones ſolis ordinatis reſtituerentur, *Tourn.* nec contra Epiſcopi prohibitionem ob inculpabilem defectum, v. g. ob manuum trepidationem, Ordines exercens, fit irregularis; quia non eſt ſuſpenſio; nec illegitimus ſine diſpenſatione ordinatus celebrans fit irregularis ſua actione, *Favet, Haber. apud Tourn.* 4. Suſpenſus abſolute, ac indefinite, eſt ſuſpenſus ſuſpenſione totali ab Ordine; officio, & beneficio ſimul, *Tourn. & alii*; quia, ut ſupra dictum, locutio indefinita æquivalet univerſali: Suſpenſus ab officio ſimpliciter, & abſolute, eſt etiam ab uſu Ordinis, juriſdictionis, & omnis eccleſiaſtici Miniſterii, *Tourn.* quia, qui prohibet totum, etiam prohibet omnes ejus partes. Suſpenſus ab Ordine ſimpliciter cenſetur ſuſpenſus ab omni Ordine; quia non eſt potior ratio de uno, quam de altero. Suſpenſus ab Ordine Superiori, non eſt ſuſpenſus ab inferiori; quia poteſt ob culpam eſſe indignus ad ſuperiores, attamen dignus ad inferiores, quæ minorem requirunt ſanctitatem; & ita docet antiqua Eccleſiæ praxis. Suſpenſus ab Ordine inferiori cenſetur a ſuperiori; quia cui non licet minus,

nus, nec licere debet majus; niſi ſuſpenſus eſſet ob culpam in exercitio inferioris commiſſam, ſic colligitur ex cap. 4. *de temp. Ord. in 6.* vel ſi ordo inferior non includatur in ſuperiori, uti minores non includuntur in majoribus. Suſpenſus a beneficio ſimpliciter; intelligitur de omnibus ſaltem ejuſdem Diœceſis; non vero alterius, ſi ſuſpenſio ſit a ſtatuto lata; quia in eo loco ſolum obligat. Si ſit ab homine lata privat, prout ſententia exprimit; quia poteſt ab omnibus ſuſpendi; cum perſona ei ſit ſubjecta, licet non omnia illius beneficia; in dubio conſulendus eſt Epiſcopus. 5. Suſpenſus ab Ordine non licite, ſed valide recipit beneficia; *Tourn.* quia alias collatio non eſt ipſo jure irrita, *ibid.* collatio vero facta ſuſpenſo a beneficio *Tourn.* vel ab officio, *Thom. ex Charm.* non ſolum illicita, ſed etiam invalida eſt, *Thom. ex Charm.* vel ſaltem dubia eſt novi beneficii, vel penſionis acquiſitio, *Tourn.* ſuſpenſus vero a beneficio non privatur illius titulo; quia alias eſſet depoſitio; nec ab officio, ſive juriſdictionis ſive Ordinis, ſed ſolum fructibus beneficii ſaltem ſecundum ſecuriorem; *Tourn.* ac proinde poteſt exercere Ordines, celebrare Miſſam, agere Diaconum, abſolvere, &c. Non poteſt tamen Jure communi reſignare in favorem, nec permutare, nec beneficii bona adminiſtrare, nec ædes locare, &c. quia hi actus annumerantur fructibus beneficii; bene autem Jure particulari, ut Galliæ, *Tourn.* quia ibi in curiis ſæcularibus habentur validi; nec poteſt Jure communi percipere fructus; nec penſiones ſaltem ſecundum ſecuriorem, *Tourn.* nec diſtributiones pro præſentia in Choro, *ibid.* & tenetur etiam occulte ſuſpenſus fructus perceptos reſtituere Eccleſiæ, exceptis neceſſariis pro moderata ſuſtentatione, ſi aliunde non habeat ſuſtentationem, & pro ſubſtituto pro officio, & ſi ipſemet officium beneficii impleat; poteſt conſtituto alias concedenda retinere, *Tourn.* niſi eſſet pertinax, *ibid.* poteſt etiam ſtipendia anniverſariis, Miſſis, vel oneribus perſonalibus debita percipere, quæ a fidelibus extraordinarie offeruntur, *Bonac. apud Tourn.* quia non ſunt fructus beneficii, ſed Ordinis, poteſt etiam eligere, præſentare, conferre beneficium; quia ſunt actus officii; & tenetur horas canonicas dicere, & cætera beneficii munera peragere, licet fructus non percipiat; quia fit in pœnam ob ſuam culpam: jure vero gallico fructus prædictos percipit, ut ſupra dictum eſt. 6.

Suſ-

Digitized by Google

Suſpenſus ab officio ſimpliciter non eſt tamen ſuſpenſus a beneficio, & fructibus ejus, ac proinde poteſt percipere fructus, modo per alium ſuppleat beneficii munera; ſi Epiſcopus in locum Parochi ab officio ſuſpenſi alium Parochiæ præficiat, debetur ei congrua ex beneficio ſuſtentatio, cujus onera ſuſtinet; *Tourn.* nec ſuſpenſus ab una parte officii eſt ſuſpenſus ab alia; *Tourn.* 7. Suſpenſus ab Ordine non eſt ſuſpenſus a beneficio, & illius munera debet per alium exercere; nec a juriſdictione, quæ ſine uſu Ordinis exerceri poteſt; & ſuſpenſus a juriſdictione non eſt ſuſpenſus ab Ordine. Sic Epiſcopus ſuſpenſus a juriſdictione tantum, poteſt ſolemniter in pontificalibus celebrare, Ordines conferre, Eccleſias, ac Altaria conſecrare; quia pertinent ad poteſtatem Ordinis, a qua non eſt ſuſpenſus. Econtra non poteſt ad beneficia eligere, vel ea conferre, nec cenſuras imponere, nec Confeſſarios approbare, &c. quia ſunt actus juriſdictionis, a qua ſuſpenſus eſt, ſi ſit denunciatus, nec valide; quia juriſdictionem amittit; ſuſpenſus vero a Pontificalibus nullum poteſt licite conferre Ordinem, nec confirmare, nec Eccleſias, ac Altaria conſecrare, bene autem confeſſiones audire, baptizare, ut alii Sacerdotes celebrare. Suſpenſus autem ab officio ſacerdotali, non poteſt Miſſam licite celebrare, nec pontificalia exercere, v. g. ordinare, Eccleſiam conſecrare, nec confeſſiones audire; quia ſine exercitio officii ſacerdotalis exerceri nequeunt. Sic Sacerdos ſuſpenſus ab Ordine inferiori, v. g. Diaconatu, vel Subdiaconatu, non poteſt celebrare Miſſam; quia in celebratione Miſſæ includitur officium Diaconi, & Subdiaconi, *Tourn.* præcipue in ſolemni. 8. Sacerdos ſuſpenſus a celebratione Miſſæ, poteſt Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ Sacramenta adminiſtrare, verbum Dei prædicare, Evangelium & Epiſtolam in Miſſa cantare. 9. Suſpenſus a confeſſione, poteſt celebrare, baptizare, prædicare; & Parochus ſuſpenſus ab officio parochiali poteſt dicere Miſſam, non vero cantare parochialem, nec audire confeſſiones, nec miniſtrare ex officio Euchariſtiam.

Quær. 3. *Quiſnam a ſuſpenſione poſſit abſolvere?*

Dico. Suſpenſio lata abſque loci determinatione ubique valet; quia ſequitur ſuſpenſum; & ſi ſit ab homine, in alia Diœceſi, etiam figens ibi domicilium, non poteſt abſolvi, ſed mittendus ad eum, a quo ſuſpenſus fuit; bene

autem

autem ſi ſit a jure lata, *Tourn.* cenſura lata ut cenſura in contumaciam, durat, donec reſipiſcat, & ſimul abſolvatur, *P. Gerv. Laym.* nec poteſt abſolvi, niſi prius recedat a contumacia; *P. Gerv.* lata vero ut pura pœna ceſſat quatuor modis, 1. per elapſum temporis præfixi abſque alia abſolutione. 2. Per diſpenſationem Superioris habentis ordinariam, vel delegatam poteſtatem 3. Per abſolutionem, videlicet quando eſt ſimpliciter lata in pœnam ſine determinatione temporis. 4. Poſita conditione, ſub qua eſt lata, *Suar. Tol. Baſſa.* niſi eſſet ſimul medicinalis; quia tunc debet ſimul abſolvi, *Baſſa.* ſuſpenſio lata ab homine poteſt ſolum abſolvi ab eo, qui eam tulit, vel illius Superiore, vel ſucceſſore, vel ex eorum delegatione, & a jure lata in puram pœnam, vel ad tempus, vel ad perpetuum, non poteſt abſolvi ante tempus, niſi ab auctore canonis, *P. Gerv.* quia pœnalis ſtricte non abſolvitur, ſed diſpenſatur, quæ eſt reſervata, etiamſi non expreſſe addatur, *ibid.* poteſt tamen Epiſcopus ab illa abſolvere ſive ſit in perpetuum, ſive ad tempus, ſive in puram pœnam, ſive ob contumaciam lata, ſi proveniat ex delicto occulto, & ad forum contentioſum non deducto, *Bonac. Suar. & Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 6. & habentes a Papa privilegium abſolvendi, ut mendicantes in foro conſcientiæ pro ſuis ſubditis, *Paul. III. apud Baſſa. P. Gerv.*

Quær. 4. *Quænam ſint ſuſpenſiones Papæ, & Epiſcopo reſervatæ?*

Dico. Suſpenſiones aliæ ſunt ipſo jure Papæ reſervatæ, aliæ Epiſcopo. Suſpenſionem Papæ jure reſervatam incurrunt, 1. qui ſub nullo, vel ficto, aut fraudulento, inſufficienti, debitis hypothecariis gravato titulo, vel cum promiſſione, vel juramento, ſe illius fructus non petituros, etiam in gravi neceſſitate, ordinantur, *Tourn.* 2. Qui ſcienter ab Epiſcopo, qui loco, ſeu Diœceſi, ac ſimul dignitati Epiſcopali renunciavit, uti cenſetur renunciaſſe Religionem ingreſſus, ſacros Ordines recipiunt, *Cap. de Ord. ab Epiſc.* quia caput citatum non de aliis, ſed de ſacris duntaxat loquitur Ordinibus. 3. Excommunicatione ligati Ordines ſuſcipientes, vel Religioſi in apoſtaſia, vel poſt contractum, licet non conſummatum matrimonium, niſi emiſſa in Religione approbata profeſſione; vel eodem, vel duobus diebus continuis duos ſacros Ordines ſuſcipientes, ab ultimi executione manent ſuſpenſi, *ita in Jure*; non

non vero eadem die quatuor minores, ac Subdiaconatum ſuſcipientes, præſertim in Gallia, *Tourn.* 4. Ordines per ſimoniam realem, ac publicam recipientes, vel furtive non examinati, vel poſt Epiſcopi ſub pœna excommunicationis prohibitionem, vel ante legitimam ætatem, Ordines ſacros recipientes, *ita in Jure*; nec ſuperveniente ætate tollitur; *Tourn.* poteſt tamen Epiſcopus ab his, & aliis præcedentibus abſolvere, ſi occultæ ſint, *ibid.* Suſpenſiones Epiſcopo jure reſervatæ incurrunt, 1. Ordinati per ſaltum, modo Ordinis recepti functiones non fecerint, alias cenſura eſſet Papæ reſervata; huic non ſubjacet recipiens Ordines, Tonſura non recepta, *Pont.* 2. Sine litteris dimiſſoriis ab alio ordinati, *Pius II.* 3. Ordinati ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, aut ſimoniaco per ſententiam declarato, *ita in Jure*. 4. Per dimiſſorias capituli ante annum completum; nulla urgente beneficii cauſa, ſacros Ordines recipientes; vel à proprio Epiſcopo extra ſuam Diœceſim ſine licentia Ordinarii ordinati: in Gallia tamen de utraque dubitatur, *Tourn.* 5. Eccleſiam ſibi commiſſam alienis debitis gravare præſumentes, *ita in Jure*. 6. Uſurarios manifeſtos communione chriſtiana, vel ſepultura donantes, eorum recipientes oblationes, *Tourn.* in Gallia tamen alibi dicta quoad ſepulturam prius ſervanda ſunt. 7. Viſitatores ab officio, & beneficio ſuſpenduntur in decurſu viſitationis ultra ſibi debitum exigentes, vel ſponte oblatum recipientes, donec duplum gravatis reſtituant, *Greg. X.* 8. Parochus, vel alius Regularis, ſponſos alterius Parochiæ matrimonio jungentes, *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 1. 9. Suſpenſi, vel potiùs interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ſcienter celebrantes, vel in locis interdictis, vel excommunicatos publice denunciatos, vel interdictos ad divina officia eccleſiaſtica, Sacramenta, ac ſepulturam admittentes, *Bonif. VIII.* 10. Decreto apprehenſionis corporalis affecti (gallice *Decret de priſe de corps*) quod, non obſtante appellatione, ſuſpendendi effectum habet, & colationem beneficii reddit nullam; non vero decretum citationis perſonalis (gallice *Decret d'ajournement perſonnel*) niſi ſimul ſuſpenſio intimetur, licet Officiales ſæculares ab officio ſuſpendat, *Tourn.* conſulendum tamen in prædictis Rituale ſuæ Diæceſis; quia aliquando plures, vel pauciores ſunt reſervatæ.

QUÆSTIO IV.

DE INTERDICTO, CESSATIONE A DIVINIS, DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Interdictum?

Reſp. Interdictum eſt cenſura eccleſiaſtica, privans hominem, vel locum, vel utrumque ſimul, publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum Sacramentorum adminiſtratione, & uſu eccleſiaſticæ ſepulturæ. Unde dividitur, 1. in locale, quod immediate locum afficit; & perſonale, quod immediate perſonas afficit; & mixtum, quod immediate locum, & perſonas, ſeu incolas afficit. 2. Locale ulterius dividitur in generale, quando tota civitas, provincia, diœceſis, vel regnum interdicitur; & particulare, quando aliquis locus, ut aliqua, vel omnes Eccleſiæ civitatis interdicuntur, *Thom. ex Charm.* non vero tota civitas. Similiter perſonale eſt duplex, Generale quando omnes incolæ, vel perſonæ communitatis, vel capituli interdicuntur: & partiale, quando una, vel plures perſonæ particulares interdicuntur.

Quær. 2. Ob quam cauſam poſſit ferri interdictum, & quomodo ceſſet?

Dico. Interdictum non debet ferri, niſi propter gravem culpam bono publico contrariam, & quidem perſonale, ſpeciale ac locale ſufficit culpa aliena; videlicet Capitis communitatis, vel præcipuorum membrorum. Interdictum in ea duntaxat loca, vel perſonas cadit, quæ ſaltem generaliter in ſententia exprimuntur, ſi ſit generale; & particulariter, ſi ſit particulare. Interdictum ceſſat 1. latum contra communitatem, ſi membra deſinant eſſe partes illius, figendo domicilium alibi, modo cauſam interdicti non dederint; quia tunc manent ubique interdicti, *Cap. ſi ſententia, de ſent. excom. in* 6. 2. Effluxo termino præfixo, ſi in puram pœnam fuerit latum; non vero ceſſat impleta conditione, ſi fuerit in medicinam latam abſque abſolutione, *P. Gerv. & alii.* 3. Interdictum generale locale, vel perſonale non poteſt tolli, niſi ab habente juriſdictionem in foro externo, & a quo fuit

latum,

latum, nempe Epiſcopo, vel Papa, non vero ab habentibus privilegium abſolvendi a cenſuris in foro conſcientiæ tantum; quia locus, ac communitas uon ſubjacent foro conſcientiæ, bene autem interdictum perſonale particulare, *P. Gerv.*

Hinc 1. Interdicto Clero, non interdicitur populus, *Bonif. VIII.* quia eſt ſtatus ſpecialis, nec juxta multos Sacerdos ſæcularis nulli Eccleſiæ mancipatus; quia non eſt unum cum alio Clero corpus; nec Religioſi; quia eſt res odioſa; bene autem, ſi interdicantur omnes Eccleſiaſtici, vel ſimul eſſent Paſtores; non poſſunt tamen Religioſi exempti interdici ab Epiſcopo interdicto perſonali; quia ei non ſubjacent, nec eorum Eccleſiæ interdicto locali ſpeciali, bene autem generali, *Conc. Trid. Seſſ.* 26. *cap.* 12. *de Regul.* Interdicto populo, non interdicitur Clerus; *Bonif. cit.* nec ſtudioſi, nec peregrini, *Baſſa.* quia non ſunt pars populi: interdicta vero tota familia, etiam comprehenduntur Clerici, qui ſunt in illa; quia ſunt partes illius. 2. Interdicta civitate, interdicto ſubjacent etiam partes, ut ſuburbia, Eccleſiæ, ædificia ſubjacentia, quamvis alterius eſſent juriſdictionis civilis, vel ſpiritualis, ut Regularium, vel alterius Diœceſis; *P. Gerv.* modo Eccleſia matrix illud obſervet, *apud Tourn.* & interdicta communitate, omnes illius perſonæ, etiam innocentes, & abſentes, ac ſodalitia ſunt interdicta, *Tourn.* quia ſunt partes illius; excepto Epiſcopo, quia non comprehenditur interdicto adverſus Clericum diœceſeos lato, niſi expreſſa de ipſo fiat mentio, *Innoc. IV.* nec interdicto perſonali a ſe lato; quia nemo habet vim coactivam in ſeipſum, aut æqualem, vel ſuperiorem, ſed in ſubditum, *Tourn.* 3. Interdicta Eccleſia, interdicuntur capellæ illius, & cœmeterium ipſi contiguum, ſed non viciſſim, *ibid.* quia acceſſorium ſequitur principale; nec interdicitur cœmeterium muro ab alio ſeparatum, *Tourn.* 4. Interdicto loco, non interdicuntur perſonæ illius, ſed poſſunt alibi intereſſe divinis, & ſi interdicantur Cives nullibi poſſunt intereſſe divinis niſi deſinant ibi eſſe cives, & cauſam interdicti non dederint; interdicta autem perſona, non interdicitur locus, ſed interdicto Parocho, poſſunt divina in illius Eccleſia celebrari ab alio. 5. Interdictum qualecunque generale, ſive ſpeciale, quod ſervatur ab Eccleſia principali, qualis eſt Cathedralis, debet ſervari etiam ab aliis ejuſdem loci Ec-

clesiis, *Tourn.* poſſunt tamen in iis celebrari divina officia in ſilentio, januis clauſis, ut infra, ſi nominatim non ſint interdictæ, *Bonif. VIII.*

Quær. 3. *Quinam ſint effectus interdicti?*

Dico. Tres ſunt effectus interdicti, videlicet 1. privatio uſus activi, & paſſivi certorum Sacramentorum, videlicet extremæ Unctionis, Ordinis, Euchariſtiæ reſpectu ſanorum, *ita in Jure*; & matrimonii ſaltem cum ſolemnitate, *P. Gerv. & alii*. 2. Privatio uſus omnium divinorum officiorum, quæ fiunt in Eccleſia a Miniſtro tanquam a perſona conſecrata, & ad illa deputata, ut Miſſarum, horarum canonicarum, &c. 3. Privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ. Interdictus tamen non privatur exercitio juriſdictionis exterioris, etiam nominatim denunciatus; & poteſt excommunicare, abſolvere, indulgentias concedere, & eas lucrari, *Bonac.*

Hinc 1. Graviter peccat, tempore interdicti recipiens, vel adminiſtrans Sacramenta extremæ Unctionis, Ordinis, Euchariſtiæ, non per modum Viatici, vel Matrimonium cum ſolemnitate; quia grave Eccleſiæ præceptum violant; poteſt tamen omnibus interdictis, etiam cum ſolemnitate conferri Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia morituris, cum conſueta ſolemnitate, cum lumine & campana, *P. Gerv. Bonac. Tourn.* & pœnitentia, *P. Gerv.* modo cauſam interdicti ſua culpa, conſilio, vel auxilio non dederint, vel ſi dederint, de delicto ſatisfecerint, vel ſatisfaciendi cautionem præbuerint, vel ſi non poſſint, juramentum præſtiterint, *Cap. alma. de ſent. excom. in* 6. & matrimonium de jure novo ſaltem ſine ſolemnitate, ac januis clauſis, *P. Gerv. & alii*; vel conſulendus Epiſcopus, *Tourn.* quia ſecurius eſt, cum auctores non conveniant; & ſi pœnitentia non poſſet conferri infirmo, poteſt dari extrema Unctio; & ſi deeſſent Miniſtri pro Sacramentis tempore interdicti permiſſis, aliquos ordinare licet, *Tourn.* quia concedendo finem, conceduntur & media, ſine quibus non poteſt haberi; & pro renovanda Euchariſtia pro Viatico, licitum eſt ſemel in hebdomade, non pulſatis campanis, ſubmiſſa voce, januis clauſis, expulſis excommunicatis, & interdictis, celebrare, etiam in loco ſpecialiter interdicto, *Nav. & alii*; quia periculoſum, ac indecens eſſet Viaticum in alia Parochia petere, *Tourn.* 2. Graviter peccant celebrantes tem-

tempore interdicti divina officia, quæ ſunt in Eccleſia a Miniſtro tanquam perſona ad illa deputata, ut ſunt horæ canonicæ. Miſſæ Sacrificium Proceſſiones, &c. vel laici, vi, fraude, mendaciis ſe divinis ingerentes; quia gravem Eccleſiæ injuriam faciunt, & venialiter tantum, ſecluſo dolo fraude, ſcandalo, contemptu, mendaciis, *Nav. Cajet.* quia lex non eos directe, & principaliter, ſed Clericos afficit, ne laicos ad divina admittant. Poſſunt tamen ex conceſſione Bonifacii VIII. celebrari divina officia in Eccleſiis Regularium, & in aliis ſpecialiter non interdictis, & in Collegialibus, etiam ſub privatione præſentiæ; & obligati tenentur iis, ut antea, intereſſe, *Tourn. P. Gerv.* & patet *ex cap. alma mater*; quia, quod jure conceſſum, ſi aliunde ad id quis teneatur, illud implere tenetur, vide *in Part. I. tract. 2. Quæſt. 1. quær.* 34. ſed celebrari debent ſubmiſſa voce, ut foris non audiantur, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis; & ſi non poſſint expelli, debent Clerici, & Sacerdotes ceſſare, Canone nondum incepto, *Bill.* & campanis non pulſatis, ne quidem campanula ad elevationem, *Bill.* exceptis ad concionem, Salutationem angelicam, & alicujus obitum, *P. Gerv. & alii*; & tempore interdicti generalis localis etiam ſolemniter, januis apertis, alta voce, campanis ſonantibus, in quatuor feſtivitatibus, Natalis Domini, incipiendo a primis Veſperis, *P. Gerv.* & Paſchæ, ac Pentecoſtes incipiendo a Miſſa ſolemni vigiliæ, cum feſtis ſequentibus, *Pallud. Soto, & alii*; & Aſſumptionis B. V. Mariæ a primis Veſperis, *P. Gerv.* & immaculatæ Conceptionis, *Leo X.* ac in Feſto Corporis Chriſti, *Tourn.* divina officia in Eccleſiis, ac Monaſteriis (non vero Oratoriis privatis) celebrari poſſunt, excommunicatis excluſis, ſed interdictis admiſſis, modo, qui cauſam dederint, altari nullatenus appropinquent, *Bonifacius VIII.* videlicet accedendo ad Offertorium, & ad Communionem, *P. Gerv. & alii.*

Hinc 2. Graviter peccant celebrantes ſepulturam eccleſiaſticam, 1. ſi interdictum ſit generale, etiam infantium, & amentium, qui nunquam peccaverunt, quæ debet fieri ſine omni ſolemnitate in loco non ſacro, ſeu non interdicto, exceptis Clericis nominatim non interdictis, qui illud non violaverunt, nec illius cauſam dederunt; hi namque ex ſpeciali Innocentii III. privilegio poſſunt ſepeliri

liri in cœmeterio etiam ſpeciatim interdicto, ſi alius deſit locus pro ſepultura fidelium deſtinatus, *Tourn. & alii*; ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus omnibus ſolemnitatibus, cum ſilentio. *Innoc. III. cit.* quod extenditur etiam ad Monachos, & Moniales, *Tourn.* exceptis ſupra dictis feſtivitatibus, in quibus exequiæ ſolemnes ſicut alia divina fieri poſſunt, *P. Gerv. Billuart.* Si ſit particulare locale, ut unius duntaxat Eccleſiæ, ſepulturam in ea eccleſiaſticam facientes; quia nullus in loco interdicto, ſepeliri poteſt, bene autem in alio ſacro non interdicto, modo ipſe non ſit interdictus, nec interdicti cauſam dederit, *Tourn.* 3. Si ſit perſonale generale totius communitatis, vel particulare unius, vel alterius perſonæ, ſi ſint nominatim denunciatæ, eas ſepultura eccleſiaſtica donantes; quia non poſſunt gaudere chriſtiana ſepultura cum ſolemnitate conſueta, & in loco ſacro, bene autem, ſi nec communitas, nec particularis ſit denunciatus, *Tourn.* quia, quibus vivis communicavimus, mortuis quoque communicamus, *Regul. Juris.* Sepultus autem tempore interdicti in loco non ſacro, ſublato interdicto, exhumandus, & ſepeliendus in loco ſacro, modo non ſpecialiter interdictus fuerit, nec interdicto cauſam dederit, *Tourn.* non vero exhumari debet ſepultus in loco ſacro, ſi non fuerit ſpecialiter denunciatus, 4. *Gerv.*

Quær. 4. *A quibus interdictum violatur?*

Dico. Interdicta generalia vix locum habent in Gallia; quia Regiis Sanctionibus, declarationi Pontificiæ innixis, jam anno 1350. & 1359. cautum eſt, ne quis Regna Galliæ interdicto ſubjiciat, *Tour.* & nullum locale incurritur, niſi ſit denunciatum; *Suar. Tourn.* quia ſi perſona non ſit vitanda, niſi ſit denunciata, nec locus, niſi denunciatus, vitandus eſt; nec in Gallia a ſepultura eccleſiaſtica, niſi nominatim interdictus, excludendus eſt. Particulare vero perſonale ab ingreſſu Eccleſiæ incurritur 1. a celebrante in loco interdicto. 2. Ab admittente nominatim excommunicatum, vel interdictum ad officia divina, Sacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam. 3. Ab Epiſcopis, vel Superioribus beneficiorum, & Eccleſiarum vacantium bona, vel hæreditatem uſurpantibus. 4. A præſumentibus ferre cenſuras, non ſervata ſolemnitate præſcripta ſub pœna interdicti. 5. Ab Epiſcopis in viſitationis decurſu ultra debita recipientibus, & intra menſem duplum non reſtituentibus.

Quær.

Quær. 5. Quænam ſint pœnæ contra violantes interdictum?

Dico. Pœnæ contra violantes interdictum ſunt variæ, videlicet 1. Eccleſiaſtici perſonaliter interdicti exercentes actum proprium Ordinis, præter mortale incurrunt irregularitatem, *Cap. is cui de ſent. excomm. in 6.* & ſuſpenſionem ab officio, ac proinde etiam a juriſdictione, *P. Gerv.* & violantes interdictum locale ſaltem generale, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, privantur electione activa, & paſſiva, poſſuntque per ſententiam privari beneficiis; & Regulares etiam exempti, non ſervantes interdictum locale a Papa, vel Epiſcopo latum, quando ſervatur ab Eccleſia Cathedrali, vel matrice loci, in quo habitant, ipſo facto excommunicationem incurrunt, Clem. I. *de ſent. excomm. & Concil. Trid. Seſſ. 15. cap. 12. de reformat.* etiamſi interdictum re ipſa ſit nullum, *Baſſa. Bonac. Laym. apud P. Gerv.* 2. Laici per violentiam ſe divinis ingerentes, præter mortale, excommunicationem incurrunt, *P. Gerv.*

Quær. 6. Quid ſit ceſſatio a divinis, depoſitio, ac degradatio?

Reſp. 1. Ceſſatio a divinis, eſt prohibitio celebrandorum officiorum divinorum, & adminiſtrandorum Sacramentorum, ſolemnitatis officii, ac eccleſiaſticæ ſepulturæ, ab homine, vel a jure facta ob juſtam cauſam.

2. Depoſitio eſt pœna eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis, privatur omni beneficio, & officio clericali, retento ſolo privilegio canonis, & fori, & vocatur in jure degradatio vocalis, ſeu verbalis.

3. Degradatio, eſt pœna eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum, & ſolemniter privatur, non ſolum omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, ſed etiam privilegio canonis, & fori, retento ſolo caractere.

Quær. 7. Quinam ſint effectus ceſſationis a divinis depoſitionis, ac degradationis?

Dico. Ceſſatio a divinis, ſive ob pollutionem Eccleſiæ, ſive in ſignum mœroris Eccleſiæ ob gravem aliquam ſibi, vel honori Dei illatam injuriam indicta, licet eoſdem habeat effectus, ac interdictum, illius tamen violatio non inducit irregularitatem; quia non eſt cenſura, *Thom. ex Charm.* Regulares tamen eam violantes incurrunt excommunicationem, *Clem. 1. de ſent. excomm.* depoſitio privat

beneficio, & officio clericali, retento ſolo privilegio fori, canonis, ac immunitatis Eccleſiæ. Degradatio vero utroque privat, retento ſolo caractere Ordinis; quia eſt indelibilis; debetque fieri ab Epiſcopo, vel illius Vicario generali, aſſiſtentibus ſex aliis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, ſi ſit Sacerdotis, & tribus, ſi ſit Diaconi, vel Subdiaconi, *Conc. Trid. Seſſ. 13. cap. 4. de reform.* & ſit ſpoliatione veſtimentorum ſui Ordinis, ac vaſorum ſacrorum, ac Tonſuræ, & traditione Judici ſæculari, cum proteſtatione contra mortis periculum.

Hinc 1. Indicta ceſſatione a divinis, graviter peccat Clericus Sacramenta prohibita adminiſtrans, vel divinum officium publice celebrans, vel laicos ſepultura eccleſiaſtica cum ſolemnitate officii funebris donans; non tamen fit irregularis; Regulares vero, non ceſſantes a divinis, excommunicationem incurrunt. 2. Depoſitus a Judice ſæculari puniri nequit, niſi ſit incorregibilis a Judice eccleſiaſtico declaratus. 3. Degradatus Epiſcopus poteſt valide ordinare, & Sacerdos conſecrare, ſed non licite, & tenetur ad horas canonicas.

TRA-

TRACTATUS VII.

DE MATRIMONIO.

Hic Tractatus continet tres quæſtiones, videlicet 1. de Sponſalibus, & Denunciationibus. 2. de Eſſentia, & Exiſtentia Matrimonii, 3. de Impedimentis Matrimonium impedientibus, & dirimentibus.

QUÆSTIO I.

DE SPONSALIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplicia ſint Sponſalia?

Reſp. 1. Sponſalia ſunt futuri Matrimonii promiſſio mutua, ſigno ſenſibili expreſſa. Alia ſunt abſoluta; quæ ſine conditione contrahuntur, nempe 1. nuda promiſſione. 2. Datis arrhis Sponſalitiis, ut pecunia. 3. Annuli ſub arrhatione. 4. Interveniente juramento. Alia ſunt conditionata, quæ ſub conditione contrahuntur, videlicet 1. ſub licita, ac honeſta, vel illicita, & turpi. 2. Contra, vel non contra bonum Matrimonii. 3. Sub conditione neceſſaria, 4. Sub impoſſibili. 5. Sub pœnali de futuro, ut certæ ſummæ ſolvendæ ab eo, qui injuſte reſilit; vel ſub pœnali de præſenti, ut traditione annuli, vel certæ ſummæ pecuniæ, ut remaneat accipienti, ſi tradens reſiliat; vel reſtituatur, & ſimul æquivalens, vel duplum, ſi accipiens reſiliat, & vocatur in jure arrha.

Quær. 2.

Quær. 2. *Quot ad ſponſalia valida requirantur conditiones?*

Dico. Ut ſponſalia ſint valida, ſeptem debent habere conditiones, videlicet 1. Debent eſſe promiſſio vera; quia ficta, vel ſolum propoſitum non obligant. 2. Debent eſſe libera; quia vi, vel metu gravi, vel etiam reverentiali extorta, ſunt ipſo jure, ut Matrimonium, invalida. 3. Debent eſſe mutua; quia eſt contractus oneroſus, ac proinde reciprocus. 4. Acceptata quia promiſſio non acceptata non obligat. 5. Signo externo manifeſtata: quia ſi non ſit externa, non poteſt acceptari. 6. Inter perſonas ad contrahendum jure habiles, nullumque impedimentum dirimens habentes; quia eſſet alias iniqua, ac invalida. 7. Ut ſerventur cujuſcunque Diœceſis conſuetudines, vim legis habentes, ſaltem pro liceitate, *P. Gerv.*

Hinc: ſponſalia non ſunt valida, 1. Dicentis: ſtatuo, te in uxorem ducere; quia eſt ſolum propoſitum; vel dicentis, non ducam aliam, quam te; quia poteſt nullam ducere. 2. Jocoſe, vel animo ſe non obligandi, vel non promitendi, contracta; quia non ſunt vera, etiamſi juramento eſſent firmata; quia juramentum non mutat naturam contractus; tenetur tamen reparare ſcandalum, vel damnum inde ſecutum, & in foro externo tenetur ad contrahendum, niſi fictionem probet; etiam in foro interno, ſi ſub ficta promiſſione uſum corporis obtinuerit; quia ipſa conditionem oneroſam implevit, & jus in pœnam peccati ita ſtatuit. *Vid. P. I. tract.* 6. *Q.* 5. *quær.* 2. *Hinc num.* 4. niſi ob diſparitatem conditionis, divitiarum, & ex aliis conjecturis fictionem advertere potuerit, *Sanch. & alii*; in dubio juxta communem ſenſum verborum decidendum, & in illis etiam dubiis ſtat poſſeſſio pro libertate, *Bonac.* 3. Sine plena advertentia, vel deliberatione facta, vel vi aut metu gravi vel etiam reverentiali, præcipue cum minis rigidæ tractationis contracta; quia promiſſio non eſt libera; ex metu vero levi injuſte in hunc finem incuſſo, licet ipſo facto non ſint irrita, poſſunt tamen irritari ad nutum injuriam paſſi, *Billuart.* ex his tamen oritur impedimentum publicæ honeſtatis, non vero ex prioribus; quia priora ſunt ipſo jure invalida, 4. Facta ſine acceptatione, vel cum acceptatione, ſed ſine repromiſſione; quia non ſunt mutua; tenetur tamen promittens eam docere vi promiſſionis acceptatæ gratuito, & independenter a repromiſſione facta; ſecus, ſi non fuerit

acce-

acceptata; quia promiſſio non acceptata non obligat; nec ſi non fuiſſet gratuita, ſed reſpectiva ad alterius repromiſſionem; quia tunc poteſt revocare promiſſionem, & in neutro caſu contrahit impedimentum publicæ honeſtatis; quia non niſi ex ſponſalibus validis oritur. 5. Sunt invalide contracta a parentibus pro infantibus illa ignorantibus, vel abſentibus; niſi ipſis poſtea tacite, vel expreſſe ratificantibus, vel ſi fuerint in eorum præſentia a parentibus contracta, ipſis non contradicentibus; quia Jura ita ſtatuunt, cum ſint de re ipſis naturaliter appetibili, & utpote contracta a parentibus ipſos amantibus, cenſentur in ipſorum favorem; ſecus ſi ab extraneo contraherentur *Bonac. & communior*; quia, cum extranei non ut proprii parentes, vel tutores eos amare ſoleant, poſſent ipſis eſſe nociva, ac onerosa; nec valerent ſaltem in foro interno, ſi interne non conſenſiſſent; quia deeſſet conditio eſſentialis; nec a parentibus ante ſeptennium pro ipſis contracta, niſi ea poſt uſum rationis expreſſe, vel tacite approbaſſent, non reclamando poſt debitam ætatem, cognito contractu ſponſalitio, & habita libertate reclamandi, *S. Thom.* 6. Sunt invalide contracta ante ſeptennium, *in Jur. cap. litteras & cap. infantes;* etiamſi uſum rationis ante ſeptennium habuiſſent, *P. Gerv. & com.* niſi parum diſtet a ſeptennio *S. Thom.* quia quod parum deeſt, inquit, quaſi nihil deeſſe videtur, quod aliquid ad ſpatium ſex menſium extendunt apud Billuart; vel poſt ſeptennium contracta, ſed ante uſum rationis alias ad mortale ſufficientis; poſſuntque contrahentes ante pubertatem poſt annos pubertatis reſilire; quia Jura ita ſtatuunt. 7. Sponſalia ſunt invalida, contracta cum impedimento dirimente, ut conſanguinitatis, etiamſi ſub conditione diſpenſationis obtinendæ, ante conditionis eventum, vel etiamſi juramento firmata eſſent, vel ſponſa imprægnata; valere tamen incipiunt, & impedimentum publicæ honeſtatis inducunt, obtenta diſpenſatione, etiam ſine novo conſenſu, perſeverante ſaltem virtualiter eadem voluntate, *Billuart*; quia perinde eſt, ac ſi tunc primo poneretur conſenſus, & hoc modo etiam alii contractus convaleſcere ſolent; cenſetur autem perſeverare virtualiter eadem voluntas, quamdiu non revocatur: non perſeverante autem eadem voluntate, non valent ſponſalia, etiam obtenta diſpenſatione, niſi novus conſenſus accedat, ad quem quidem pars diſſentiens tene-

tenetur; quia, cum contrahentes ſe mutuo conſenſu ad exſpectandum eventum conditionis, nempe diſpenſationis, obligaverint, illicite illum diſſentiens revocavit, etiamſi non expreſſe promiſerit procurare diſpenſationem; quia eo ipſo, quod ſincere contraxerit, etiam ad requiſita ad valorem contractus ſe obligaſſe cenſetur, modo impedimentum non ignoraverit, & illud ignoraſſe, pro foro externo probare poſſit; tunc enim, cum ignoraverit impedimentum, nec illius diſpenſationem voluiſſe præſumitur; quia nihil volitum, niſi præcognitum. 8. Nec ſunt valida poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, vel Religionis, aut Ordinis contracta, P. *Gerv.* quia omnis ſimplex promiſſio rei illicitæ eſt nulla, *Tamb. ibidem*; ſunt tamen valida clandeſtine contracta ſine præſentia Parochi, ac teſtium, & impedimentum publicæ honeſtatis cauſant, *Bill.* quia Concilium Trid. nihil circa ſponſalia innovavit: non vero ſunt licita, ubi mos viget vim legis habens, ut in facie Eccleſiæ contrahantur; antea tamen clandeſtine contracta non ſunt mortaliter mala *Bill.* quia fere ordinarie, & ſine reprehenſione antea fieri ſolent; Matrimonium tamen clandeſtinum nullum non habet vim ſponſalium, *S. Congr. Card.* bene autem Matrimonium impuberum in forma Concilii Trid. contractum; quia etiamſi ſit nullum, vim habet ſponſalium, & impedimentum publicæ honeſtatis inducit ex ſpeciali juris diſpenſatione, *Cap. finali de ſponſ. impub. & S. Congr. Card. Concil. Trid. apud Billuart.* niſi ante pubertatem eſſent habiles ad copulam; quia tunc ſubſiſtit Matrimonium, & malitia ſupplet ætatem. *ibid.*

Quær. 3. *Quomodo valeant ſponſalia conditionata?*

Dico. Sponſalia conditionata 1. ſub conditione neceſſaria, vel de præſenti verificata, vel impoſſibili, ſtatim ſunt valida, *Bonac. Sanch.* quia, verificata conditione, tranſeunt in abſoluta, & conditio neceſſaria, vel impoſſibilis eſt ex diſpoſitione juris quaſi non appoſita, *Cap. & in de condit.* modo contrahens non ſuſpendat conſenſum 2. Sub conditione honeſta poſſibili, aut indifferenti de futuro, ſuſpenduntur uſque ad conditionis eventum, & tunc, impleta conditione; ſtatim ſunt valida ſine novo conſenſu, modo prior conſenſus non fuerit interim revocatus; quia conſenſus non revocatus virtualiter adhuc durat. 3. Sub conditione turpi; ſi ſit contra ſubſtantiam,

vel

vel bonum Matrimonii, ſunt invalida; quia ſunt contra mentem Eccleſiæ, *Cap. ſine dial condit. appoſit.* & contra inſtitutionem Matrimonii: ſub conditione vero turpi; ſed non contra ſubſtantiam Matrimonii ſunt valida in foro externo, *S. Thom. apud Billuart, & Tourn. & alii*; quia conditio in jure habetur pro non appoſita; *Cap. quicunque, & Cap. fin. de condit.* non vero in foro interno; *ibid.* quia deeſt conſenſus, ut ſupponitur; nec poteſt conditio illicita impleri: impleta tamen conditione turpi conſurgit obligatio ſervandi ſponſalia, etiam in conſcientia, *Thom. ex Charm. Billuart*; quia tunc ſine peccato ſervari poſſunt, & ita docet praxis Eccleſiæ, defloratorem compellentis ad ducendam puellam ſub promiſſione Matrimonii defloratam. 5. Sponſalia ſub conditione pœnæ; vel de præſenti, vel de futuro ab injuſte reſiliente ſolvendæ licite, ac valide contrahuntur, ac in utroque foro obligant ad pœnam; quia injuſte reſiliens alteri injuriam facit, & pœna dignus eſt. Pœna vero indiſtincte ſolvenda, ſive aliquis juſte, ſive injuſte reſiliat, illicite, ac invalide apponitur; quia in jure prohibetur, libertatem Matrimonii minuit, & reſiliens injuſte punitur abſque culpa; nec obligat in conſcientia juſte reſilientem, etiamſi juramento fuiſſet confirmata; quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis.

Hinc 1. Sponſalia ſtatim ſunt valida, 1. ſub conditione, ſi ſit dives, ſi revera ſit dives; quia eſt verificata. 2. Sub conditione, ſi poſt menſem ſol oriatur, vel Antichriſtus poſt annum naſcatur, vel ſi ſit virgo, *P. Gerv.* vel ſi parentibus centum aureos furto auferat, uſum corporis concedat, *Tourn. Billuart*; quia iſtæ conditiones impoſſibiles, vel neceſſariæ aut turpes, quæ non ſunt contra ſubſtantiam Matrimonii, in jure habentur pro non appoſitis. Non tamen valent in foro interno, ſi contrahens interne, non niſi ſub his conſentiat; quia tunc vel ficta eſt promiſſio, vel uſque ad conditionis eventnm ſponſalia ſuſpenduntur, & conditione impleta etiam illicita, obligant, *Thom, ex Charm.* quia nihil illorum impletionem impedit, & ita in praxi receptum eſt.

Hinc 2. Sponſalia ſunt nulla, 1. ſub conditione, ſi addiſcat volare, ſaltem in foro interno; quia cum ſit impoſſibilis, cenſetur promiſſio ficta. 2. Sub conditione, ſi ſterilitatem medicamento producat, vel caſtitatem perpetuam

ſuam ſine jure uſus corporis ſervet; quia in utroque caſu eſt contra ſubſtantiam, vel bona Matrimonii; licet enim uſus corporis non ſit de eſſentia Matrimonii, jus tamen uſus eſt de illius ſubſtantia; valeret tamen cum conditione caſtitatis perpetuæ conceſſo jure corporis; quia tale B. Virginis fuiſſe, pie creditur; quia conceſſio juris, non vero uſus eſt de matrimonii eſſentia.

Hinc 3. Juſte reſiliens non tenetur, 1. ſolvere pœnam reſilienti impoſitam, & ſoluta, vel in contractu ſponſalitio tradita, ut arrha, vel annulus, aut certa pecuniæ ſumma debet juſte reſilienti reſtitui, quia non eſt culpabilis; niſi juſte reſiliens, ſciens ſe non obligari, ſolveret, vel arrham cederet; quia tunc cenſetur, non vi promiſſionis, ſed gratuito dare; 2. Injuſte reſiliens perdit arrhas ſuas, & tenetur reſtituere arrhas alterius partis, impenſas, ac damna reparare, & ſolvere pœnam, ſi aliqua de futuro fuerit impoſita; quia alteri facit injuriam, vel tenetur contractum ſervare.

Quær. 4. *Quinam ſint ſponſalium effectus?*

Dico. Quatuor ſunt ſponſalium effectus, videlicet, 1. gravis contrahendi Matrimonium obligatio præfixo, vel primo opportuno tempore, una parte explicite, vel implicite exigente, quia eſt contractus oneroſus in materia gravi ſub mortali obligans tempore præfixo, vel primo opportuno, ſi nullum fuerit præfixum, *reg. Jur.* 14. 2. Impedimentum publicæ honeſtatis in primo conſanguinitatis gradu ex validis ſolum ſponſalibus oriens, quia ita Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *de Matr. cap.* 3. ſtatuit. 3. Nova obligatio ſervandi caſtitatem cum aliis, *P. Gerv.* quia contrahentes per ſponſalia acquirunt jus ad rem, & ſe obligant non tradendi jus corporis alteri; quæ obligatio eſt juſtitiæ. 4. Accedente conjunctione affectu maritali, ubi Concilium Trid. non eſt acceptatum, tranſeunt in Matrimonium, *Tourn.* non quidem præciſe vi ſponſalium; ſed quia conſenſus de præſenti maritalis cenſetur conſenſus matrimonialis.

Hinc 1. Graviter peccat, contractis ſponſalibus, injuſte reſiliens, vel Matrimonium notabiliter ultra tempus præfixum, vel opportunum differens; quia gravem comparti facit injuriam: non poteſt tamen cogi a Judice ſæculari ad contrahendum, ut declaravit Senatus Pariſienſis 1645. bene autem per cenſuras ab Eccleſiaſtico, *Alex. III.* rato tamen,

tamen, ob periculum rixarum, contentionum, inimicitiarum, & vitæ amariſſimæ in Matrimonio coacto futuræ, *Tourn.* 2. Contractis valide, & abſolute ſponſalibus, etiam privatim, & occulte, ſponſus non poteſt valide inire Matrimonium cum ſorore, vel matre ſponſæ, nec ſponſa cum fratre, vel patre ſponſi; bene autem ſponſus cum vidua fratris ſponſæ; quia vidua non eſt affinis ſponſi, ſoror vero, & mater ſponſæ, ſunt in primo gradu ſponſi affines; etiamſi ſponſalia fuiſſent diſſoluta morte, vel mutuo conſenſu, *Declar. Card. ſub Alex. VII.* vel ſi poſt annos pubertatis reſiliant. Bene autem valide contraherent poſt ſponſalia conditionata ante conditionis eventum diſſoluta, vel a parentibus ante ſeptennium pro infantibus contracta, & poſt annos diſcretionis non ratificata; quia in neutro caſu adhuc fuerunt valida. Cenſentur autem ratificata, ſaltem tacite, ſi, indicata ipſis poteſtate reſiliendi, non reclament, *S. Thom.* 3. Poſt ſponſalia cum altero peccans, præter peccatum luxuriæ, videtur committere aliud injuſtitiæ, ad ſpeciem adulterii imperfecti reducibile; quia alteri tribuit jus ſponſo ex juſtitia vi promiſſionis debitum, *Billuart*; ſponſa ſaltem hanc circumſtantiam in confeſſionali aperire tenetur, *Lug. P. Gerv.* quia ſponſus gravius inde onus, ac majorem patitur injuriam, quam ſponſa, ſi ipſe peccaret cum alia, *ibid.* 4. Contractis ſponſalibus, affectu maritali cognoſcens ſponſam, non poteſt amplius reſilire quacunque de cauſa, ubi non viget Concilium Trid. quia verum inde conſurgit Matrimonium.

Quær. 5. *Quot modis ſponſalia diſſolvantur?*

Dico. Sponſalia octo præcipue ſolvuntur modis, etiamſi juramento fuiſſent firmata; quia acceſſorium ſequitur principale, videlicet, 1. mutuo, ac libero conſenſu. 2. Per ſacri Ordinis ſuſceptionem, *Tourn. & alii, & cap. unico,* 3. Per ingreſſum Religionis, quoad partem in ſæculo manentem; quia ingrediens cenſetur cedere juri ſuo; vel per ſubſequens votum ſimplex caſtitatis, Religionis, vel Ordinis, quoad partem non voventem; quia vovens cenſetur remittere promiſſionem. 4. Per ſubſequens Matrimonium cum altera, licet graviter peccet, *Cap. 1. de ſponſ.* 5. Per ſuperveniens impedimentum dirimens, ut affinitatis, vel cognationis ſpiritualis ex baptiſmo, vel confirmatione; quia tunc res promiſſa fit illicita, ac moraliter impoſſibilis. 6. Per fornicationem ſponſi, vel ſponſæ, *Cap.*

que-

quemadmodum. 7. Mutatio notabilis circa bona corporis, vel animi, aut circa bona temporalia, ſponſalibus ſuperveniens, quæ ſi fuiſſet præſens cognita, vel prævisa, ſponſalia prudenti judicio non fuiſſent contracta, *S. Thom.* quia ſponſalia ſicut omnes alii contractus intelliguntur rebus, ita, & in eodem ſtatu manentibus. 8. Per diuturnam alterius abſentiam, vel per lapſum temporis pro Matrimonio contrahendo præfixi; quia prudenti judicio cenſetur reſilire.

Hinc. Diſſolvuntur ſponſalia; 1. libere conſentiente comparte, vel reſiliente, adepto anno pubertatis, etiam altera parte diſſentiente, vel annis pubertatis ab altero nondum adeptis: non tamen poſſunt reſilire, elapſo triduo poſt pubertatem, vel habita cum comparte copula, vel ſi ſint juramento firmata, niſi mutuo conſenſu quia jura ita ſtatuunt; nec ante annos pubertatis etiam mutuo conſenſu; quia jura prohibent, *Cap. a nobis*; cum vero contraxerint pubes, & impubes, hic adepta pubertate pro nutu poteſt reſilire, non vero alter, niſi mutuo conſenſu; quia impuberis privilegio jure non gaudet; nec valeret diſſolutio, vi, vel metu extorta, bene autem ex metu parentum, vel ob aſperitatem ſponſi remiſſa, *P. Gerv. Bonac.* quia non eſt in hunc finem incuſſus. 2. Uno ſponſorum ingrediente Religionem, poteſt in ſæculo permanens reſilire, & nubere alteri, etiam ante profeſſionem, vel exſpectare illius egreſſum, & egrediens tenetur ei nubere requirenti; quia per ingreſſum Religionis diſſolvuntur ſponſalia ex parte duntaxat in ſæculo manentis, non vero Religionem ingreſſi, ſed ſolum poſt profeſſionem legitime factam, niſi eam emiſiſſet cum gravi compartis reclamantis damno, non niſi per Matrimonium reparabili, ut ſi ab eo poſt ſponſalia cum infamia fuiſſet violata, vel imprægnata; tunc enim votum eſſet de re illicita, & parti læſæ injurioſa, ac proinde invalidum, quia votum non eſt vinculum iniquitatis. 3. Emittente uno ſponſorum votum caſtitatis, vel Religionis, aut Ordinis, poteſt altera mutare ſtatum, ac nubere alteri, *P. Gerv. & alii*; quia vovens cenſetur remittere promiſſionem; vovens tamen, exigente comparte, tenetur ei nubere, & ſervare votum, in quantum poteſt ſine compartis præjudicio, videlicet, vovens caſtitatem reddendo, non vero petendo debitum, & ſoluto Matrimonio, ſervando caſtitatem; vovens vero Reli-

Religionem, vel Ordines, exigente comparte, contracto Matrimonio, poteſt patere, & reddere; quia nondum vovit caſtitatem; ſoluto tamen Matrimonio, tenetur adhuc ingredi Religionem, vel ſuſcipere Ordines; quia manet obligatio voti, in quantum nullum præjudicium affert; per profeſſionem vero diſſolvitur ex utraque parte; quia eſt mors ſpiritualis. 4. Contracto cum alia Matrimonio, ſed per mortem iterum ſoluto, debet inire cum priori ſponſa Matrimonium ei antea promiſſum, *Billuar*; *& alii contra alios*; quia vinculum ſubſequens, cum non ſit perpetuum, ſponſalia cum alia contracta non omnino extinguit, ſe ſuſpendit ex parte contrahentis, licet extinguat ex parte relicti; quia nubens ceſſit juri ſuo. Non vero ſolvuntur ſponſalia priora per poſteriora, etiamſi eſſent ſirmata juramento, vel ſponſa priorum fuiſſet ignara, quia poſteriora ſunt de re illicita alteri debita, ac proinde invalida, etiamſi ſecuta eſſet copula, niſi fuiſſet facta affectu maritali, ubi non viget Concilium Trid. quia tunc tranſeunt in Matrimonium; ſi tamen ſecunda priorum ignara pateretur damnum, non niſi per Matrimonium reparabile, puta, quia eſt gravida, deberet ducere ſecundam; quia obligatio reparandi damnum injuſte paſſum, prævalet obligationi promiſſionis primæ ſponſæ, quæ nullum, vel leve damnum patiens, eam ex charitate relaxare tenetur, *Gonet. P. Gerv.* 5. Diſſolvuntur ſpouſalia peccante ſponſo cum ſorore, vel matre ſponſæ, vel baptizante ſponſo, vel e baptiſmo levante infantem ſponſæ; quia contrahit affinitatem cum ſponſa: exigente tamen parte innocente, tenetur petere diſpenſationem, etiamſi magnis fieri deberet impenſis, *Tamb. & alii*; quia jus innocentis id exigere videtur. 6. Fornicante ſponſo, vel ſponſa, etiamſi vi fuerit oppreſſa; quia ſit notabiliter vilior; vel ſi uterque fornicetur, poteſt reſilire ſponſus, non vero ſponſa; quia crimen ſponſæ eſt longe gravius, & majorem ſponſo inferens infamiam: exigente tamen parte innocente, fornicans tenetur ſtare promiſſis. 7. Superveniente notabili deformitate, infirmitate, morbo contagioſo, epilepſia, paraliſi, mutilatione, uti eſt abſciſſo naſi, orbitas oculorum, lepra, &c. *Cap. quemadmodum*; vel ſuperveniente infamia ex crimine proprio, parentum, propinquorum, gravibus inimicitiis inter utriuſque familiam, vel ſponſos ortis, aſperitate vel ſævitia, hæreſi ob periculum

culum perverſionis in ſe, vel in prole, paupertate, vel divitiis notabilibus inopinate obtentis; quia in prædictis caſibus prævifis judicio prudentum non contracta fuiſſent ſponſalia; vel ſi ſponſus cognoſcat, ſponſam eſſe corruptam, quam credebat virginem; pauperem, ac debitis gravatam, quam credebat divitem ignobilem, quam credebat nobilem; illegitimam, quam credebat legitimam, & viciſſim, excepta fornicatione antecedente; quia ob antecedentem poteſt reſilire ſponſus, non ſponſa; quia ſponſa fit vilior, non ſponſus, niſi nata eſſet proles ex ſponſi fornicatione expenſis familiæ nutrienda; quia inde rixæ timendæ, ac onus improviſum, vel ſi fornicatio eſſet ſubſecuta; quia ſimul fregit fidem; ratio prædictorum eſt; quia res cenſentur mutatæ reſpectu ignorantis, *Lib. 5. de ſponſ.* & ſi prædictæ mutationes fuiſſent cognitæ, virum prudentem ejuſdem conditionis retraxiſſent a ſponſalibus, modo cauſam contractui vere dederint, ſecus ſi tamen contraxiſſet; vel prædicta ſciviſſet; quia licet ſit diſpar conditio, & longe nobilior comparte, tenetur ſtare promiſſis, niſi alia ratione, ob ſcandala, jurgia, diſſenſiones inter ſponſos, parentes, & conſanguineos ſecuturas, diſſolvantur, *Billuart*; unde habens defectus occultos comparti probroſos, vel damnoſos, reddentes Matrimonium odioſum, tenetur etiam non interrogatus illos manifeſtare, ſecus ſi non reddant injurioſum alteri, niſi interrogetur, vel ſi eſſet defectus infamans, ut copula occulta in ſponſa; quia licet non poſſet eam negare, poteſt tamen eam diſſimulare, *Billuart*. 8. Nolente comparte contrahere tempore præfixo, *Cap. ſicut. de ſponſ.* quia contrahentes cenſentur, noluiſſe diutius obligari ad exſpectandum, niſi una pars eſſet legitime impedita; quia legitime impeditæ tempus non currit, *in Jure cap. quia de Conc. præb.* vel ſi nullum ſit præfixum, oblata commoda opportunitate contrahendi, ter vel quater requiſita, contrahere recuſante; nulla allegata cauſa dilationis ſufficiente; quia tunc cenſetur moraliter cedere juri ſuo; vel comparte longo tempore abſente ſine conſenſu alterius; juxta jus civile tamen exſpectari debet per biennium, ſi intra provinciam fuerit, & ſi extra, per triennium, *Leg. 2. Cod. de repud.* in Jure tamen canonico ſufficit brevius, *Alex. III. Cap. de illis*; præcipue, ſi urgeat grave damnum, vel periculum incontinentiæ; quia ſine conſenſu compartis diſce-

ſcedens, & diu abſens, voluntatem mutaſſe cenſetur: in dubio autem, vel ſi cauſa diſſolutionis non ſit manifeſta, ſponſalia autem publica, ad judicium Eccleſiæ recurrendum; quia ſecuritas conſcientiæ, vel populi ædificatio id exigit; ſecus, ſi ſponſalia ſint occulta, vel cauſa notoria, vel crimen occultum, quod probari nequit; quia tunc poſſunt privatim diſſolvi, niſi eſſet ſcandalum, vel compars juridice urgeret ad contrahendum, tunc enim, ſuppreſſo crimine, acquieſcere debet; quia crimen, quod probari nequit, injuſte manifeſtatur, *Billuart*.

Quær. 6. Quomodo ſponſalia, ac proclamationes Matrimonio præmitti debeant, & quibuſnam ex cauſis diſpenſari poſſint proclamationes?

Reſp. Prænot. Proclamatio eſt publica futuri Matrimonii inter certas perſonas denunciatio, in qua debet exprimi, 1. nomen, cognomen, pater, mater, etiamſi eſſent mortui, facta mortis mentione, conditio, Parochia contrahere volentium; & ſi unus deſponſandorum, vel uterque ſit viduus, debet exprimi cum nomine, & cognomine defuncti conjugis. 2. Qualis ſit denunciatio, prima, vel ſecunda, &c. & diſpenſatio unius, vel plurium. 3. Ut fiat ſine famæ læſione, vel ortus illegitimi appoſitione, vel Matrimonii antea illegitimi declaratione, *Rit. Argent.* Hoc notato.

Dico. Matrimonio præmitti debent, 1. ſponſalia non quidem neceſſario, ut firmum ſit Matrimonium, *Tourn.* quia nulla lege ſaltem communi illorum neceſſitas aſtruitur, ſed pius, ac laudabilis eſt illorum uſus. 2. Proclamationes neceſſitate præcepti, non medii; quia Concilia Lat. & Trid. *Seſſ.* 24. *cap. ide reform.* illas præcipiunt, ac nullum Matrimonium ob illarum defectum irritatur; & debent fieri, 1. a proprio contrahentium Parocho, qui in Gallia eſt, in cujus Parochia per ſex menſes commorantur, ſi ex eadem Diœceſi; & per annum, ſi ex diverſa venerint, *Edict. Reg. anno* 1697. & in Parochia parentum, *Edict. cit.* 2. Debent fieri in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia, *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* tribus diebus Dominicis, vel Feſtivis continuis, *Concil. Trid. cit.* & in Feſtis de præcepto ſervandis, *P. Paul. Lugd.* quia alias impedimenta ſcientes poſſent abeſſe, ac Matrimonium futurum ignorare: non tamen in tribus immediatis, ſed cum competenti temporis intervallo, *Conc. Lat. &*

Edict. Reg. Bleſſenſe, ſicut & inter ultimam, & Matrimonii celebrationem, juxta cujuſcunque ſtatuta Diœceſis, *Thom. ex Charm.* quia ſecus tempus pro impedimentis detegendis non eſſet ſufficiens; non tamen cum nimio inter proclamationes, & Matrimonii celebrationem intervallo; quia alias debent reiterari: poteſt tamen eas diſpenſare Epiſcopus, urgente cauſa legitima, juxta Concilium Trid. cit. quales ſunt 1. probabilis ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediendum. 2. Si longo tempore pro veris conjugibus fuiſſent habiti; 3. Notabilis corporalis, vel ſpiritualis utilitas: in Gallia tamen, ſupplicantibus præcipuis conſanguineis, non niſi ſecunda, ac tertia proclamatio diſpenſari debet, *Edict. Reg. Bleſſenſe an.* 1579. *& Lud. XIV.* 1697. quod tamen Edictum plerumque non eſt receptum, vel ei uſu contrario derogatum eſt. 4. Audita proclamatione, ſub pœna excommunicationis (*Rit. Arg.*) quilibet impedinenti dirimentis, vel impedientis conſcius, ſub mortali illud Parocho manifeſtare tenetur, *ita com.* quia quilibet invaliditatem, damnum, & peccatum proximi impedire tenetur.

Hinc: graviter peccant 1. Parochus aſſiſtens, vel contrahentes Matrimonium, non præmiſſis proclamationibus ſine Epiſcopi diſpenſatione; quia eſt grave Eccleſiæ præceptum, & inſuper Parochus, vel alius illius nomine aſſiſtens, ſine præviis denunciationibus, per triennium ab officio ſuſpendendus eſt, *Cap. cum inhibitio*, *Innoc. III. in Conc. Lat.* & ſic contrahentes in gradu prohibito, etiamſi ignoranter contraxiſſent, ſpe diſpenſationis conſequendæ careant, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 5. *reform.* nec filii eorum ex Matrimonio in gradu prohibito contracto legitimantur, *Cap. cum exhibitio*; facta tamen una proclamatione, & reliquis omiſſis, Parochus non incurreret pœnas Innocentii III. *Billuart.* quia ibi tantum requirit ſub dictis pœnis, ut Matrimonium contrahendum publice in Eccleſia proponatur, quod unica fit denunciatione, *ibid.* & omiſſa unica, non incurrunt contrahentes pœnas Concilii Trid. *ibid.* quia non ſunt latæ contra negligentes ſolemnitatem, ſed ſolemnitates, *Billuart*; & odioſa ſtricte intelligenda; nec peccaret Parochus mortaliter, unicam omittens, ſi certus ſit moraliter, nullum ſubeſſe impedimentum, *Sanch. Bonac.* 2. Graviter, vel leviter peccant pro gravitate materiæ, non factis proclamationibus in utriu-

utriuſque Parochia, vel non in utraque, vel non in utroque domicilio, ſi plura habuerint infra ſex menſes, in eadem Diœceſi, vel infra annum in diverſis Diœceſibus, nempe in actuali, & in quo antea commorati ſunt, *Rit. Diœc. Arg.* vel non in Parochia parentum; vel tutorum, ſi ſub ipſorum adhuc eſſent poteſtate; vel non cum eorum prævio conſenſu, *Edict. Reg. cit.* vel non in Eccleſia, niſi forte ob nimium populi concurſum Miſſa parochialis extra illam celebraretur; vel non in Miſſarum ſolemniis, vel in concione in, vel ante Miſſam ſolemnem habita; vel non in feſto de præcepto, ſed quoad ſolemnitatem abrogato, ſola relicta obligatione audiendi Miſſam, niſi forte approbante Epiſcopo; quia non eſt ſolemnis; vel ſi fiant in tribus diebus, ſed nimio inter proclamationes, & nuptias intervallo, ut duorum menſium, *Rit. Rom.* vel quatuor juxta declarationem Congregationis Conc. Trid. & Rituale Diœceſ. Arg. proclamationibus non prius reiteratis; niſi propter litem, & oppoſitionem fuiſſent dilatæ nuptiæ, *Rit. Arg.* vel ſi fiant, in tribus immediatis, præcipue Nativitatis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, prima die ſolemni uon omiſſa, *Rit. Diœceſ. Arg.* vel ſi eadem die promulgationis contrahant, *Diœc. Arg. & Conc. Mediol. III. ſub S. Carolo Borrom.* vel in Gallia, ſi factæ fuiſſent in Veſperis, licet magnus fuiſſet populi concurſus, *Senat. Pariſ.* 1608. *& Conc. Trid. cit.* vel a ſæculari, etiam apparitore ad fores Eccleſiæ, etiamſi Parochus eos facere recuſaſſet, *Senat. Pariſ.* 1614. vel non exhibito proclamationum in alia Parochia factarum teſtimonio a Parocho, non niſi elapſis ab ultima proclamatione 24. horis dato, *Rit. Arg.* 3. Graviter peccat ſciens, nupturos in gradu prohibito eſſe conſanguineos, vel alio impedimento, vel etiam impediente, ut voto ſimplici caſtitatis, eſſe ligatos, & poſt proclamationes Parocho non manifeſtans, etiamſi impedimentum ſit occultum, nec probari poſſit, vel contrahentes ſint in bona fide; quia ei non incumbit onus probandi, ſed Parocho inquirendi; nec tendit ad punitionem, ſed ad impediendum Matrimonium invalidum, vel graviter illicitum, pro quo unicus ſufficit teſtis, *Cap. 27. de ſponſ. apud Thom. ex Charm.* & quia quivis juxta S. Thomam ſuperiori præcipienti peccatum, alteri inferens damnum, declarare tenetur, etiamſi ſub ſigillo naturali, vel juramento occulta-

re promiſiſſet; quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, & prævalet honor Sacramenti, & ſalus proximi, etiamſi afferret infamiam, ut copula illicita, niſi ſecreta admonitione a Matrimonio poſſent retrahi; quia non eſt injuſta, ſed materialis ſolum diffamatio, cum nullitas Sacramenti, ac fornicatio alio modo impediri nequeant; vel niſi aliis eſſet notum, & ſufficienter denuntiaſſe conſtaret; vel ſi ſine gravi ſuo incommodo, vel ſine magno ſcandalo revelare non poſſet, vel non niſi teſtibus incertis ipſe comperiſſet, *P. Gerv.* vel ſi ex confeſſione duntaxat illius haberet notitiam; quia, ſi eos ſecrete deterrere nequeat, contrahere volentibus ſuam non poteſt negare aſſiſtentiam; quia prævalet ſigillum confeſſionis; nec ſi Parochus ſolus extra confeſſionem impedimentum ſciat, nec probare poſſet, *Tourn.* quia, cum ſit Judex, non poteſt eſſe teſtis, ab alio vero declarato impedimento, ulterius progredi nequit, niſi ſublata oppoſitione, vel impedimenti diſpenſatione obtenta. 4. Graviter peccant Matrimonium malitioſe impedientes, falſum impedimentum denunciantes, poſſuntque excommunicatione, aliiſque pœnis juris plecti, *Rit. Arg.*

QUÆSTIO II.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA MATRIMONII.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Matrimonium?

Reſp. 1. Matrimonium, ut contractus definitur: contractus, quo vir, & fœmina ſibi invicem legitime tradunt, & accipiunt corporum ſuorum dominium perpetuum ad uſum conjugalem; ut Sacramentum vero definitur: legitimus, & indiviſibilis contractus, quo vir, & fœmina ſibi invicem tradunt, & accipiunt corporum ſuorum dominium perpetuum ad uſum conjugalem, in lege gratiæ elevatus a Chriſto ad gratiam ſignificandam, & conferendam; & pro vinculo ſumptum habitualiter permanente, definitur: viri, ac mulieris conjunctio maritalis, inter perſonas legitimas individuam vitæ conſuetu-

ſuetudinem retinens, in lege gratiæ ſignificativa, & collativa gratiæ.

2. Matrimonium triplex eſt, nempe 1. legitimum, quod eſt contractus mere civilis inter perſonas a lege non prohibitas, quale etiam reperitur inter infideles; & non baptizatos, & poſt alterutrius baptiſmi receptionem diſſolvi poteſt. 2. Ratum, quod baptiſmo eſt firmatum, nulla tamen perfecta, & ad generationem apta copula ſecuta, 3. Conſummatum, quod per carnalem copulam maritalem, & ſaltem per viri ſeminationem completur, *Bill.* quia ſola vaſis penetratio non eſt apta generationi, ut omnes docent, ac proinde nec in foro conſcientiæ Matrimonium conſummatur, ſaltem ſine viri ſeminatione, licet in foro exteriori ſola penetratione vaſis pro conſummato habeatur, *P. Gerv.*

Quær. 2. *An Matrimonium ſit Sacramentum, illiuſque uſus ſit licitus, & neceſſarius?*

Dico. Matrimonium eſt verum, ſoliuſque novæ legis Sacramentum; quia omnes habet conditiones Sacramenti, & ab Apoſtolo Epheſ. 3. a SS. Patribus, ac ipſo Concilio Trid. *Seſſ.* 24. *Can.* 1. Sacramentum eſſe dicitur; & a Chriſto Domino inſtitutum fuit, probabilius Matthæi 19. v. g. dicente: *quod Deus conjuxit, homo non ſeparet*; quia tunc novum onus indiſſolubilitatis imponens, etiam novum gratiæ ſacramentalis ſubſidium ſuperaddidiſſe, recte creditur; uſuſque Matrimonii eſt licitus, ac honeſtus, poteſtque eſſe meritorius; quia Chriſtus illud inſtituendo, & Apoſtolus *Hebr.* 13. connubium honorabile, & thorum immaculatum vocando, approbarunt; & licet ab initio mundi fuerit de præcepto naturali, ac divino; quia pro ſpeciei humanæ propagatione, & conſervatione medium fuit neceſſarium, & a Deo præceptum dicente, Gen. 1. *creſcite & multiplicamini*; & adhuc poſſet obligare, ſi deficeret ſpecies humana; defacto tamen non obligat, nec communitatem, nec unumquemque in particulari; quia homines propria voluntate ſufficienter conſervationi ſuæ ſpeciei vacant; & tam in lege antiqua, quam nova multi ſine crimine ſeipſos ſpiritualiter caſtraverunt propter Regnum cœlorum.

Quær. 3. *An valeant Matrimonia infidelium, & indiſſolubilia, ac Sacramentum fiant per baptiſmum?*

Dico. Verum, ac firmum eſt Matrimonium inter infi-

deles legitime contractum; quia poſſunt vere inter ſe contrahere; non tamen eſt omnino indiſſolubile, nec inter baptizatum, & non baptizatum; quia poteſt fidelis ab infideli ſeparari, 1. *Cor.* 7. nec Sacramentum; quia hoc Sacramentum neceſſario eſt inter duos, quorum licet unus ſit baptizatus, alter tamen ex defectu baptiſmi eſt incapax Sacramenti; ſubſequente vero utriuſque baptiſmo Matrimonium infidelium ſit ratum, ac indiſſolubile; quia ratione fidei conjunctionem Chriſti cum Eccleſia indiſſolubilem ſignificat; imo etiam probabilius ſit Sacramentum, accedente præſentia Parochi, teſtium, & novo conſenſu, & intentione ſaltem implicita faciendi, quod facit Eccleſia, *S. Thom.* quia adſunt eſſentialia Sacramenti; nempe materia, forma, miniſter, & intentio: etiam inter fideles poteſt dari Matrimonium validum in ratione contractus, licet non ſit in ratione Sacramenti; quia Lutherani ſolum intendentes contractum civilem, vel Catholicus ex malitia, vel errore expreſſe nolens Sacramentum, validum faciunt contractum, non vero Sacramentum, cum deſit intentio; de facto tamen non eſt validum baptizati cum non baptizato; quia Eccleſia illud irritat, & prohibet; licet neobaptizatum cum infideli cohabitare permittat, ſi poſſit ſine injuria creatoris.

Quær. 4. *An Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ſint licita, ac valida.*

Dico. Illicita, non tamen invalida ſunt orthodoxorum cum hæreticis connubia. Illicita 1. quia ordinarie adeſt periculum ſeductionis, perverſæ educationis prolis, rixarum, contentionum, tranſgreſſionum legum Eccleſiæ, jejuniorum, &c. 2. Quia ſacris Canonibus, & in Gallia a Ludoviço XIV. anno 1680. ſunt prohibita ſub pœna nullitatis quoad actus civiles, filiorum legitimationem, parentum ſucceſſionem, &c. *Tourn.* non tamen nulla; quia nulla lege irritantur, ſervatis aliis Eccleſiæ legibus, quibus hæretici ratione baptiſmi obſtricti ſunt, etiam aliquando diſpenſatione SS. Pontificum, ut Greg. XIII. Clem. VIII. Urb. VIII. &c. pro publico Eccleſiæ bono, regnorum ac familiarum pace permiſſa ſunt, & adhuc multis in locis, ubi hæretici Catholicis permixti ſunt, permittuntur ſine peccato ex parte Catholici; quia, ſuppoſita Papæ diſpenſatione, utuntur jure ſuo, & comparti publice petenti miniſtrans Sacramentum non magis peccat,

ac

ac ſi comparti in ſtatu mortalis, nolenti pœnitentia ſe præparare, adminiſtraret, omiſſoque Sacrificio, & Benedictione, aſſiſtente ſolum Parocho, ubi viget Concilium Trid. Prophanatio Sacramenti, ſi quæ ſit, ac peccatum compartis orthodoxo eſt per accidens, & minime intentum, quod compars evitare poſſet, ſi vellet ſe ad Religionem convertere. Pacta autem de educanda una parte infantum in hæreſi ſunt illicita, non vero aſſecurantia partem educandam in Religione Catholica.

Quær. 5. Quænam ſit materia, forma, & Miniſter Sacramenti Matrimonii?

Dico. Materia remota Sacramenti Matrimonii ſunt contrahentium corpora, materia proxima eſt contractus naturalis, ut eſt poteſtatis corporum ad actum conjugalem traditio: forma vero eſt mutuus contrahentium conſenſus, verbis, aut nutibus expreſſus; quia corpora ſunt quid indifferens, circa quæ fit contractus, traditio eſt materiæ remotæ, ſeu corporum ad contractum applicatio, & mutuus contrahentium conſenſus, ſeu acceptatio ea determinat formaliter ad eſſe ratum, ac firmum Matrimonii contractum; & Miniſter ſunt contrahentes, *S. Thom. ac communior*; 1. quia proferunt formam, nempe verba, vel ſigna mutuum conſenſum exprimentia; & ſi parochus eſſet Miniſter, Matrimonia clandeſtina ante Concilium Trid. non fuiſſent Sacramenta, nec defacto, præſente Parocho diſſentiente, vel contradicente contracta; quia deeſſet Miniſter cum intentione Sacramenti; niſi velis dicere, aliquando contrahentes eſſe Miniſtros Sacramenti Matrimonii, quando nempe ſoli ſine Parocho conſenſum ſenſibiliter exprimunt, ut in Matrimonio clandeſtino; aliquando Parochum, quando nimirum conſenſum ſenſibilem in utroque contrahente, eos interrogando, elicit; quam poteſtatem, conſtituendi Parochum tanquam Miniſtrum hujus Sacramenti, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe, recte creditur; & ſic forte variæ reconciliantur ſententiæ.

Quær. 6. Quiſnam ad Matrimonium requiratur conſenſus?

Dico. Non requirirur ad valorem Matrimonii conſenſus in uſum, ſeu in copulam; quia eſt quid conſequens ad valorem, & ſic ſine uſu Matrimonium inter B. Virginem, & S. Joſephum verum fuit Matrimonium; ſed ſolum conſenſus in Jus radicale, & mutuam, ac irrevocabilem in corpora poteſtatem, & quidem 1, verus, internus, ac mu-

mutuus ; quia ita exigit natura contractûs oneroſi. 2. Verbis, vel ſignis externis juxta morem Patriæ expreſſus ; quia alias non poſſet mutuo acceptari. 3. De præſenti ; quia alias non differret a ſponſalibus. 4. Ut ſit utriuſque conſenſus ſimul, ſaltem moraliter ; quia alias non eſſet mutuus. 5. Omnino liber ; quia contractus matrimonialis ex metu gravi, injuſte a cauſa libera in hunc finem incuſſo, ipſo jure poſitivo declaratur nullus, *Alex. III. cap. cum locum de ſponſ.* 6. Ab errore immunis, & publice, id eſt coram Eccleſia expreſſus ; quia ubi viget Concilium Trid. adeſſe debent Parochus, & teſtes. 7. Ut ſit abſolutus, vel expreſſe, nulla conditione addita, vel implicite, conditione reipſa impleta, vel juris diſpoſitione conditione habita pro non adjecta, ut de re neceſſaria, impoſſibili, vel turpi ſaltem in foro externo, modo non ſit contra ſubſtantiam Matrimonii, *Cap. fin. de conditione* ; non tamen ad valorem requiritur conſenſus parentum, *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* nec in Regno Galliæ, niſi quoad effectus civiles, *Tourn.* quia ita declaravit Henricus IV. & Ludovicus XIV. exceptis, filiis Regis, vel aliis Regii ſanguinis, præſertim throno proximis ; quia antiqua imperii Gallicani conſuetudine legitime præſcripta, & Eccleſiæ auctoritate munita ita eſt receptum, *Cleric. Gallic.* bene autem ad liceitatem ; quia Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform.* Matrimonia filiorum familias ſine parentum, vel tutorum conſenſu contracta deteſtatur ; in Gallia tamen mares poſt 30. & fœminæ poſt 25. annos, requiſito perſcriptum juridicum, licet non obtento parentum conſenſu, contrahere poſſunt, *Henric. II. an.* 1556. ad verum Sacramentum Matrimonii inter Chriſtianos etiam abſentes, ſervato ritu legitimo, ſufficit conſenſus per litteras, nuncios, aut procuratorem, *Sanch. & alii communiter* ; quia Eccleſia tale agnoſcit, cum habeat omnia eſſentialia ſaltem moraliter præſentia.

Hinc 1. Matrimonium eſt 1. nullum, ſi conſenſus ex alterutra parte ſit fictus, *Cap.* 26. *de ſponſ.* peccatque graviter ficte contrahens contra reverentiam Sacramenti, & juſtitiam ; quia invalide perficit Sacramentum, & violat æqualitatem contractus oneroſi, teneturque injuriam reſarcire tollendo fictionem per veram contractus celebrationem : niſi tanta ſit conditionis diſparitas, & fictionis evidentia, ut altera pars voluntarie decepta cenſeatur,

Bill.

Bill. vel niſi ipſa decepta etiam alterum decepiſſet ſimulando ſe virginem, cum non ſit, *ibid.* quia injuria cenſetur compenſata; vel ſi grandia mala fundata ex tali Matrimonio timerentur; quiatunc ſufficit compenſatio; vel ſi decipiens cum alia legitime contraxiſſet; quia tunc potius teneretur excommunicationem ſuſtinere, quam ad primam accedere, vel in aliam regionem fugere, *Innoc. III. cap. inquiſ. de ſent. excomm.* & primæ damna pecuniis compenſare; valeret tamen Matrimoninm mutuo contractum animo ſe non obligandi ad actualem copulam, vel ſi ambo ſimul voveant caſtitatem, *Bonac.* quia non requiritur conſenſus in copulam, ſed ſufficit poteſtas tradita, licet voto ſit ligata. 2. Graviter peccant ſignis ſolum æquivocis conſenſum præbentes; quia in re gravi Sacramentum reddunt dubium, & venialiter ſaltem, alio modo, quam verbis illum exprimentes; quia ſine cauſa recederent a ritu in Eccleſia uſitato, & Eccleſia ita præcepiſſe videtur, *Cap. tuæ fraternitatis*; niſi eſſent ſigna ex juris diſpoſitione, vel conſuetudine pro interni conſenſus declaratione inſtituta, ut in quibuſdam locis annuli ſubarrhatio, manus porrectio, ſolemnis ſponſæ in ſponſi domum traductio, conſenſus parentum, præſente, ac tacente ſponſa præ verecundia, modo interne non diſſentiat; ſed ſecurius verbis expreſſus exigitur. 3. Eſt nullum ipſo jure poſitivo, vi, vel metu gravi initum; quia deficit conſenſus ſufficienter liber, ut dicetur infra *Q.* 3. *quær.* 5. *Hinc*, 6.

Hinc 2. Invalidum, ac illicitum eſt Matrimonium, ſi contrahatur 1. ſub conditione de futuro, ſi patruus ſponſam hæredem inſtituat, pater conſentiat, dotem promiſſam ſolvat, quia non perficitur Matrimonium, donec impleatur conditio, *Urb. III. cap. de condit.* etiamſi coram Parocho, & teſtibus fuiſſet contractum; niſi non exſpectato patris conſenſu, copula affectu maritali fuiſſet ſecuta, *Congreg. Card. Concil. Trid. ſub Clem. VIII.* quia tunc contrahentes cenſentur receſſiſſe a conditione; nec requiritur novus coram Parocho conſenſus, *ibid.* 2. Sub conditione, ſi ſponſa ſit nobilis, vel dives aut non corrupta, ſi ſponſus non aliter conſentiat, nec conditio in re exiſtat; valet tamen, ſi conditio exiſtat; quia conditione exiſtente, conſenſus implicite eſt abſolutus. 3. Sub conditione, ſi ſe pro quæſtu adulterandam tradat, generationem prolis evitet, vel donec ditiorem inveniat; quia eſt contra

tra fidem, prolem, ac indiſſolubilitatem, ac proinde contra bona, ac ſubſtantiam Matrimonii; valet tamen, ſaltem in foro externo, ſi contrahat ſub conditione, ſi furto, ac latrociniis ſe nutrire velit, ſolem ſtare faciat, vel poſt menſem ſol exurgat; quia conditiones turpes, impoſſibiles, ac neceſſariæ a Jure canonico pro non adjectis habentur, & in Jure civili, qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, pure videtur ſtipulari, nempe ſine conditione, *apud Tourn.* vel etiam in foro interno; modo interne non diſſentiat, vel uſque ad conditionis eventum, v. g. poſt ſolis ortum conſenſum ſuſpendat; quia tunc in foro interno non valeret. Parochi autem ſimiles conditiones impediant, vel conditionis eventum, vel verificationem exſpectent, vel ſponſalia ſolum contrahant; quia regulariter omnes ſunt illicitæ, *P. Gerv.*

Hinc 3. Valida ſunt 1. filiorumfamilias, Matrimonia, inſciis, ac invitis parentibus, vel tutoribus, etiam ſine legitima cauſa contracta; quia nulla lege irritantur, convenit tamen, ut ſe conſilio, ac voluntati parentum honeſtum Matrimonium proponentium conforment; quia pietas, ac reverentia parentibus debita ita exigit, & ipſis inſciis, ac invitis contrahentes ordinarie graviter peccant; quia Lege civili, ac canonica graviter prohibetur: non poſſunt tamen parentes eos præcepto cogere ad certas nuptias, præcipue ſi in cælibatu vivere, vel Religionem ingredi velint; quia Concilium Trid. ſub excommunicatione ipſo facto ſubditos, vel alios directe, vel indirecte ad Matrimonium cogere prohibet, *Seſſ. 24. Can. 9.* ſed ſolum poſſunt paterne ad honeſtum eos inducere, ab inhoneſto retrahere, & contra eorum voluntatem ſine juſta cauſa contrahentes privatione hæreditatis punire; quia aliquando neceſſe eſt, ad ſtultos, ac indiſcretos adoleſcentum amores refrænandos; & poſſunt eos cogere, ſi aliunde ad Matrimonium teneantur, puta filium, quia virginem ſub ſpe Matrimonii defloravit, vel quia neceſſarium eſt, ad ſedandas graves, ac inveteratas inimicitias, vel ad ſuſtentandam patris inopiam; quia præcepto charitatis, vel juſtitiæ obligantur; non vero peccant inſciis, ac invitis parentibus contrahentes, ſi legitimam ſine conſenſu parentum habeant contrahendi rationem, ut ſi longe a parentibus diſtent, ac honeſtum urgeat Matrimonium, vel incontinentiæ periculum, vel parentes judicaren-

rentur irrationabiliter inviti, puta, quia honeſto Matrimonio contradicunt ex odio, moroſitate, avaritia, ne dotem ſolvere, vel bona infantium reſtituere debeant, vel auxilio infantium non abſolute neceſſario careant, vel ad Religionem, vel ad certas nuptias a quibus ſunt alieniſſimi, cogere velint: in Gallia tamen non poſſunt Matrimonio jungi ſine conſenſu parentum in ſcriptis, ſi non ſint præſentes, etiamſi nubens eſſet vidua. *Ludov. VIII.* 1639. vel ſi ſolo patre conſentiente, mater reluctetur, *Tourn.* quia reverentia etiam matri debita exigit, ut filius annum 30. vel puella 25. exſpectet, ſub pœna nullitatis quoad effectus civiles, nempe dotem, hæreditatem, prolium legitimationem, &c. & ipſo facto incapaces ſunt ſucceſſioni patris, matris, avorum, & quorumlibet conſanguineorum, *Ludovicus XIII.* niſi mares obtentis 30. & puellæ 25. annis, conſenſu ſcripto debita cum forma juridice petito, licet non obtento, contrahant, *Edict. Reg.* 1556. non idem tempus reſpectu tutorum obſervandum; quia ultra 25. annum non protenditur tutorum auctoritas, *Edict. Bleſſenſ.* 1639. *apud Tourn.* nec antea poſſunt nuptiis pupillorum obſiſtere, niſi allegata gravi cauſa, *Tourn.* ſine eorum tamen conſenſu ante 25. annum contractæ ſunt æque quoad civiles effectus nullæ, *ibid.* ſi autem parentes, vel tutores eſſent abſentes in remotis regionibus ſine ſpe proximi reditus, valerent adhibito conſilio ſex proximorum parentum conſanguineorum, vel ſi non adſint, amicorum, aut vicinorum coram Judice, *Declar. Reg. an.* 1686. *&* 1724. vel matre iterum nupta expetito, licet non exſpectato conſenſu ejus, modo tutores, ac conſanguinei conſentient, *Conſt. Henr. II. & III. ac Ludov. XIV.* præter tutorum conſenſum etiam conſanguineorum paternorum, ac maternorum adhibendus, & ſi ſint diviſi, Magiſtratus, ac Judicis, *Comit. Bleſſenſ. art.* 43. *Rit. Arg.* filiifamilias extra ſuum regnum Galliæ ſine conſenſu parentum bona tamen fide contrahentes juxta leges Regni, in quo degunt, valide contrahunt, etiam quoad effectus civiles, *Tourn.* & ſic judicavit Senatus Pariſ. *an.* 1624. 2. Valida ſunt vagorum legitime contrahentium Matrimonia; attamen non niſi facta diligenti inquiſitione, & conſulto Epiſcopo jungendi ſunt, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 7. *de reform.* & in Diœceſi Argentinenſi ſub pœna ſuſpenſionis, *Rit. Arg.* 3. Valide contrabit

hit procurator, licet principalis dormiat; quia in dormiente digno Sacramenti gratia recipi poteſt, non minus quam a delirante antea contrito, & confeſſo per abſolutionem ſubſequentem; vel ſi dato mandato in amentiam cadat, vel ſi mandato ficte dato, antequam procurator contrahat, animum mutet, & vere conſentiat; quia conſenſus principalis cenſetur virtualiter perſeverare, & moraliter eſſe præſens per procuratorem; ſecus ſi interim conſenſum revocet, vel procurator alium ſubſtituat, niſi ad hoc ſpecialem commiſſionem habeat; vel conditiones acceptas mutet; quia deeſſet conſenſus.

Quær. 7. Quanam ſint Matrimonii bona, onera, & proprietates?

Dico. Tria ſunt bona Matrimonii, proles; fides; & Sacramentum, quibus tria præcipua compenſantur Matrimonii onera, nempe 1. ex libidine orta corporis debilitas prolis procreatione, & ad cultum Dei educatione. 2. Moleſtia comparti placendi, parturiendi, familiæ providendi, fidelitate ſibi invicem reddendi debitum cum alterius excluſione. 3. Mutua ſibi invicem, ac perpetua ſubjectio, ac patiens tolerantia, Sacramenti indiſſolubilitate, & gratia. Tres quoque ſunt Matrimonii proprietates, videlicet 1. unitas excludens polygamiam, ſeu pluralitatem uxorum, ac virorum. 2. Indiſſolubilitas, qua conjux ab altera vivente ſeparari nequit. 3. Caſtitas conjugalis, qua uſus Matrimonii ſanctificatur.

Quær. 8. An pluralitas uxorum, vel virorum ſit licita?

Reſp. Pranot. Monogomia eſt unius cum uno ſolum conjuge conjunctio. Polygamia eſt pluralitas uxorum ſimultanea cum uno viro. Biviratus eſt pluralitas virorum ſimultanea cum una uxore. Bigamia eſt pluralitas virorum, vel mulierum ſucceſſiva. Hoc notato.

Dico. Biviratus, ſeu multiplicitas virorum cum una muliere ipſo Jure naturæ eſt illicitus; quia repugnat primo fini Matrimonii, nempe generationi, quam impedit, ut patet in meretrice; & educationi prolis; cum ob illius incertitudinem a nullo curetur, & licet Deus eam abſolute poſſet permittere; quia ſummum habet conſervandi, vel deſtruendi generis humani dominium, nunquam tamen permiſit, *S. Thom.* Polygamia, ſeu pluralitas uxorum cum uno viro repugnat quidem Legi naturali, ac fini Matrimonii ſecundario; quia æqualitas a Lege natura-

turali ad contractum requiſita non ſervatur, ubi mulier totum corpus, vir vero non totum tradit; nec ſervatur individuæ vitæ ſocietas, pax, familiæ tranquillitas, & amor; eſtque primævæ Matrimonii inſtitutioni contraria, quia *Geneſ.* 2. inſtituendo Matrimonium Deus dicit: *erunt duo in carne una*; non tamen adverſatur fini primario Matrimonii, nempe procreationi, ac educationi prolis; quia unus vir ſufficit pluribus fœminis fœcundandis, & pluribus prolibus ex iis educandis: fuitque poſt diluvium, ſola tamen Dei diſpenſatione, permiſſa, & antiquis Patriarchis etiam in Lege Moſaica multiplicandæ poſteritatis, ac Myſteriorum cauſa, *S. Auguſt.* quia ſolus Deus Jus naturale diſpenſare poteſt, quam diſpenſationem Lege Evangelica Chriſtus iterum revocavit, *Matth.* 19. ac Matrimonium ad primæ inſtitutionis ſuæ ſtatum reduxit: & Chriſtianis plures habere uxores plane eſt interdictum, prout Concilium Trid. definivit, *Seſſ.* 24. *Can.* 2. permiſſa tamen bigamia ſeu pluralitate uxorum, vel virorum ſucceſſiva; quia Apoſtolus 1. *Cor.* 7. loquens de non nuptis, & viduis ait: *quod ſi ſe non contineant, nubant, melius eſt enim nubere, quam uri*; & Eccleſiæ praxis eam permittit.

Quær. 9. *An Matrimonium ſit indiſſolubile?*

Reſp. Pranot. Diſſolutio Matrimonii alia eſt propria, & quoad vinculum, qua conjuges priori libertati reſtituuntur, & ad alias tranſire poſſunt nuptias. Alia impropria, ſeu divortium, vel quoad thorum, qua conjuges fiunt immunes ab obligatione reddendi debitum; vel quoad habitationem, qua fiunt immunes ab obligatione ſimul cohabitandi; vel ab utraque tum reddendi debitum, tum cohabitandi. Hoc notato.

Dico. Matrimonium ſive legitimum, ſive ratum, ſive conſummatum, quoad vinculum eſt ex ipſa natura contractus, ac primæva ejus inſtitutione, ipſoque Jure divino indiſſolubile; quia ipſe jam Adamus ipſius indiſſolubilitatem pronunciavit, & Chriſtus confirmavit, *Matth.* 19. dicens *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; & conſummatum ex Jure etiam naturali; quia repugnat primo Matrimonii fini, nempe prolis generationi, & rectæ ejus educationi ob incertitudinem prolis, quæ ex frequenti ſeparatione oriretur; in nova vero Lege novum acquiſivit indiſſolubilitatis gradum ex ipſa Sacramenti ſignificatio-

tione; quia Matrimonium Chriſtianorum, teſte Apoſtolo Epheſ. 5. eſt ex inſtitutione Chriſti in ratione Sacramenti ſignum conjunctionis Chriſti indiſſolubilis cum Eccleſia per charitatem, & gratiam, prout eſt ratum, & per carnem aſſumptam, prout eſt conſummatum.

Hinc: nullo jure diſſolvi poteſt Matrimonium fidelium conſummatum, niſi diſpenſatione divina; quia ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſſumptam, quod omnino eſt indiſſolubilis; quod enim Deus aſſumpſit, nunquam dimiſit: poteſt autem diſſolvi quoad vinculum 1. Matrimonium infidelium etiam conſummatum ex Dei diſpenſatioue in triplici caſu, videlicet, uno conjugum ad Fidem catholicam converſo, altero *vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini Numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, & cohabitare volente, Innoc. III. cap. quanto. de divort.* quia, cum Deus ſit Auctor naturæ, ac ſupremus corporum noſtrorum Dominus, potuit illorum uſus ad tempus ſub certis conditionibus permittere, nempe uſque ad unius converſionem; non vero diſſolvitur, utroque conjuge ad fidem converſo, *Cap. gaud. de divort.* niſi contraxiſſent in gradu Jure naturæ prohibito, ut pater, & filia, frater, & ſoror; quia nulla urget ratio; nec manente parte fideli innupta; quia non ipſo jure per baptiſmum diſſolvitur, ſed per ſubſequentes nuptias compartis converſæ, *Cap. gaud. cit.* cum in favorem partis fidelis diſpenſatio conceſſa ſit; & ſi infidelis ante converſionem ad aliud tranſiret Matrimonium, eſſet invalidum, & eo ad fidem poſtmodum converſo, deberet diſſolvi: poteſt tamen valide novum contrahere Matrimonium poſt ſecundas partis fidelis nuptias; quia Matrimonium prius vere eſt diſſolutum; vel poſt profeſſionem in Religione approbata, *Tourn.* quia Matrimonia infidelium etiam conſummata æquiparantur Matrimoniis fidelium non conſummatis, *Tourn.* nec tenetur fidelis, ſoluto iterum per mortem conjugis Matrimonio, redire ad priorem conjugem infidelem, etiam tunc ad fidem converſam, *Tourn.* quia matrimonium prius cum infideli contractum fuit per ſecundum cum fideli legitime diſſolutum; bene autem ſi infidelis converteretur, antequam fidelis tranſeat ad ſecundas nuptias; quia tunc utriſque converſis conjugibus lex non favet; & qui ante baptiſmum plures dimiſerit uxores per libellum repudii, tenetur redire ad pri-

primam ; quia Matrimonium cum aliis fuit nullum ; nec diſſolvitur conſentiente infideli , fidelem pacifice ſine injuria creatoris , ac ſine peccato ſibi cohabitare ; quia 1. *Cor.* 7. Apoſtolus ita videtur præcipere : his tamen temporibus , Eccleſia mentem Apoſtoli interpretante , Jure divino poteſt diſſolvi ; quia ſemper evidens videtur eſſe perverſæ vitæ periculum , & Creatoris contumelia ex conſortio cum infideli , *Sanch. & alii apud Tourn.* nec hodie iis cohabitare permittitur , *Cap. Judæi . & cap. ſeq.* proles autem doli capaces ſuæ libertati relinquendæ , incapaces , vel in dubio ſequi debent conditionem converſi , *Cap. ult. de converſ. infid.* licet attento jure communi infantes minores triennio apud matrem , & majores apud patrem eſſent educandi . Nec diſſolvuntur Matrimonia hæreticorum , converſa una parte ad Fidem catholicam , *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *Can.* 5. niſi cum aliquo impedimento dirimente , vel pacto libelli repudii , vel alia conditione contra ſubſtantiam Matrimonii eſſent contracta . 2. Potuit diſſolvi Matrimonium Judæorum diſpenſatione divina , ob duritiam cordis ipſorum conceſſa , per libellum repudii a viro ſolum ob legitimas cauſas uxori traditum , ut licite alium ducere potuerit , *Deut.* 14. 3. Diſpenſatione duntaxat divina diſſolvi poteſt Matrimonium ratum , etiam fidelium per ſolemnem , in Religione a Sede Apoſtolica approbata profeſſionem , *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *Can.* 6. quia in amore ſolum , ac jure promiſſo conſiſtens ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia ſolum per amorem , & gratiam , quæ in membris ſubinde diſſolvitur : non vero per votum ſimplex caſtitatis , *Alex. cap. meminimus . tit. qui cler.* nec per vota ſcholaſticorum , vel coadjutorum Societatis Jeſu , *P. Gerv. Tourn.* quia ſunt ſimplicia , nec eos conſtituunt immobiliter Religioſos , licet contrahendum reddant invalidum , quamdiu durant , ut dicetur infra ; bene autem per vota Equitum Ordinis Melitenſis , *Tourn. P. Gerv.* quia ſunt veri , ac permanenter Religioſi , quamvis non cohabitent ; nec ſi infra bimeſtre copula vi fuerit extorta ; quia Matrimonium vere fuit conſummatum , dummodo fuerit perfecta ; poteſt tamen injuriam paſſus profiteri Religionem altero invito ; quia ob violentiam non debet privari jure ſuo ; non vero manens in ſæculo nubere alteri ; quia , cum Matrimonium ſit conſummatum , non diſſolvitur ; copula vero vi extorta poſt bi-

bimeſtre, non poteſt amplius Religionem ingredi altero invito; quia non habuit jus negandi debitum, nec injuriam patitur: ſi tamen poſt plures menſes, vel annum Matrimonium non ſit conſummatum, quilibet poteſt adhuc valide profiteri Religionem, & diſſolvi Matrimonium; quia jura ſtatuunt ſine limitatione, Matrimonium ratum profeſſione religioſa diſſolvi, exigente tamen altera parte debitum elapſo bimeſtri, tenetur reddere: antea vero cogitans, vel non cogitans Religionem ingredi, non tenetur reddere infra bimeſtre, & eam cogens graviter peccat; quia poſſet mutare animum, & non tenetur ſibi præcludere aditum ad ſtatum religioſum. Ingreſſa una parte Religionem contracto Matrimonio rato poſt annum duodecimum, compars exſpectare debet ſine mutatione ſtatus uſque poſt annum decimum ſextus; quia antea non poteſt profiteri, *Conc. Trid.* teſtanti juramento; Matrimonium ſe non conſummaſſe, creditur, ſi virgo ſit, vel corrupta, & non traducta in domum ſponſi, ſecus ſi corrupta fuerit traducta; quia eſt ſuſpecta. Obtinens diſpenſationem profeſſionis poſt Matrimonium ratum emiſſæ, poteſt contrahere cum alio, etiam vivente priore adhuc conjuge ſine ſtatus mutatione, *Durand.*, *& alii*; quia prius Matrimonium fuit vere diſſolutum, ſicut miraculo a morte reſuſcitatus non tenetur redire ad primas nuptias, ſed poteſt contrahere cum alia, *Tourn.* nec diſſolvitur per ſacri Ordinis ſuſceptionem; *Joan. XXII. extravag. antiq. vot.* quia per Ordinis ſacri ſuſceptionem non moritur civiliter, ſicut Religioſus per profeſſionem, *S. Thom.* nec per ſolum Religionis ingreſſum; quia pars in ſæculo manens exſpectare debet profeſſionem. Matrimonium ratum probabilius nec a Papa diſpenſari poteſt, *Alex. III.* quia etiam Matrimonium ratum Jure divino eſt indiſſolubile, niſi profeſſione religioſa; nec poteſt per adulterium diſſolvi Matrimonii vinculum; qui ita definivit Conc. Trid. *Seſſ. 24. Can. 7.*

Quær. 10. *An conjuges teneantur cohabitare?*

Dico. Conjuges regulariter tenentur alterutro exigente ſub mortali in eadem domo cohabitare, eadem menſa, ac thoro uti, quia ratio Matrimonii, quæ eſt individua vitæ ſocietas, Lex divina eos conjungens, ac legitima prolis generatio, & educatio id exigunt, niſi legitima auctoritate, vel ratione excuſentur; ad virum ſpectat determi-

nare

nare locum habitationis, uxorque per ſe tenetur eum ſe- qui patriam, vel domicilium mutantem; non vero perpetuo vagantem, niſi præſciviſſet; quia vir eſt caput familiæ; niſi in contractu Matrimonii locus habitationis fuiſſet ſtipulatus; quia tunc vir ſine cauſa neceſſaria illam mutare nequit.

Hinc 1. Poteſt vir ad breve tempus, etiam invita uxore, ab ea diſcedere juxta prudentis arbitrium, recreationis, vel peregrinationis, aut alterius negotii cauſa, ſecluſo periculo incontinentiæ; nec tenetur uxorem ſequi volentem ſecum ducere; non vero uxor ſine viri licentia, *P. Gerv.* quia eſt ſubdita viro. 2. Poteſt vir per longum tempus diſcedere ex gravi cauſa pro alenda familia, vel alio notabili illius emolumento, pro conſervatione bonorum, pro agenda lite, vel bono publico ex mandato Principis, Legationis, vel militiæ cauſa quo in caſu non tenetur uxor maritum ſequi, niſi vellet alibi per longum tempus commorari; quia tunc non ſolum tenetur, viro exigente, ſequi, ſed etiam vir tenetur, ſponte ſequi volentem ſecum ducere, *Cap. quod ſuper. de col.* modo ipſi ſuppetant neceſſariæ expenſæ pro uxore ſecum ducenda; imo uno conjuge in exilium miſſo, tenetur alter ſequi; quia nihil tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris virum, vel uxorem viri participem eſſe, *Leg. ſi cum dot. §. ſi merit. ff. ſolut. Mat.* capto tamen viro ab hoſtibus non tenetur uxor eum adire, ſed eum redimere; quia captivitas poteſt eſſe uxori nimis moleſta. 3. Viro nullibi figente domicilium, non tenetur uxor eum ſequi, ſed potius ipſe a tali vagandi modo debet deſiſtere, quia uxori nimis eſſet oneroſum, niſi uxor ante Matrimonium præſciverit: quia tunc conſenſiſſe cenſetur. 4. Uxorem ex neceſſitate, vel ſanitatis cauſa habitationem alio transferentem tenetur vir ſequi, *Tamb. & com.* niſi eſſet affecta morbo contagioſo; quia tunc licet poſſit cohabitare; quia prævalet Matrimonii amor, & evitatio periculi incontinentiæ; non tamen tenetur cum probabili infectionis periculo; quia nimis eſſet moleſtum; nec poteſt ei cohabitare cum probabili vitæ periculo; quia non eſt vitæ ſuæ Dominus; bene autem ſecluſo mortis periculo, *cap. 1. & 2. de conjug. lep.* 5. Tenetur maritus alimenta, & veſtimenta uxori; quia in hunc finem accipit dotem vel etiamſi ſponte non dotatam duxerit; quia in hoc conſenſit; vel

ſi dos ſine culpa uxoris pereat, vel illius ſolutio reddatur impoſſibilis; quia eſt inculpabilis; ſecus ſi poſſet ſolvi, vel ipſa ſine culpa mariti ex levitate, vel malitia a marito diſceſſerit; quia tunc eſt in culpa, niſi redire intendat, *Sanch.* vel ſi bona uxoris ex ipſius culpa Fiſco fuiſſent addicta; quia tunc eam alere tenentur parentes, ſi ſint divites, vel maritus, ſi ſint pauperes; quia id exigit amor conjugum reciprocus; ſimiliter ſi maritus ſit inops, vel bonorum jacturam fecerit, vel ex delicto in exilium delegatus, vel carceri incluſus, aut triremibus mancipatus, & bonis propriis careat, tenetur eum uxor ex ſuis bonis etiam extra dotem alere; ſecus ſi ſine culpa uxoris ab ea receſſerit, niſi forte pœnitentia ductus redire velit; tunc licet adhuc extra domum degat, ſicut uxor redire volens, ſuſtentari debet; non tamen tenetur uxor ſolvere debita mariti, niſi præciſe pro uxoris, ac familiæ ſuſtentatione contracta; quia tunc videtur obligari ſaltem ad partem, *P. Gerv.*

Quær. 11. *Quibus ex cauſis poſſit fieri divortium?*

Dico. Divortium perpetuum tribus ex cauſis fieri poteſt, videlicet, 1. ob culpabile, & moraliter certum, & perfectum unius conjugum adulterium, *Matth. cap.* 5. *&* 14. quia frangenti fidem non eſt fides ſervanda. 2. Per adulterium ſpirituale; hæreſim ſcilicet, & apoſtaſiam poſt unam, aut alteram admonitionem pertinaciter perſiſtentem, *cap. ult. de converſ. conjug.* etiamſi non ſolicitet ad hæreſim; *cap. cit.* quia ſemper imminet periculum, vel perverſionis in conjuge, vel infectionis in prolibus; accedente tamen Judicis ſententia; quia alias non eſſet perpetuum. 3. Per Religionis ingreſſum conſentiente tamen, & Religionem etiam ingrediente comparte, ſi juvenis ſit, vel vovente caſtitatem, ſi ſenex, nec ſuſpecta ſit de incontinentia, *cap. cum ſis de converſ. conjug.* & conſentiente Epiſcopo, ſaltem ut licite fiat; *P. Gerv.* quia ita uſus obtinuit. Divortium vero temporale etiam fieri poteſt tribus ex cauſis, 1. ob ſolicitationem ad quodcunque crimen grave, poſt admonitionem reiteratam; quia vergit in detrimentum ſpirituale ſalutis alterius conjugis, omnibus aliis obligationibus præferendæ. 2. Ob imminens gravis damni corporalis compartis periculum; quia Matrimonii ſocietas non obligat cum tanto incommodo. 3. Mutuo conjugum conſenſu, modo abſit incontinentiæ, vel alterius

gra-

gravis incommodi periculum; imo aliquando etiam gravis eſt divortii faciendi obligatio, nimirum, 1. ob ita evidens perverſionis periculum, ut moraliter impoſſibile ſit reſiſtere. 2. Si nocens alio modo emendari nequeat. 3. Si nocentem retinens ſceleris patronus haberetur, *cap. ſi vir. de adult.* facto autem divortio, liberos alere debet innocens, *Authent. ut liceat*, §. *illud coll. 8.* impenſis tamen rei, etiamſi innocens habeat media, *Baſſ. Sanch. & alii apud P. Gerv.* niſi, 1. parens innocens ſit infidelis; quia tunc debet fidelis educare prolem. 2. Si mulier tranſeat ad ſecundas nuptias, ſuppoſito, quod primum fuerit nullum; quia tunc tenetur pater. 3. Si mater ſit cauſa divortii, & dives, vir vero pauper; quia tunc tenetur mater.

Hinc 1. Legitimum fit, ac perpetuum divortium probato coram Judice adulterio unius conjugis, vel hæreſi cum pertinacia, vel per profeſſionem legitime factam conſentiente, & ſimul profitente altera parte, ſi ſit juvenis, vel caſtitatem vovente, ſi ſit ſenex, & non ſuſpecta de incontinentiæ periculo. Non vero poteſt fieri divortium, 1. ſi conjux violenter fuerit oppreſſa, vel bona fide, ſuppoſita morte proprii viri, alteri nupta; vel ab alio pro proprio viro habito latenter cognita; vel ſi unus in alterius adulterium conſenſerit, vel illud toleraverit, cum impedire potuiſſet, vel vir uxorem ipſemet proſtituerit, *cap. 6. de eo, qui cogn.* vel ſi vir occaſionem ad illud dederit denegando, ad vitam neceſſaria, vel eam e domo expellendo, vel alia duriori, & injuſta ratione cum ea agendo, *Tourn.* vel ſi injuriam adulterii remiſerit, expreſſe, vel tacite, eam ad ſocietatem thori admittendo, vel aliis ſignis condonando, *cap. ſi illi*; vel ſi uterque adulteraſſet, *cap. 4. de divort.* etiam divortio jam facto, *P. Gerv.* quia tunc debent reconciliari; vel etiamſi unus gravius, vel pluries lapſus, eſſet altero, niſi poſt reconciliationem iterum eſſet lapſus, *Billuart*; quia tunc nova eſſet ratio divortii; vel ſi mulier in infidelitate accepto libello repudii alteri fuiſſet nupta, utroque poſtmodum converſo, tenetur prior vir eam recipere, *Innoc. III. cap. gaud.* quia non debet ut adultera puniri, quæ legum publicarum licentia alteri nupſit; nec ſufficiunt ſolum tactus, amplexus, oſcula, mollities, vel pollutio cum tertia, *Sanch. & com.* nec ſola vaſis ſine ſeminatione penetratio, *P. Gerv.* nec ſodomia ſaltem imperfecta, id eſt ſine ſeminatione, *Bill.*

S 3 quia

quia in prædictis non eſt completa carnis diviſio, benè autem beſtialitas, ſodomia perfecta, id eſt cùm ſeminatione, *P. Paul. Lugd. Billuart.* 2. Nec poteſt fieri divortium propter hæreſim, ſi unus unico duntaxat actu infidelitatis lapſus ſit, *Billuart*; quia debet eſſe pertinax; nec fit compenſatio, ſi uterque lapſus ſit in hæreſim, *Sanch.* vel unus in hæreſim, & alter in adulterium, *ibid.* quia jure non ſtatuitur. 3. Nec fit divortium legitimum Matrimonii conſummati per profeſſionem religioſam non conſentiente altera parte, & profeſſa tenetur redire ad alteram non conſentientem, vel ſponte, vel quod tutius eſt, Judicis ſententia, *Tourn.* nec reverſus ad uxorem tenetur ea mortua redire in monaſterium, *cap. quidem*; ſed poteſt nubere alteri; quia profeſſio fuit nulla; nec convaleſcit profeſſio, ſi compars poſtea conſentiat, vel moriatur, vel profeſſum non repetat, vel labatur in adulterium, & amittat jus cohabitandi, niſi obtenta licentia, vel facto legitimo divortio, renovetur profeſſio: nec poteſt manens in ſæculo, invito invalide profeſſo, Religionem ingredi; quia profeſſio nulla non eſt cauſa divortii perpetui; valeret tamen profeſſio cum conſenſu compartis profeſſi, etſi in ſæculo relictus non ſervet conditiones ſuas, vovendo Religionem, vel caſtitatem; & ſi profeſſus cum conſenſu comparti auctoritate legitima ob periculum incontinentiæ compartis revocatur, poteſt reddere, non vero petere debitum, & eo mortuo tenetur redire ad Religionem, *Tourn.* quia non ſervato integro juris ordine ſuſpenditur duntaxat voti obligatio, & votum ex ſua parte in quantum poteſt, ſervare debet.

Hinc 2. Poteſt, & aliquando debet fieri divortium ſaltem temporale, 1. ſi unus conjugum alterum ad congreſſum ſodomiæ, pollutionem, uſuras, fraudes, homicidia, furta, veneficia, hæreſim, &c. periculoſe ſolicitaret, vel cogeret, *cap.* 3. *&* 6. *de divort.* perverſaque prolis educatio probabiliter timeretur. 2. Si adultera admonita ſine ſpe emendationis in eodem crimine pergat, ſcandalum, ac ſuſpicio turpiſſimi Lenocinii oriatur, *cap. ſi quis vel ipſe*; quia tantis malis vix aliud ſufficit remedium, & quilibet tenetur conſulere propriæ ſuæ ſaluti. 3. Ob immoderatam ſævitiam, perpetuam diſcordiam, jurgia, & duriorem tractationem, ut verberum, mutilationis cum ſcandalo, & offenſione vicinorum; ob copulam, & cohabitationem pericu-

riculoſam, ut ratione morbi contagioſi, amentiæ, furoris, &c. quia Matrimonium non tollit jus vitandi proprium periculum animæ, & corporis: non ſufficit tamen leve damnum, vel diſcordia; quia hæc pro conſervanda fide conjugali patienter perferenda ſunt, alias nimis frequenter fierent divortia; nec ſi gravioris mali adhibitum fuerit remedium, uti certa ſumma ſolvenda, & oppignorata a damnum ſævum inferente, nullo autem reperto ſævitiæ remedio, poteſt a Judice perpetuum etiam fieri divortium, *Sanch.*

Quær. 12. *An divortium propria poſſit fieri auctoritate?*

Dico. Licet conjux a ſua comparte adultera, hæretica, ſcandaloſa, nociva, &c. propria poſſet auctoritate quoad thorum ſeparari, denegando ei debitum; quia fit occulte, & ad illius emendationem; non poteſt tamen ab ea ſeparari quoad habitationem, niſi accedente Judicis eccleſiaſtici ſententia, *cap. porro de divort.* quia, cum ordinarie ſit publica, privata auctoritate non poteſt fieri ſine ſcandalo, perturbatione ſocietatis, & ſæpe ſine temeritate, & periculo in propria cauſa graviter errandi, niſi periculum graviſſimi mali ſit in mora, nec ullus eſſet ad Judicem acceſſus, vel occulte, ſecluſo ſcandalo, fieri poſſet, & de cauſa ſufficienti certo conſtet, *Sanch. apud P. Gerv.*

Hinc: graviter peccat ex levibus adulterii conjecturis ſocietatem thori diſrumpens, vel deprehenſo in adulterio conjuge, vel alia ratione, non exſpectata Judicis ſententia, aufugiens, vel illum expellens; non vero peccat auctoritate privata ſe a thoro ſeparans, delicto moraliter certo; nec aufugiens, ſi mortis periculum, vel mutilationis, aut lapſus in gravia ſcelera immineat; quia neceſſitas urgens recurſum ad Judicem non patitur; nec occulte ſine ſtrepitu, & ſine ſcandalo eum deſerens, ſub prætextu peregrinationis, militiæ, mercaturæ, vel etiam publice, ſi poſt unum, aut alterum annum abſentiæ mariti uxor pariat, vel notorie gravida appareat; quia in utroque caſu ceſſat perturbationis, ſcandali, ac infamiæ periculum, cum in priori divortium ſit occultum, & in ſecundo cauſa publice notoria nulla tergiverſatione celanda, ſavetque huic opinioni, *Cap. ex parte de ſponſ.* in foro tamen externo divortium publicum ſine Judicis auctoritate vix ſubſiſtit.

Quær. 13. *An lata divortii ſententia, ſtatum mutare, vel propria auctoritate poſſint reconciliari?*

Dico. Poſt latam divortii perpetui ſententiam poteſt pars innocens mutare ſtatum; non autem pars nocens, quamdiu pars innocens jus retinet ipſam revocandi; nec tenetur per ſe pars innocens poſt ſolemne, ac perpetuum divortium partem nocentem, etiam pœnitentem, & emendatam ſuſcipere, niſi per accidens ex charitate erga ſe, vel compartem, ſi in ſe, vel comparte proximum agnoſceret incontinentiæ periculum, præcipue ſi occulte, & non ſæpe ſit lapſa, *Cap. vir. tit. de adult.* quia tunc emendatio illius ſincera, ac ſtabilis creditur: poſt latam vero temporalis divortii ſententiam, neuter conjugum ſtatum cum Matrimonio incompoſſibilem aſſumere poteſt; quia pars innocens partem nocentem ſufficienter emendatam iterum ſuſcipere tenetur, & nocentem ad reconciliationem compellere poteſt, etiam implorato Judice, & nocens petitus ab innocente in conſcientia ad eum redire tenetur; quia ſeparatio innocentem non gravare debet, poteſtque reconciliatio propria fieri auctoritate, *P. Gerv.* quia nulla lex obſtat.

Hinc: poteſt poſt factum divortium perpetuum pars innocens invita altera vovere continentiam, ingredi, & profiteri Religionem, ſacros ſuſcipere Ordines; non vero pars nocens; niſi mulier in Monaſterium a Judice ſæculari detruſa intra biennium a marito non repetatur. *Authent. ſed hodie ad leg. Jul.* quia conſentire videtur; vel ſi ſciente, & non contradicente innocente ſtatum mutet, vel diligenter, id eſt trina, vel una pro trina vice admonitus reconciliari noluerit, *Cap. gaud. de conv. conjug.* quia conſentire, vel irrationabiliter conſenſum negare præſumitur; nimis enim durum eſſet, nocentem ſemper tenere ſuſpenſum, *P. Gerv.*

Quar. 14. Qualis ſit Obligatio reddendi, ac petendi debitum; quando jus petendi debitum amittatur; & a quo amiſſum diſpenſari poſſit?

Dico. Gravis eſt obligatio ſub mortali contra juſtitiam reddendi debitum rationabiliter, ac ſerio explicite, vel implicite quibuſdam ſignis petenti, niſi aliqua rationabilis cauſa excuſet; quia debitum eſt res vi contractus Matrimonii ex juſtitia debita, & ita jubet Apoſtolus. 1. *Cor.* 7. niſi jus petendi amiſerit, quod fit, 1. per adulterium innocenti notum. 2. Per affinitatem ex fornicatione cum conſanguinea conjugis in primo, vel ſecundo gradu ſupervenien-

venientem; 3. Per cognationem ſpiritualem cum conjuge ex baptiſmate, vel in confirmatione ſubortam. 4. Per votum ſimplex caſtitatis ante, vel poſt Matrimonium emiſſum. Nunquam tamen per ſe gravis eſt obligatio petendi debitum; quia nemo per ſe tenetur uti jûre ſuo, bene autem per accidens graviter, vel leviter prout charitas magis, vel minus urget, 1. ſi ex ſignis quibuſdam judicet, compartem illud deſiderare, vel illo carere, moleſtum eſſe, & ex verecundia illud exigere non audere. 2. Dum unus conjugum advertit in altero incontinentiæ periculum. 3. Dum ad fovendum mutuum amorem reddere debitum judicatur neceſſarium. 4. Dum prolis generatio valde neceſſaria ſit bono publico, ut in Principibus, &c. vel paci familiæ; quia charitas ita dictat. Imo aliquando nec petere, nec reddere licet; quia ratione impedimenti dirimentis antea incogniti, vel Matrimonio ſupervenientis, vel alia cauſa, vel circumſtantia, copula poteſt fieri illicita. Poſſunt Epiſcopi diſpenſare circa omne impedimentum petendi debitum Matrimonio legitime contracto exortum, ut ex inceſtu, affinitate, &c. *Tourn. P. Gerv. & com.* quia ita conſuetudine eſt receptum, & alii ab iis ad id deputati; an autem etiam Religioſi mendicantes diſpenſare poſſint, ut docet Tournely *Tom.* 4. *de cenſ. & diſpenſ.* in impedimento ex voto caſtitatis ante Matrimonium emiſſo proveniente, eos diſpenſare poſſe, Matrimonio jam conſummato, & P. Gervaſius, ac Bonagratia etiam in aliis Matrimonio jam contracto ſupervenientibus, incertum videtur; quia nulla certa ratione probatur. Unde in praxi ſecurius eſt, ut diſpenſatione indigentes ad Epiſcopum, vel alios ab eo diſpenſandi poteſtatem habentes mittantur, vel pro iis diſpenſatio petatur.

Hinc 1. Graviter peccat ſpeciali peccato injuſtitiæ in confeſſione explicando, ſe reddens impotentem ad debitum pollutionibus, adulteriis, ebrietatibus, nimis indiſcretis macerationibus; ſimiliter uxor ſaltem venialiter, *P. Paul. Lugd.* indiſcretis abſtinentiis, ac mortificationibus ſe deformem, & marito exoſam exhibens, niſi inde præberet ei occaſionem accedendi ad aliam, vel ſecum peccandi; qui tunc poſſet eſſe mortale; cum teneatur impedire peccatum alterius; non tamen abſtinere ab abſtinentias & maceratione moderata; licet minus potens, vel grata fieret; quia non cenſetur, ſe obligaſſe ad omittendum modera-

tum

tum virtutis exercitium cum detrimento ſuæ ſalutis. 2. Si unus conjugum diu ſit abſens, præcipue ſi immineat periculum incontinentiæ, niſi urgens familiæ neceſſitas excuſet, vel negotia fuiſſent a comparte prævisa, ducendo v. g. militiæ Officialem, Aulicum, &c. quia cenſetur conſenſiſſe. 3. Negans debitum ad vitandum prolium multiplicitatem; quia hic eſt finis Matrimonii; vel ob paupertatem, vel metum impotentiæ eas ſuſtentandi; quia melius eſt ſic eſſe, nempe inopem, quam penitus non eſſe, Deique providentiæ confidendum, niſi mutuo conſenſu fiat. 4. Debitum etiam ob communionem intentam negans, ſi abſolute petatur, vel in comparte periculum incontinentiæ advertat, &c. quia prævalet juſtitia de votioni.

Hinc 2. Non peccat negando debitum. 1. ſi conſtet alterum conjugum eſſe adulterum, hæreticum pertinacem; quia jus petendi amiſit. 2. Si ſecluſo incontinentiæ periculo benevole, amicabiliter, & non ut debitum juſtitiæ petatur, vel frigide, remiſſe, ita, ut dilationem, vel negationem non curare cenſeatur, quod pro viris facilius, quam uxoribus admittitur; quia iſtæ ſæpe ob verecundiam urgere non audent; modo abſit incontinentiæ periculum. 3. Si petens non ſit ſui compos, ut ebrius, amens, quia in hoc ſtatu non petit rationabiliter; niſi majus malum, ut probabile iracundiæ, blaſphemiæ, vel pollutionis periculum timeatur; quia tunc tenetur ex charitate reddere. 4. Si ex redditione proximum vitæ, vel gravis morbi, ut venerei, lepræ, &c. periculum probabiliter timeatur; quia unus conjux non habet poteſtatem in corpus alterius, niſi ſalva conſiſtentia ſui, vel ipſius corporis, *S. Thom.* etiamſi eſſet periculum incontinentiæ; quia alia via ſibi conſulere poteſt; non ſufficit tamen ſolum periculum remotum, ut ſi in partu ordinarie periclitaretur, niſi judicio Medicorum ex partu in probabili mortis periculo conſtitueretur, *S. Thom.* 5. Si petatur tempore importuno, ut fluxus menſtrui, vel puerperii, &c. vel non ſalva debita honeſtate. 6. Si nimis frequenter petat, ita, ut alter conjux illud reddere ſit impar; ut ſi ter, quaterve peteret in eadem nocte, *Billuart*; nec peccat, ſi parum differat ſecluſo periculo incontinentiæ in mora, vel ſi raro neget, *P. Gerv.* 7. Si non poſſit reddere ſine gravi ſui incommodo; non tamen ſufficit levis febris, dolor dentium, vel infirmitates prægnantibus, & parturientibus

tibus communes. 8. Nec in primo bimeſtri poſt initum Matrimonium; quia habent libertatem deliberandi.

Hinc 3. Peccat graviter petendo, vel reddendo, 1. ſi moraliter conſtet de nullitate Matrimonii; quia eſſet fornicatio. 2. Si uterque cum dubio de valore Matrimonii contraxerit, vel bona fide contracto, de valore Matrimonii uterque dubitet, factaque debita inquiſitione, v. g. an prior maritus ſit mortuus, dubium adhuc ſubſiſtat; quia periculo fornicationis ſe exponerent; ſi vero unus duntaxat dubitaſſet, tenetur reddere alteri, qui bona fide contraxit, *Luc. III. cap. dum. de ſecund. nupt.* quia negando ſe exponeret periculo injuſtitiæ, quod majus eſt periculo fornicationis; ſecus ſi uni certo conſtet, Matrimonium eſſe nullum; quia eſſet fornicatio, *Billuart.* 3. Si ambo ante, vel poſt Matrimonium voverint caſtitatem, vel unus cum alterius conſenſu, *Cap. 1. de conv. conjug.* quia Deo promiſſa ſervare, cum ſine injuſtitia poſſint, tenentur: ſi tamen unus ſolum altero inſcio voviſſet, tenetur reddere alteri; quia hic non privatur jure ſuo alterius voto; nec privatur redditione, & petitione, qui conſummato Matrimonio voverit Religionem, vel ſuſcipere Ordines, quia non eſt votum actuale caſtitatis ſed ſolum futuræ promiſſio in Religione, vel in ordinis ſuſceptione; mortua tamen conjuge tenetur ingredi Religionem vel ſuſcipere Ordines, vel Matrimonio ſolum rato ingredi Religionem, non vero ſuſcipere Ordines; quia per profeſſionem religioſam diſſolvitur Matrimonium ratum, non vero per Ordines. 4. Si ambo contraxerint impedimentum affinitatis in primo, vel ſecundo gradu ex adulterio, v.g. mariti cum ſorore uxoris, & uxoris cum fratre mariti, *Cap. 1. & 10. de eo, qui cogn.* niſi vi fuiſſet ab eo oppreſſa; quia non eſſet culpabilis, vel fratrem eſſe mariti ignoraverit; quia non eſſet inceſtus formalis; bene autem ſi ex metu, etiam gravi, non totis viribus reſtitiſſet; quia, cum hoc ſit intrinſece malum, eſt culpabilis, vel ſolum legem privationis petendi debitum ignoraverit; quia peccantes etiam pœnas ignoratas incurrunt: ſi vero unus duntaxat contraxiſſet affinitatem; tenetur reddere innocenti, *Innc. III. cap. 6.* quia alter ſine culpa non debet privari jure ſuo; ſecus ſi in copulam inceſtuoſam conſenſiſſet; quia tunc uterque eſt in culpa. 5. Si ambo contraxerint cognationem ſpiritualem ex baptiſmo, vel confirmatione, ſine neceſſitate ſuos infantes

tes ſibi invicem baptizantes, vel e baptiſmo levantes, vel in confirmatione aſſiſtentes, ignorantes tamen hanc legem, nec illius pœnam incurrunt; quia non peccant, & pœna abſque culpa non videtur juſta, *Bill.* & ſi unus ſolum contraxiſſet cognationem ſpiritualem, tenetur reddere alteri; quia iſtius culpa non debet alteri imputari. 6. Si copula ex utraque parte eſſet illicita ex circumſtantia ipſum actum afficiente; ut in loco ſacro, vel publico, vel in vaſe in debito, vel cum abortus periculo, vel gravis detrimenti corporis, vel animæ; quia actus ratione ſacrilegii, vel ſcandali, homicidii, vel contra vas eſt in ſe malus. 7. Si petenti petere graviter prohibitum ſit, ut ſi voto ſit ligatus, vel affinitate, aut cognatione ſpirituali; quia eſſet cooperari illius peccato; poteſt tamen ab eo petere, & convertere redditionem in petitionem, vel eum petendo, prævenire, ut impediat illius peccatum; poteſt etiam reddere, ſi illicite petat ſolum ob malam voluntatem, puta malo fine; vel ſi copulam perficeret fruſtrando ſemen, quia ob malitiam alterius non privatur jure ſuo; vel ſi ſolum cum veniali petat; quia datur ordinarie cauſa excuſans in reddente, ut ne diſpliceat petenti, vel odium, vel rixas cauſet, vel ut graviora mala, ut acceſſum ad aliam, &c. impediat; vel ſi adulter notus petat; quia licet amiſerit jus petendi, poteſt tamen ſine peccato amicabiliter petere, & innocens cedere juri ſuo; vel ſi uxor enitatur fœtus mortuos, poſſet petere, & reddere, præcipue, ſi aliqua ſpes eſſet vivos pariendi, prout fere ſemper eſt adhibitis cautelis, *Tamb.* non tamen teneretur, *Sanch.* quia videtur ob tantum periculum corporale, ac ſpirituale prolis poſſe abſtinere, imo nec licere, putat Billuart, Nec peccat reddendo tempore menſtrui, & puerperii, & petendo non niſi venialiter peccat, *Cajet. Nav. & alii*, quia eſt aliquod, ſed raro, periculum prolis vitioſæ; nec venialiter peccat reddens, ſi uxor ſit gravida, ſecluſo periculo abortus *Sanch. Bonac.* nec petens ſine honeſto; quia nimis grave, ac periculoſum eſſet tanto tempore abſtinere, & Apoſtolus videtur id permittere pro remedio incontinentiæ, 1. *Cor.* 7.

Quær. 15. *Quænam requirantur conditiones, ut actus conjugalis ſit licitus?*

Dico. Actus conjugalis, ut licitus, ac honeſtus ſit, debet 1. exerceri ſine honeſto, nempe generandæ prolis cau-

ſa;

ſa; quia Matrimonium ad hunc a Deo eſt inſtitutum, vel debiti reddendi gratia; quia eſt actus juſtitiæ, vel pro remedio incontinentiæ in ſe, vel comparte; quia eſt actus charitatis licitus, cum & Apoſtolus dicat, 1. Cor. 7. *propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat*; vel ex affectu, quo vir, & uxor naturaliter afficiuntur, modo in hoc, & prædictis libidinis inordinatio, & exceſſus excludantur, nec in illius delectatione, ut fine ultimo ſiſtant, *Innoc. XI.* quia talis effectus, utpote naturalis, videtur honeſtus, nec rationi, nec fini Matrimonii, quod eſt vinculum amoris, repugnat, *Thom. ex Charm.* 2. Debet ſervari modus ſubſtantialiter debitus nempe vas naturale, immiſſio, & retentio ſeminis; quia ſunt ſubſtantialia ad finem generationis, quibus ſervatis reliqua accidentalia circa ſitum, modum, inordinata, plerumque non niſi venialia ſunt. 3. Exerceri debet in loco, ſitu, ac tempore debito, videlicet in loco ſecreto, tempore nocturno, uxore ſuccumbente viro, quia ita verecundia, honeſtas, ac ratio dictat, quæ tamen non cadunt ſub præcepto gravi, ſecluſo ſcandalo; nec peccant per quoſcunque tactus, aſpectus, oſcula, amplexus, turpiloquia libidinoſa, ſecluſo polutionis periculo, & intra terminos honeſtatis naturalis, ſi fiant ex intentione copulæ; quia ſunt medium ad finem honeſtum, & venialiter duntaxat peccant, ſi ſine ordine ad copulam in iis ſiſtant; quia ſiſtere in voluptate veniale eſt, *Innoc. XI.*

Hinc 1. Venialiter peccat exercens actum conjugalem ſolius voluptatis cauſa, vel cum fine honeſto in Matrimonii actu delectationem immoderatam, ac inordinatam rationem obſcurantem intendens, vel ei conſentiens; quia ut ſic eſt turpis, & inhoneſta; ſecus ſi ſolum permittat, illam impedire ob corruptionem naturæ non valens. 2. Graviter peccat in actu conjugali affectum ad aliam dirigens, ac in illius cogitatione turpi ſe delectans; quia eſt ſpecies adulterii interni, ſecus ſi in pulchritudine ſine illius deſiderio delectaretur, *Sanch.* periculoſum tamen, ac diſſuadendum eſt. 3. Graviter peccant peccato ſodomiæ imperfectæ, actum conjugalem in vaſe non naturali ſive conſummantes, ſive inchoantes cum intentione conſummandi in naturali, *Billuart*, alios vero tactus, oſcula, aſpectus libidinoſos inter conjuges præſentes ſecluſo pollutionis periculo communiter excuſant Auctores a mortali, & ſi fiant cum intentione copulæ etiam a veniali. 4. Graviter pec-

peccant conjuges ſemen fruſtrantes, vel ſe polluendo, ſive generationem impediendo, ſemen receptum ejiciendo, aut ejicere conando, ſe ex induſtria retrahendo ante ſeminationem, niſi hoc alio fine faciant fini Matrimonii non contrario, & ſecluſo in utroque periculo pollutionis, *Cajet. Palud. Bill. & alii*; nec vir poſt ſeminationem expectare tenetur uxoris ſeminationem, *Billuart*; ſed poteſt uxor adhuc poſtea ſe ad id excitare manibus; quia eſt ejuſdem actus conjugalis conſummatio, *ibid.* ſed nimis abſurde, præcipue, cum ad generationem communiter non cenſeatur neceſſaria. Nec peccat, ſi ligitime congredi intendens ob ſenium, vel uxoris indiſpoſitionem extra vas præter intentionem ſeminet, *Cajet. Sanch.* quia feſtinationi naturæ corruptæ attribuitur. 5. Leviter peccat non ſervando ſitum debitum, ſecluſo periculo pollutionis, & ſervato vaſe naturali; quia eſt inverſio ordinis naturæ, niſi juſta ſubeſſet cauſa, ut uxore prægnante, ne proles ſuffocetur, *P. Gerv.* 6. Graviter peccant exercentes actum conjugalem, vel etiam tactus, & blanditias laſcivas in loco publico, vel coram infantibus, vel aliis hominibus; quia eſt ſcandalum; vel in loco ſacro, ſecluſa neceſſitate; quia eſt ſacrilegium; vel in die communionis in petente eſt ſaltem veniale; quia impedit devotionem: nullum vero ordinarie in reddente; quia eſt actus juſtitiæ; præcipue ſi carnales illecebræ imaginationi non inhæreant, nec devotionem impediant; nec in die feſti, quamvis mutuo conſenſu abſtinere laudabile ſit, *P. Gerv.* ſic tempore menſtrui non eſt niſi veniale; quia leve, ac raro duntaxat eſt periculum prolis vitioſæ, & nullum in reddente, quia juſta cauſa excuſatur; ſic ſi uxor eſt gravida, leve eſt in petente, *Billuart*; niſi fiat pro remedio incontinentiæ; quia deficit finis honeſtus, & nullum in reddente; quia ordinarie commode recuſare nequit, modo abſit periculum abortus. 7. Graviter peccant conjuges exercentes inter ſe tactus, amplexus, oſcula, aſpectus, turpiloquia, delectationes moroſas cum periculo pollutionis; quia ipſis graviter eſt prohibita; vel in proprio corpore in abſentia compartis, cum delectatione venerea, etiam ſecluſo periculo pollutionis; quia tendunt ad pollutionem; & venialiter inter præſentes, ſi in illis ſiſtant ſine intentione copulæ, vel ſi ad illam eſſent impotentes; quia ſiſtunt in voluptate; & nullum, ſi ſecluſo periculo pollu-

pollutionis immediate ad copulam referuntur; quia tendunt in finem naturalem, ac legitimum.

QUÆSTIO III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplicia ſint Matrimonii impedimenta?

Reſp. 1. IMpedimentum Matrimonii in genere eſt omne, quod obſtat, ne rite fiat. Aliud eſt impediens, quod reddit Matrimonium tantummodo illicitum, aliud dirimens, quod Matrimonium reddit nullum, ac irritum.

2. Quatuor de facto ſunt impedimenta Matrimonium impedientia hoc verſu contenta:

Eccleſiæ vetitum, tempus, ſponſalia, votum.

3. Quindecim ſunt impedimenta Matrimonium dirimentia, quæ his verſibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas.
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos.
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

Quæ in particulari definiuntur, ut ſequitur 1. Error eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex errore circa perſonam, vel circa qualitatem redundantem in perſonam.

2. Conditio eſt inhabilitas ad contrahendum orta ex ſervitute vera ignorata a parte libera.

3. Votum eſt inhabilitas ex voto caſtitatis in Religione approbata per ſolemnem profeſſionem facto.

4. Cognatio eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium inter perſonas, vel carnaliter, vel ſpiritualiter, vel legaliter propinquas; & eſt triplex, nempe conſanguinitas, quæ eſt vinculum perſonarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem tanquam a communi, & propinquo ſtipite per carnalem generationem deſcendunt. Illius linea eſt ordinata perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium collectio diverſos gradus continens. Gradus

eſt

eſt menſura diſtantiæ unius perſonæ ab alia in eadem conſanguinitatis ſcala. Alia eſt directa, quæ eſt ordinata ſeries earum perſonarum, quarum una ab altera procedit, ſive aſcendendo, ut a genitis ad genitores, & dicitur recta aſcendens; vel deſcendendo a genitoribus ad genitos, & dicitur recta deſcendens. Alia eſt indirecta, quæ continet perſonas deſcendentes quidem ab uno communi ſtipite, ſed quarum nulla deſcendit ab altera; ut frater, & ſoror a patre, conſobrinus, & conſobrina; & eſt æqualis, quando perſonæ, quarum cognatio quæritur, æqualiter diſtant a communi ſtipite, ut frater, & ſoror a patre; vel inæqualis, quando perſonæ inæqualiter diſtant a communi ſtipite, ut frater, & filia ſororis a patre. Triplex eſt regula pro cognoſcendis gradibus. Regula 1. pro cognoſcendis gradibus in linea recta eſt ſequens: tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ dempto ſtipite, a quo ducitur deputationis initium. Regula 2. pro linea collaterali æquali; tot gradibus duo diſtant inter ſe, quot ambo diſtant a communi ſtipite. Sic frater, & ſoror diſtant inter ſe uno gradu; quia uno diſtant a patre, qui eſt ſtipes. Regula 3. pro linea collaterali inæquali: tot gradibus perſonæ diſtant inter ſe, quot remotior diſtat a communi ſtipite. In jure vero civili etiam quoad lineas collaterales ſicut in directa, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, ſeu generationes ex utraque linea collaterali dempto ſtipite communi, ſic duo fratres ſunt in ſecundo gradu, filii fratrum in quarto, *Tourn.*

Cognatio vero ſpiritualis eſt propinquitas proveniens ex baptiſmi, & confirmationis collatione, & ſuſceptione in utroque Sacramento; & legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione perfecta conſurgens, adoptio vero perfecta eſt perſonæ extraneæ in filium, vel nepotem, &c. aſſumptio legitima auctoritate facta, hic tranſit in poteſtatem adoptantis, & in omne jus, ut filius naturalis, vel nepos, fitque hæres neceſſarius. Imperfecta eſt, per quam non tranſit in poteſtatem adoptantis, & licet fiat hæres, non tamen neceſſarius; adoptari poſſunt tam viri, quam fœminæ, modo ſui juris ſint, non vero mancipia. Adoptare vero poſſunt 1. ſolum viri, mulieres vero non niſi ex ſpeciali conceſſione Principis. 2. Illi ſoli, qui ſui juris ſunt. 3. Nati viginti quinque annorum. 4. Naturaliter potentes ad conſummationem Matrimonii. 5.

Octo-

Octodecim annorum majores adoptivo, *ita in Jure Sylvins*. In Gallia tamen adoptio perfecta non eſt in uſu, niſi forte, ubi jus ſcriptum viget, *Tourn.*

5. Crimen eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex homicidio, vel adulterio, vel utroque ſimul.

6. Cultus diſparitas eſt inhabilitas ad contrahendum inter perſonas, quarum una eſt baptizata, altera non baptizata.

7. Vis eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex metu injuſte incuſſo a cauſa libera in ordine ad Matrimonium contrahendum.

8. Ordo eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex ſuſceptione ſacrorum Ordinum.

9. Ligamen eſt vinculum prioris Matrimonii, ſive rati, ſive conſummati, quo durante, ſecundum Matrimonium Jure naturali, & divino eſt irritum.

10. Publicæ honeſtatis eſt propinquitas orta ex ſponſalibus validis, aut Matrimonio rato non conſummato etiam invalido, *ita in Jure*.

11. Amentia eſt inhabilitas ineundi Matrimonium defectu uſus rationis.

12. Affinitas eſt propinquitas orta ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita inter cognoſcentem, & conſanguineos perſonæ cognitæ, & viciſſim inter cognitam, & conſanguineos cognoſcentis. Hujus ſtipes ſunt perſonæ, quæ per copulam fiunt una caro, & gradus computantur, ut conſanguinitatis, & in eo gradu, in quo aliquis eſt conſanguineus viro, vel cognoſcenti, in eo eſt affinis cum uxore, vel cognita; affinitas autem non parit affinitatem.

13. Clandeſtinitas eſt inhabilitas ad contrahendum Matrimonium orta ex defectu præſentiæ Parochi, & duorum ſaltem teſtium.

14. Impotentia eſt inhabilitas ad contrahendum orta ex incapacitate conſummatam, & completam copulam exercendi. Alia eſt ab intrinſeco, ex frigiditate, vel defectu neceſſariorum ad copulam, alia ab intrinſeco, vel maleficio, aut hominum malitia, aut injuria. Alia perpetua, quæ abſque miraculo, vel peccato, aut vitæ periculo non eſt vincibilis; alia temporalis, quæ arte Medicinæ, aut Eccleſiæ poteſtate vinci poteſt; alia abſoluta, quæ eſt inhabilitas quoad omnes; alia relativa, quæ eſt inhabilitas reſpectu quarumdam tantum perſonarum.

15. Raptus generatim eſt fœminæ abductio de loco in locum vi, aut ſeductione facta Matrimonii ineundi, vel libidinis explendæ cauſa. Unde raptus alius eſt violentiæ, quando filiafamilias renitens educitur e domo paterna; & ſeductionis, quando filiafamilias blanditiis, & promiſſis ſeducta conſentit ſuæ aductioni non conſentientibus parentibus, ſub quorum eſt poteſtate. Sub nomine parentum comprehenduntur etiam tutores.

Quær. 2. Quiſnam impedimenta Matrimonium impedientia, vel dirimentia inſtituere poſſit?

Dico. Eccleſiam jus, & auctoritatem habere ſtatuendi impedimenta Matrimonium impedientia, ac dirimentia, de fide conſtat, *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *Can.* 4. quam poteſtatem etiam habet S. Pontifex pro univerſa Eccleſia, *P. Gerv.* quia illius caput eſt; non vero Principes ſæculares in quantum eſt Sacramentum impedimenta illius dirimentia inſtituere poſſunt, *Tourn.* quia ut ſic, eſt res ſpiritualis poteſtati ſæculari non ſubjecta; nec indirecte, addendo conditiones contractui civili, eum irritantes, *ibid.* quia etiam irrito contractu civili, adhuc ſubſiſtit Sacramentum, ac illius materia proxima, nempe contractus naturalis, ac ſacramentalis poteſtati ſæculari non ſubjectus, utpote ſpiritualis: eos autem conſtituere poſſe impedimenta, Matrimonium ſuorum ſubditorum ut eſt concontractus civilis irritantia in ordine ad effectus civiles, multi docent Theologi, uti *Tourn. Bill. & alii*, & ita ſtatuerunt Reges Galliæ quoad Matrimonium infantium ſine conſenſu parentum contractum; propterea tamen non ſequitur, conſequenter irritari Sacramentum defectu materiæ, quia contractus, non ut civilis, ſed naturalis ut ſacramentalis eſt materia Matrimonii proxima in mutuo contrahentium conſenſu conſiſtens cum conditionibus ab Eccleſia præſcriptis.

Hinc 1. Infideles, ſive in ſuis, ſive in alienis exiſtant terris, non ligantur impedimentis ab Eccleſia introductis; quia illi non ſunt ſubditi; bene autem ſuorum Principum, ſi illis ſubjiciantur; quia poſſunt ut Chriſtiani Principes impedimenta Matrimonii, ut eſt contractus civilis in ordine ad effectus civiles dirimentia inſtituere. 2. Fideles etiam hæretici, & apoſtatæ, ubivis locorum exiſtant, ligantur impedimentis Matrimonii ab Eccleſia ſtatutis; quia ratione baptiſmi Eccleſiæ ſubditi ſunt, ex-

cepto

cepto impedimento clandeſtinitatis, ob ſpecialem Eccleſiæ diſpoſitionem, ubi Concilium Trid. non eſt receptum. 3. Impedimenta dirimentia a Principibus inſtituta non valent, niſi in ordine ad effectus civiles, ut exhæreditationem, reſciſſionem donationum, legitimationem prolium, dotis, & omnium, quæ vi contractus Matrimonii conſequi poſſunt; ita declaravit in Gallia Henricus III. & Ludovicus XIII.

Quær. 3. *Quot ſint impedimenta Matrimonium impedientia?*

Dico. Quatuor duntaxat de facto ſunt impedimenta Matrimonium impedientia, videlicet 1. Eccleſiæ vetitum, quo non intelligitur illud tempus jure, ſed a legitimo Judice eccleſiaſtico, ſervato juris ordine, vetitum. 2. Tempus ab Adventu uſque in diem Epiphaniæ incluſive, *Rit. Diœc. Argent.* & a die Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive pro ſolemnitatibus nuptiarum jure prohibitum, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 10. 3. Sponſalia cum alio contracta, non diſſoluta, *cap.* 10. *de ſponſ.* 4. Votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi ſacros Ordines, vel non nubendi; quia Jure divino obligat, *cap.* 6. *qui cler.*

Hinc 1. Graviter peccant, valide tamen contrahunt contra prohibitionem Parochi ob Catechiſmi ignorantiam, vel conſenſum parentum obtinendum, vel impedimenti inquirendi cauſa, *P. Gerv.* 2. In Adventu, vel Quadrageſima, vel tempore Paſchali benedictionem nuptialem, vel ſolemnem ſponſæ in domum traductionem, vel ſolemniora convivia, vel tripudia celebrantes, *Sanch.* non tamen prohibentur contractus, vel ejus conſummatio. *P. Gerv.* 3. Contractis ſponſalibus cum uno, contrahens Matrimonium cum altero. 4. Poſt votum ſimplex caſtitatis, ingreſſus Religionis, Ordinis ſacri ſuſcipiendi, vel non nubendi, Matrimonium contrahentes, & non conſummato, tenetur ingredi Religionem, & ſoluto Matrimonio prædicta vota ſervare.

Quær. 4. *Quot ſint impedimenta Matrimonium dirimentia?*

Dico. Impedimenta Matrimonium dirimentia ſunt quindecim, quarum ſex ſunt de Jure naturæ, videlicet 1. error circa ſubſtantiam perſonæ; quia conſenſus cum tali errore non ſubſiſtit. 2. Conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ uſque in infinitum, *Nicol. Tourn. Thom. ex Charm. & alii*; quia natura æque, vel magis abhorrere

videtur Matrimonium avi cum nepte, quam patris cum filia ob eundem, vel majorem pudorem, & reverentiam homini naturaliter inſitam erga avos, & altiora principia, & in linea collaterali in primo gradu ſaltem Jure naturali variabili, *Tourn. Thom. ex Charm.* quia filii Adam potuerunt ex neceſſitate generis humani propagandi, ducere ſorores, quamvis nunc ab iſtis Matrimoniis naturæ etiam abhorreat, ita, ut nec a gentibus barbaris fieri ſoleant. 3. Ligamen Matrimonii rati, vel conſummati cum alio, niſi ratum diſſolvatur. 4. Amentia, niſi lucida quis habeat intervalla; quia deficit conſenſus. 5. Impotentia, nempe perpetua, ſive relativa ſit ad compartem. 6. Vis, ac raptus violentiæ, quamdiu eſt invita, de quo infra.

Hinc 1. Invalide contrahit *ratione erroris*, 1. contrahens, ut Jacob cum Lia, putans eſſe Rachelem, vel cum ſecundo genita intendens primo genitam; niſi poſtea ratificet Matrimonium; quia error in priori caſu eſt circa ſubſtantiam perſonæ, & in ſecundo redundat in ſubſtantiam perſonæ, & cum neutra contrahere intendit; etiamſi error eſſet vincibilis, vel concomitans. 2. Invalide contrahit cum paupere, ſi inter duas, quarum una pauper, & altera dives, pro divite ſe declaraſſet; quia tunc error qualitatis etiam redundat in ſubſtantiam: valeret tamen Matrimonium ducentis pauperem, ignobilem, corruptam, quam putavit divitem, nobilem, aut virginem; quia error eſt circa accidentia; niſi ſub hac ſolum conditione conſenſiſſet; quia deficeret conſenſus non ſubſiſtente conditione; vel ſi perſonam, quam divitem credidit, prius cognoviſſet, & cum ea contraxiſſet, licet errore qualitatis divitiarnm inductus; quia circa hanc perſonam in particulari conſentit; niſi tali conditione, ſi ſit dives, conſenſum limitaſſet; non tamen ſufficit limitatio habitualis, aut interpretativa, ſed debet eſſe actualis, aut virtualis quia alias fere nullum eſſet Matrimonium validum; cum innumeri non contraxiſſent, ſi defectus compartis non cognoviſſent.

Hinc 2. *Ratione conſanguinitatis*, invalide contrahit Matrimonium, pater cum filia, avus cum nepte, &c. frater cum ſorore; nec Papa in iſtis diſpenſare poteſt, *Tourn.* quia Eccleſia non poteſt diſpenſare in Jure naturali, *ibid.*

Hinc 3. *Ratione ligaminis*, invalide contrahit maritus vivente priore conjuge, quamvis bona fide mortuam crede-

diderit; teneturque ipſa revertente ad eam redire dereli-cta ſecunda, quamprimum priorem vivere agnoſcat, vel dubitet; nec pro contrahendo cum ſecunda ſufficit diſtantia loci remotiſſimi, vel deſperatæ infirmitatis teſtimonium, vel abſentiæ diuturnitas, nec unius viri; etiam oculati, & non ſuſpecti aſſertio, licet nonnulli aliter ſentiant; quia ſi unus teſtis in aliis materiis eſt nullus, a potiori in re tanti momenti; ſed requiritur authenticum e regiſtris mortuorum teſtimonium, & in Gallia, ſi veniat e longinquo, perſonæ publicæ ſigillo, ac ſubſcriptione munitum, ut Epiſcopi; vel ſi ſit uxor militis, a Capitaneo, aut loci Magiſtratu. Valet autem ſine ſufficienti certitudine de morte prioris conjugis contractum, modo revera ſit mortuus, quamvis graviter peccaverit, & nec reddere, nec petere debitum audeat, donec notitiam certam habeat, non tamen, cognita a Judice cauſa mortis probabilis, ſeparandi ſunt, donec conſtet de prioris mariti vita, *P. Gerv.* aut Judex ob alias rationes aliter pronunciaverit.

Hinc 4. *Ratione amentiæ*; invalide quis contrahit cum perpetuo amente; valeret tamen Matrimonium contractum tempore lucidi intervalli, *Tourn.* ſed non niſi conſulto Epiſcopo jungantur: vel contractum per procuratorem vi conſenſus antea dati, licet tempore contractus careret uſu rationis, ſicut valeret tempore contractus per procuratorem dormientis, de amente tamen adhuc videtur difficultas, præcipue ſi in amentiam perpetuam ſit lapſus; quia conſenſus antea datus videtur interruptus.

Hinc 5. *Ratione impotentiæ*, 1. invalide contrahit naturaliter, vel ſenectute frigidus, vel nimis calidus præ calore nimis propere, & nunquam intra vas ſeminare valens, vel utroque teſticulo orbatus, ut ſpadones, licet vas naturale penetrare valerent; quia vel non ſeminant, vel ſemen non eſt ejuſdem rationis, ac prolificum: ſufficeret tamen, ſi unicum haberet teſticulum; quia copulam ad generationem aptam adhuc exercere poſſet, *Bill.* 2. Invalide contrahit cum conjuge nimis arcta, vel maleficio impedita, ſine alio maleficio, vel alio peccato, aut vitæ periculo viro non aptanda; quia eſt impotentia ſaltem relative, ac moraliter perpetua; nec valeret, ſi adhibito maleficio, vel cum vitæ periculo, poſtea fuerit curata, ſed debet renovari conſenſus in facie Eccleſiæ, ſi impe-

dimentum fuerit manifeſtum, vel ſecrete; ſi fuerit occultum, & ſine infamia publice renovari nequeat; quia fuit nullum: provenire autem cenſetur ex maleficio; ſi in ſomno ſoleat pollui, extra copulam calefieri, vel ipſa arcta fieri ad congreſſum viri, vel ſibi exoſi, cum antea ſe diligerent; non tamen Matrimonium irritatur, ſi per levem inciſionem, vel alio remedio licito viro poſſet aptari, quam tenetur pati, niſi maximum inde pateretur incommodum; & ſi nollet, ſubſiſteret tamen Matrimonium, *Sanch. Billuart*; quia impotentia non cenſetur perpetua; nec ſufficit in muliere impotentia ſeminandi; quia juxta multos ad generationem non requiritur; nec, ſi ſemen non retineat, *P. Gerv.* vel ſi mortaliter ægrotent; quia potentia cenſetur morbo tantum impedita; in Gallia tamen horum non legitimantur infantes, quoad effectus civiles; bene autem quoad ſpirituales; *Rit. Arg.* nec irritatur Matrimonium, ſi adimpletis annis pubertatis nondum coire poſſent; puia non eſt impotentia perpetua: non tamen valeret, ſi ante annos pubertatis fuiſſet contractum: quia ex diſpoſitione juris ante annos pubertatis contractum ſolum habet rationem ſponſalium, niſi antea eſſent potentes; quia tunc malitia ſupplet ætatem, *Cap. tua & cap. de illis*. 3. Invalide contrahunt hermaphroditi, niſi juxta ſexum prævalentem, vel ſi neutrum prævaleat, poſſunt alterutrum eligere, ſed ad illud retinendum juramento debent adſtringi a Judice eccleſiaſtico; nec antea debet Parochus aſſiſtere contrahentibus; comparte tamen mortua valide, ſed graviter illicite contraheret ſecundum alium ſexum; quia electio non tollit potentiam naturalem. 4. Si impotens ob frigiditatem nubat alteri, & ſuſcipiat prolem, tenetur redire ad priorem, *Cap. Laud. de frigid.* quia cenſetur, non fuiſſe impotentiam perpetuam, ſecus ſi maleficio fuiſſet impeditus, & illud alio maleficio tollat, vel nubendo alteri reſpectu illius ceſſet, vel miraculo, vel vitæ periculo curetur; quia cenſetur, fuiſſe reſpectu primæ perpetuum; ſi compars interim, dum credebatur impotentia perpetua, ingreſſa eſt Religionem, poteſt in ea profiteri, & facta profeſſione alius alteri nubere; quia Matrimonium non fuit conſummatum; ſi ſacros ſolum Ordines receperit, & repetatur a comparte facta potente, tenetur ad eam redire; quia SS. Ordines non ſolvunt Matrimonium ratum; ſi non

repe-

repetatur, poteſt manere, ſed uxor non poteſt cum alio contrahere. 5. Si conſtet de impotentiæ perpetuitate, debent auctoritate Judicis ſtatim diſſolvi; ſi appareat dubia, non niſi elapſo triennio, & experientia, & remediis adhibitis, computato anno a tempore Matrimonii contracti, *Cap. laud. de frigid.* ſuppoſito, copulam ex tunc fuiſſe tentatam, ſecus poſſet experientia ulterius extendi experimento non ſufficienti adhibito, *Bill.* in Gallia diverſæ ſunt in diverſis provinciis conſuetudines circa triennalem experientiam; unde ſtandum eſt judicio Judicis; poſſunt tamen cohabitare, ut frater, & ſoror elapſo triennio ſecluſo incontinentiæ periculo, *Thom ex Charm.* 6. Matrimonium non dirimit impotentia Matrimonio contracto ſuperveniens, & tactus ſine periculo pollutionis, iſtis non ſunt mortales, & ex defectu ſeminis veri proliferi, ut in caſtratis, coire non eſt prohibitum, *Sanch.* quia adeſſe poteſt finis remedii incontinentiæ. Si dubitetur, an ante, vel poſt Matrimonium contractum ſupervenerit impotentia, præſumendum eſt pro Matrimonio *Cap. final. de ſent. & re jud.* ſi nunquam exerceri potuerit copula, præſumendum præceſſiſſe.

Quær. 5. Quot ſint impedimenta Matrimonium dirimentia Jure eccleſiaſtico?

Dico. Undecim ſunt impedimenta Jure eccleſiaſtico Matrimonium dirimentia, nimirum 1. conditio nempe ſervitutis ignoratæ a comparte libera, *Cap. ſi quis in gen.* quia non eſt æqualitas in traditione poteſtatis corporum. 2. Votum ſolemne caſtitatis in Religione approbata profeſſæ, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *can.* 9. 3. Cognatio inter perſonas carnaliter propinquas, nempe per conſanguinitatem in linea collaterali uſque in quartum gradum incluſive, vel ſpiritualiter per propinquitatem ex baptiſmo, & confirmatione provenientem, primo inter baptizantem, confirmantem, & ſuſcipientes ſeu patrinos cum baptizato, vel confirmato, quæ dicitur paternitas reſpectu baptizantis, confirmantis, ac ſuſcipientis, & filiatio reſpectu baptizati, vel confirmati; Secundo inter baptizantem, confirmantem, & ſuſcipientes cum baptizati, vel confirmati parentibus, quæ dicitur compaternitas; vel legaliter; primo in linea recta, quæ vocatur paternitas, inter adoptantem, & adoptatum, & legitimos adoptati deſcendentes tempore adoptionis ſub illius poteſtate exiſtentes, &

probabiliter uſque in quartum gradum, *Nav. Tolet. & alii*, quia imitatur conſanguinitatem, & vices filii naturalis gerit, licet Tournely in uno tomo aliter ſentiat, in alio tamen idem aſſerat. Secundo in collaterali, quæ vocatur fraternitas inter adoptivum & filios legitimos adoptantis, & hæc tantum durat uſque in mortem adoptantis, vel adoptati, aut ſuorum filiorum emancipationem, *Auct. cit.* & tertio per modum affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptatum, & uxorem adoptantis, *Auct. cit.* 4. Crimen, nempe primo, adulterium ſolum cum fide ante, vel poſtea data futuri Matrimonii, *Cap. relat.* Secundo homicidium ſolum cum conſpiratione, vel ſaltem cum conſenſu ſine conſpiratione, & cum animo contrahendi, *Cap. Laud.* externe manifeſtato, *P. Gerv.* Tertio homicidium cum adulterio ſimul, & cum intentione contrahendi ſine conſpiratione, *Capit. 3. & 6. de eo, qui &c.* modo occiſio alteri ſit nota; *Sanch. apud P. Gerv. & Paul. Lugd.* etiam ignorent, incurri impedimentum dirimens; quia eſt pœna. 5. Cultus diſparitas, baptizati cum non baptizata, 6. Vis, per metum gravem injuſte incuſſum a cauſa libera ad Matrimonium extorquendum, *Cap. 2. q. 4. propoſ. 2.* quia tollit liberum conſenſum. 7. Ordo, nempe ſacer ante Matrimonium ſuſceptus, *Conc. Trid. Seſſ. 24. Canon. 9.* 8. Publicæ honeſtatis ex ſponſalibus validis in primo gradu cum ſorore, & matre ſponſæ, & viciſſim, *Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 3.* & cum filia compartis, aut ex Matrimonio rato non conſummato uſque in quartum gradum incluſive. *S. Pius V.* cum conſanguineis, non vero cum affinibus, *Tourn.* permanens etiam diſſolutis ſponſalibus, vel Matrimonio rato etiam diſſoluto. 9. Affinitas proveniens ex quālibet carnali copula ad generationem apta ſuperius explicata, etiamſi fuiſſet illicita, vel vi extorta, *Cap. 6. tit. de eo, qui cogn. conſang.* vel fuiſſet involuntaria, & in ſomnis habita, *Billuart*; & dirimit Matrimonium uſque in quartum gradum incluſive ex copula licita, *Cap. non debet*; & ex illicita uſque in ſecundum incluſive, *Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 4.* 10. Clandeſtinitatis ex defectu præſentiæ formalis Parochi domicilii ſponſi, vel ſponſæ, vel loci, ſi contrahentes ſint vagi, ad hunc finem Matrimonii nempe contrahendi adhibiti, & ſcientis quid agatur, ſive ſponte,

te, ſive invite, vel contradicendo aſſiſtentis in propria, vel aliena Parochia, & duorum ſaltem teſtium, *Concil. Trid.* nec Matrimonium cum hoc impedimento contractum vim Sponſalium habet; nec in conſcientia obligat; quia perſonæ contrahentes declarantur inhabiles. 11. Raptus violentiæ, ut omnes docent, & ſeductionis, videlicet filiæfamilias conſentientis, parentibus vero, vel tutoribus invitis, vel non conſentientibus, ante annum vigeſimum quintum, Matrimonii ineundi, vel libidinis explendæ cauſa abductæ, ut docet S. Thomas, Tournely, & alii in Gallia communiter; quia ob blanditias ſeductoris deficit plena libertas teneræ puellæ ſerio reflectendi ad pericula, & gravitatem contractus, a quo, ſi attenderet, deſiſteret: contrarium docet Billuart, ac alii; præſertim extranei, negantes, ſeductione, blanditiis, &c. libertatem lædi, verum minus tute; quia puella muneribus, ac blanditiis, &c. excœcata in materia ita lubrica non majorem videtur habere libertatis uſum, quam metu gravi, vel ſaltem reverentiali devicta, & blanditiis abducta ſub poteſtate raptoris conſtituta non magis eſt libera, quam violenter abducta; ergo nec magis valere videtur illius Matrimonium, & ſi violentia requireretur, raptus non differret a vi, nec Concilium Trid. novum, nec eſſentialiter diſtinctum inſtituiſſet impedimentum, quod eſt contra communem; duratque raptus donec in loco tuto conſtituta libere conſentiat. Raptor, & complices ejus excommunicationem incurrunt, fiunt perpetuo infames, incapaces ad dignitates, & ſi ſit Clericus, de proprio gradu decidit, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 6. & in Gallia raptus etiam ſeductionis pœna mortis punitur, *Henr. III. & Ludov. XIII.* 1639.

Hinc 1. Invalide contrahitur Matrimonium, *ratione conditionis diverſæ* a mancipio cum libera, ignorata a libero ſervitute alterius, etiamſi non eſſet perpetua, *P. Gerv.* valeret tamen 1. ſi ſervitutem ſciverit; quia conſenſiſſe cenſetur, *Cap. propoſ. de conjug. ſerv.* 2. Si ambo ſint mancipia, *Cap. dignum eſt*, quia nulli fit injuria; etiam diſſentiente domino; quia Eccleſia illa habet rata, & juxta S. Thomam non tenetur obedire dominis de Matrimonio contrahendo, vel ſervanda virginitate: partus autem ſequitur ventrem, niſi alia ſit conſuetudo. 3. Si ſit ſervus, vel mancipium imprôprie tantum quoad bona immobilia,

bilia, *Gob.* vel Judicis ſententia; ut ad triremes, vel perpetuum exilium, aut mortem damnati; quia nulla lege eccleſiaſtica iſtorum Matrimonia, quoad Sacramentum, & vinculum irritantur, licet unus conjugum hanc circumſtantiam ignoraverit, *Tourn.* eſſet tamen nullum quoad effectus civiles, prolis legitimationem, dotem, hæreditatem, &c. etiamſi contraxerit, poſtquam fuga evaſerit, *Senat. Pariſ.* 1625. vel pendente appellatione, ſi contingat, injuſtam declarari; niſi ante ſententiam Judicis circa appellationem mortuus fuiſſet, *Feurelius*; vel uxor ignorantiam conditionis damnati ad triremes probare poſſet; quia tunc poſſet conſequi effectus Matrimonii, *Tourn.*

Hinc 2. *Ratione voti*, invalide contrahitur Matrimonium emiſſo voto ſolemni caſtitatis in Religione approbata, vel etiam ſimplici Societatis Jeſu poſt biennium Noviciatus, antequam a ſuis Superioribus fuerit diſpenſatum, *Greg. XIII.* quamvis non dirimat Matrimonium ratum antea contractum, *Tourn. P. Gerv.* quia, cum ſit votum ſimplex, non conſtituit hominem immobiliter Religioſum; nec Matrimonium dirimit votum ſimplex in alia ſocietate ab Eccleſia ad hoc non privilegiata, vel in Religione non approbata; nec votum ſolomne in Religione non approbata dirimit Matrimonium etiam vi, vel gravi metu conſummatum, *Tourn.* nec conſummatum paulo antequam fuerit contractum, ſaltem hæc opinio ſecurior eſt, *Tourn.* poteſt tamen Papa diſpenſare votum etiam ſolemne ad Matrimonium valide contrahendum, *Tourn.* quia eſt Juris eceleſiaſtici, & facta Eccleſiæ id probant.

Hinc 3. *Ratione cognationis ex conſanguinitate*, invalide contrahit Matrimonium, 1. in linea collaterali inæquali frater cum filia fratris, & ſororis, & cum illius nepte, & pronepte. 2. Cum filia fratris, ac Sororis patris, vel matris, & illius Filia, ac nepte. 3. In linea æquali filius fratris, & ſororis cum filia alterius fratris, vel ſororis, nepos fratris, vel ſororis cum nepte alterius fratris, vel ſororis, pronepos fratris, vel ſororis cum pronepte alterius fratris, vel ſororis, Reliquos gradus vide in arbore conſanguinitatis. 4. Ratione cognationis ſpiritualis invalide contrahitur cum ea, quam quis baptizavit, vel quam ſuſcepit e baptiſmo, vel confirmatione, vel cum ejus matre, etiamſi fuiſſet baptizata domi, & ſine aliis cæremoniis; vel ex neceſſitate; valeret tamen inter

ter patrinum, & Matrinam; *S. Pius V.* vel inter baptizantem, & matrinam, vel cum matre, quæ fuit infidelis tempore baptiſmi infantis, *Tourn.* quia non ſubjacet Eccleſiæ, vel inter patrinum, vel matrinam in ſupplemento dumtaxat ceremoniarum cum baptizato, vel parentibus; quia non ſunt vere patrini ex defectu Sacramenti jam antea collati, vel inter procuratorem patrini cum baptizata, vel parentibus; quia non contrahit cognationem; cum non proprio, ſed alieno nomine aſſiſtat, nempe principalis, qui impedimentum contrahit, licet baptizans ex commiſſione illud contrahat; quia agit in Perſona Chriſti; nec contrahunt in ordine ad petendum debitum parentes baptizantes in mortis articulo propriam prolem legitimam, *Joan. VIII. & Paul. V.* vel ex baptiſmo levantes ex ignorantia facti invincibili, putantes eſſe alienam, *Cap. ſi vir*; nec alii eadem facti ignorantia ducti, *Tourn.* ſic levans filium Petri exiſtimans eſſe Pauli non incurrit cognationem ſpiritualem cum Petro, ac illius filio; quia non habet intentionem fungendi munere patrini reſpectu filii Petri, & nemo invitus patrinus cenſeri debet, *Sanch. Bonac. & alii apud Tourn.* niſi intentionem haberet ſuſcipiendi infantem præſentem cujuſcunque ſit, ſic baptizans filium Petri putans, eſſe Pauli, cognationem incurrit; quia tenetur habere intentionem baptizandi perſonam præſentem, *ibid.* baptizans tamen prolem concubinæ, vel alterius extra Matrimonium in neceſſitate contrahit cognationem ſpiritualem, *Nav. & alii apud Tourn.* quia lex favet tantum Matrimonio junctis; vel ſi plures admittantur patrini, quam Concilium Trid. permittit, ſine duorum permiſſorum aſſignatione ex imperitia Parochi, omnes contrahunt cognationem, *Nav. & alii apud Tourn.* & S. Congregationem ita declaraſſe aſſerit Fagnanus. 5. Invalide contrahitur Matrimonium inter adoptantem, & filiam adoptatam, & poſteros uſque ad quartum gradum incluſive; & inter adoptatam & filiam adoptantis legitimam, quamdiu manet in poteſtate adoptantis; bene autem eſt validum cum illegitima, vel cum alia adoptata, vel mortuo adoptante, vel adoptato emancipato, etiam cum filia emancipata adoptantis; quia tunc ceſſat impedimentum, *Cap. per adoptionem. cap. 6. cauſa* 30. *q.* 3. & adoptantis cum matre adoptati; quia inter iſtos nulla eſt cognatio.

Hinc

Hinc 4. *Ratione criminis*, invalide contrahunt Matrimonium, 1. mutuo conſenſu, vel conſpiratione occidentes conjugem per ſe, vel alium phyſice, vel moraliter ſuadendo, mandando, cum intentione poſtea invicem contrahendi Matrimonium. 2. Committentes adulterium cum promiſſione etiam ficta Matrimonii, vel conditionata, *Nav. apud Tourn.* quia utraque æque ad homicidium inducit, vel ſi poſt adulterium facta fuiſſet promiſſio Matrimonium contrahendi cum adultera, *Tourn. & comm.* 3. Commiſſo adulterio ſine fide data de futuro Matrimonio occidens conjugem etiam ſine conſpiratione, vel conſenſu adulteræ, cum illius tamen notitia, & cum intentione cum ipſa contrahendi; vel durante actuali Matrimonio contrahens cum alia, etiamſi poſtea propria uxor moriatur, non poteſt cum ſecunda manere, nec de novo contrahere, *Cap. fin. hoc tit. Tourn.* quia æquivalet adulterio cum promiſſione Matrimonii futuri; niſi bona fide ignoraſſet, maritum jam eſſe uxoratum, modo ignorantia non ſit culpabilis, *Tourn.* quia, cum non excuſet a peccato adulterii, non excuſat a pœna, *Cap. fin. hoc tit. apud Tourn.* valet tamen Matrimonium, 1. ſi dato veneno mors non fuiſſet ſecuta, vel ſolum incuria Medici, vel altero neſciente, vel ſciente, ſed non conſentiente, nec cooperante, vel ſolum factam occiſionem ratihabente, non ſuppoſito ſimul adulterio; quia ſimul cum adulterio ſufficit notitia homicidii, *Billuart*. 2. Si ex odio, vindicta, ob rixas, avaritiam, vel in adulterio deprehenſam conjugem occidiſſet ſine fide de Matrimonio futuro, vel ſine intentione occiſa conjuge cum complice contrahendi, ſed cum alia, *Coninck*, *Laym. & alii*; vel ſolum intentione implicita tacendo, *Tourn.* vel nullo ſigno externo manifeſtata, *P. Gerv.* quia non eſt nociva; vel ſi occiſa conjuge Matrimonium modo promittant; quia canones ſtricte interpretandi, *cap. laud. de conviv. infid.* vel fide ſolum mortua uxore data, *Tourn.* vel ſi non fuiſſet acceptata, *ibid.* vel ſi adulterium cum promiſſione Matrimonii non fuiſſet utrique notum, ſed alterum eſſe uxoratum, fuiſſet ignoratum, *Sanch. & comm.* vel ſi fuiſſet ſolum putatitium morte conjugis ignorata; vel ſi promiſſio fuiſſet revocata ante adulterium, *P. Gerv.* ſecus ſi poſtea revocaretur, *Billuart*; quia impedimentum jam eſſet contractum, non autem antea; vel ſi homicidium ſine notitia compartis fuiſſet commiſſum, *Sanch. Paul. Lugd.*

vel

vel ſi conſilium, vel mandatum non influxiſſet in mortem conjugis, *Tourn.* vel ſi vivente uxore propria cum alia contraxerit, ipſa ignorante, eſſe uxoratum, non ſolum poteſt mortua priore uxore, ſed tenetur ei nubere, *Tourn.* niſi poſtea conſenſerit cognito Matrimonio mariti, *ibid.* vel ſi cum ſecunda non conſummaſſet, vel ſolum poſt mortem propriæ uxoris, poteſt, ac tenetur quoque ei nubere; quia non concurrit adulterium ſimul cum promiſſione Matrimonii.

Hinc 5. *Ratione cultus diſparitatis*. Chriſtianus invalide contrahit cum judæa, vel ethnica etiam cathecumena; valet tamen Matrimonium infidelis cum infideli, vel catholici cum hæretico, ſed hoc eſt mortaliter illicitum, niſi cum Papæ diſpenſatione pro bono publico Eccleſiæ, Regnorum pace, ac familiarum concordia, ſecluſo tamen perverſionis periculo, & excluſo pacto educandi partem infantium in Religione hæretica; quia eſt intrinſece malum, *ita praxis Eccleſiæ*.

Hinc 6. *Ratione vis, vel metus*, invalide contrahit metu mortis, mutilationis, gravis corporis cruciatus, gravium verberum, ſervitutis, vel amittendi inſtrumenta, quibus libertas probari poteſt, captivitatis, quæ eſt quædam ſervitus, exilii, carceris diuturni, & vinculorum atrocium, amiſſionis ſtatus, ſtupri, ſive in viro, ſive in fœmina, *S. Thom.* quià prædicta mala de jure, vel ex communi Doctorum ſententia metum gravem inferunt, *apud Tourn.* etiam propinquis perſonæ ducendæ inferenda, ut ejus patri, matri, patruo, amitæ, fratri, ſorori. *Tourn.* valeret tamen Matrimonium metu ſtupri, vel aliorum prædictorum malorum promiſſum, poſtea tamen tranſacto periculo ſponte contractum; quia liberum erat illud Parocho, aut Judici, vel parentibus aperire, & reclamare; vel ſi poſt Matrimonium ex metu gravi contractum habita fuerit copula ſponte, & affectu maritali, id eſt animo vivendi conjugaliter, *S. Thom. S. Bonav. S. Antonin. & alii*; quia ſuppletur conſenſus, qui defuit; vel ſi ſpontanee, ac diuturne cohabitarint, etiam ſine copula, *ex cap. 21. de ſponſ. & unanimi Canoniſtarum doctrina apud Tourn.* quia eſt ſignum ſufficiens novi conſenſus; non vero valeret, ſi copula vi, vel metu gravi fuiſſet extorta, vel ſpontanee, ſed non animo maritali fuiſſet habita, & uterque conjugum graviter peccat, *Tourn.* quia copula in utro-

utroque caſu eſt fornicaria, ac intrinſece mala; in foro tamen externo copula cenſetur ſponte, & affectu maritali habita, niſi contrarium probetur, *Cap.* 30. *de ſponſ.* nec valeret cohabitatione, ſi etiam ſublato metu non auderet, nec poſſet reclamare, vel fugere, vel ſi in utroque caſu ignoraverit, Matrimonium metu gravi contractum eſſe invalidum; *Nav. Sylv. & alii*; quia poſterior conſenſus non majorem habet vim, quam prior, cui innititur, & error circa perſonam, putando, ſe accedere ad ſuam, quæ non eſt; impedit conſenſum, quem pars tali errore affecta, ſi invaliditatem compertam habuiſſet, in copulam, vel habitationem non dediſſet; 2. Metu infamiæ juris, *Tourn.* ut ſi deprehenſa in crimine infami Matrimonio ob communicationem accuſationis conſentiat, ne prodatur; quia, licet juſte poſſit accuſare, injuſte tamen exigit Matrimonium; levis tamen eſſet metus puellæ timentis, ne innocenter de crimine non ommiſſo diffametur, *Tourn.* quia implorato Judice, vel ope legis, liberari poteſt. *S. Thom. Pont.* niſi ex circumſtantiis, ut ſi aliunde ſuſpecta, vel accuſatoris probitate gravem in fama læſionem timeret. 3. Metu excommunicationis injuſtæ, ſi non niſi difficulter per appellationem ei occurri poſſit, *Tourn.* quia gravis eſt pœna, ac diffamatio, & ad vitandum ſcandalum etiam excommunicatio injuſta ad multa urget, multiſque bonis privat; non vero metus excommunicationis juſtæ, *ibid.* quia facile vitari poteſt parendo Judici. 4. Metu amiſſionis omnium bonorum, vel majoris, aut notabilis illorum partis, vel lucri neceſſarii, ac notabilis, *Tourn. Sanch.* quia vir conſtans jactura ſimilium bonorum terreri ſolet; amiſſio tamen omnium bonorum artificis conſiſtentium in modica pecuniæ ſumma, quæ ſuo labore facile lucrari poteſt, non grave damnum cenſeretur, *Tourn.* ac proinde nec metu gravem incutere poteſt. 5. Metu reverentiali parentum, tutorum, magiſtratuum, vel aliorum, animo repugnante, ac quaſi invito contrahens, quibus ob reverentiam ipſis debitam, & verecundiam reſiſtere non audet cum minis, rigidæ tractationis, verborum, periculo diuturnæ offenſionis, difficilis, ac moroſæ cohabitationis, *Tourn. Bill.* cum aſperitate vultus, verborum in hunc finem incuſſo; quia conſiderata ætate ſexus, præſertim fœminei cenſetur reſpective gravis; & libertatem æque, ac cadens in conſtantem virum mi-

minuere; idem dicendum, ſi preces nimis importunæ cum reverentia perſonæ conſenſum a timido, ac puſillanimi ſexu ſimul extorqueant, *Sanch. & alii*; vel Principis, qui ſævire ſolet in eos, qui blanditiis ſuis reſiſtunt, *Auct. cit.* non vero irritatur Matrimonium metu proveniente ex ſolo pudore, verecundia, reſpectu parentum; quia cenſetur metus levis ſeclusa comminatione verberum, cohabitatione admodum difficili, ac moroſa, *Tourn. & alii*; nec ſi eſſet ex ſpeciali meticuloſa indole; quia jura non attendunt id, quod in particulari, ſed quod in communi fieri ſolet; nec ſi minæ prodeant ab eo, qui multa minari, & nihil, vel parum exequi ſolet: *Tourn.* quia hujuſmodi minæ contemni, & virum conſtantem non movere ſolent: ſecus ſi eas exequi conſueverit, vel ſi ſint ab eo, qui eſt atrox, ac crudelis, & ſævire ſolitus, cum ejus voluntati reſiſtitur, etiamſi minas verbis non addat: vel in dubio, *Tourn.* quia nemo experiri vellet, an vir auctoritatem habens, mala ſerio minetur, *ibid.* & vultus terribilis viri potentis, & frons ad terrorem compoſita efficacius plerumque minas indicant, quam lingua, *Decius, & alii Juriſ-conſulti apud Sanch.* & indignatio patris cum aſperitate vultus reſpectu puellæ metum gravem in Jure cenſetur inferre, ſi diuturna prævideatur, *Tourn.* quia admodum grave eſt ante oculos patris, vel alterius ſibi offenſi, & inobedientiam exprobrantis verſari. Secus ſi amica patris boni indoles reconciliationem brevi futuram annuntiaret. 6. Invalide contrahit lethali febri oppreſſus cum filia medici, aliter ei mederi nolentis, ſi a communitate ſit conductus, ut omnibus loci incolis medeatur, vel ſi ſolus ſit in loco, *Tourn. & alii*; quia etiamſi non teneretur ex juſtitia abſque ſtipendio mederi, ſine injuſtitia tamen non poteſt aliud, quam legibus permiſſum exigere, & ægrotum ad Matrimonium cogens, metu, vitam defectu Medici amittendi, in utroque caſu, libertatem illius graviter lædit, non tamen irritum eſſet Matrimonium, ſi nullatenus eſſet obligatus, ac ægrotus alium habere poſſet Medicum, & Matrimonium tanquam ſtipendium operæ ſuæ proportionatum exigeret, *ibid. Sanch. Soto, & alii*; quia timor mortis urget ab intrinſeco, & liberum eſt ei per alium Medicum vitæ ſuæ remedium quærere, quamvis hæc opinio non careat difficultate, præcipue, ſi non idem, ac æque ſecurum apud alium ha-

bere

bere poſſit remedium. Minor eſſet difficultas, ſi æger proprio motu ſe ad Matrimonium obtuliſſet, ſic 1. valet Matrimonium, ſi ſtuprator parentum iram placandi cauſa ſponte in Matrimonium ſe offerat; vel ſi puella ad evitandam mortem a furibus, vel ſicario inferendam Matrimonium tranſeunti, ut opem ferat, promittat; vel ſi Princeps in civitate ab hoſte obſeſſus proprio motu Matrimonium cum filia obſidentis ſpondeat, ut urbis ſuæ excidium avertat; vel capite damnatus, ut evadat incolumis, meretricem, vel aliam ſe in Matrimonium offerentem, vel a Judice oblatam, ducat, *apud Tourn.* quia in prædictis metus non in hunc finem incutitur, ſed metu conterriti ſponte per Matrimonium ſibi vitæ conſervandæ remedium quærunt, etiamſi obſidio, vel mortis damnatio injuſta eſſet, modo metum incutiens Matrimonium non intendat, nec illud pro auferenda injuſtitia offerat, *Tourn.* quia tunc idem eſſet, ac ſi civitatis excidium, vel injuſtæ ſententiæ executio minaretur, niſi oblatum Matrimonium acceptet. 2. Valet Matrimonium concubinarii metu mortis inſtantis ex morbo, naufragio, tempeſtate, bello, vel metu gehennæ cum concubina, contractum, *Tourn.* quia metus non eſt a cauſa libera in hunc finem incuſſus. 3. Poſt ſponſalia contracta per excommunicationem ad contrahendum compulſi, vel data Matrimonii fide in ſtupro deprehenſi a parentibus ſtupratæ accuſationem minantibus, vel a Judice ad Matrimonium cum ſtuprata inducti, *Tourn.* quia in neutro caſu metus eſt injuſtus, cum jus accuſandi, & ad Matrimonium cogendi habeant. Secus ſi parentes mutilationem, vel mortem per ſe inferendam minando ſtupratorem ad ducendum ſtupratam induxiſſent; quia metus eſſet injuſte incuſſus, cum jus propria auctoritate vulnerandi, vel occidendi non habeant, vel ſi Judex, aut parentes ſtupratorem non data ab eo fide ad Matrimonium cogerent, *Tourn. Pont.* quia Jure ſaltem communi eam tantum dotare, vel ducere tenetur, niſi alia ſit loci conſuetudo, vel ratio, *vide P. I. pag.* 366. *num.* 2. vel ſi juridice ſecundum allegata, & probata, falſis tamen teſtibus de ſtupro fuiſſet convictus: quia radicaliter, & in re metus eſt injuſtus, vel ſi Judex cogeret ad ducendam, cui fidem dederat, quæ poſtea tamen fornicata eſt occulte, ita, ut probari nequeat, *Tourn.* quia in conſcientia non tenetur eam ducere.

Hinc

Hinc 7. *Ratione Ordinis*, poſt ſuſceptionem Subdiaconatus, vel Diaconatus, vel Presbyteratus invalide contrahitur Matrimonium; non tamen irritant hi Ordines Matrimonium antecedens.

Hinc 8. *Ratione publicæ honeſtatis*, 1. invalide contrahit ſponſus poſt pubertatem reſiliens, vel mortua ſponſa, cum ſorore, vel matre, aut filia ſponſæ propriæ; quia contraxit cum iſtis impedimentum publicæ honeſtatis. 2. Invalide contrahit cum nepte conjugis in Religione ante Matrimonii conſummationem profeſſæ, vel clandeſtine junctæ, quia etiam ex Matrimonio rato diſſoluto per profeſſionem religioſam, *S. Congr. Card. Concil. Trid.* & ex Matrimonio invalido, modo non ſit ex defectu conſenſus nullum, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut declaravit S. Pius V. quamvis non oriatur ex ſponſalibus nullis, *Conc. Trid.* valeret tamen Matrimonium ſponſi cum vidua fratris ſponſæ; quia eſt tantum affinis propriæ ſponſæ, vel cum ſorore ſponſæ, ſi prius Matrimonium fuiſſet contractum cum errore, vel ex metu gravi, vel in amentia; quia fuit nullum defectu conſenſus.

Hinc 9. *Ratione affinitatis*, invalide contrahit ſponſus cum ſponſa, cujus ſororem, vel matrem antea cognovit, etiamſi eſſent, ſenes, vel ſteriles; non tamen invalidum eſt Matrimonium, ſi cum propria conſanguinea peccaverit; quia non fit propterea cum ſponſa affinis; nec ſi cum ſorore ſponſæ copulam ſolum imperfectam habuerit; nec ſi contrahat pater, & filius cum matre, & filia; quia per Matrimonium patris cum matre, filius; non fit affinis cum filia; nec ſi duo fratres contrahant cum duabus ſororibus; quia per Matrimonium fratris non ſit alter frater affinis cum altera ſorore; nec ſi vidua contrahat cum marito ſororis primi mariti ſui defuncti; quia ſolum cum ſorore proprii mariti, non vero cum illius marito fit affinis; affinitas enim non parit affinitatem: nec ſi quis nubat ſucceſſive viduis a duobus fratribus relictis, cum non fiat affinis cum altera: nec ſi quis nubat matri, vel ſorori, aut filiæ novercæ ſuæ, *P. Gerv.* quia licet noverca fiat affinis cum ipſo, non vero ipſe cum illius conſanguineis; nec ſi ex duabus viduis una nubat filio unius, & altera cum filio alterius, v. g. Agnes filio Luciæ, & Lucia filio Agnetis, quamvis in hoc caſu poſſet una dicere de filio alterius poſtea nato, eſſe filium filii ſui, & fra-

Digitized by Google

trem mariti ſui, *Gab. Tourn.* quia eſt natus ex filio ſuo; & a matre mariti ſui, ſuumque maritum eſſe fratrem nepotis ſui.

Hinc 10. Defectu *præſentiæ Parochi*; invalide contrahitur Matrimonium, ubi viget Concilium Trid. abſente Parocho, vel præſente, ſed ebrio, vel dormiente, vel neſciente, quid agatur, vel non in hunc finem, ſed convivandi gratiâ adhibito; quia non aſſiſtit formaliter; vel non proprio, vel uno ſolum teſte adhibito: valent tamen Matrimonia ſine præſentia Parochi, 1. in Hollandia vi conſtitutionis Benedicti XIV. 1741. licet Concilium Trid. ibi fuerit promulgatum per Margaritam Parmenſem de mandato Philippi I. 2. Ex Eccleſiæ indulgentia inter hæreticos, & catholicos cum hæreticis, & inter ſolos catholicos inita in locis hæreticorum, ubi carent Parocho, vel Epiſcopo, aut aliis Sacerdotibus ad id deputatis, vel ſi ad illos tutus acceſſus non pateat, adhibitis duobus, vel tribus teſtibus, *Congr. Card.* 1603. 3. In Anglia, vel alibi, ubi Concilium Trid. non eſt receptum, etiam expreſſe ibi in hunc finem habitantes, *Billuart*, & *alii*; quia non fraus, ſed jus habitationis iis patrociniatur; etiam peregrini, & ibi tranſeuntes, *ibid.* quia, cum teneantur ad feſta, & jejunia, æquum eſt, ut ſentientes incommoda, ſentiant etiam commoda, & favorem Eccleſiæ, excepta in his fraude; quia, cum cohabitatione jus non acquirant, nec ipſis doloſis, ac fallacibus Eccleſia favere cenſetur, *Urb. VIII.* & ſi ſint diverſarum Parochiarum, unus ubi Concilium Trid. eſt publicatum, & alius ubi non eſt publicatum, valet contractum clandeſtine in loco, ubi non eſt publicatum, *Congr. Card.* quia ſequitur valorem loci; ſic valet contractum ab infidelibus non baptizatis, etiam ubi viget Concilium Trid. quia non ſunt Legi Eccleſiæ ſubjecti; ſecus ſi Angli, vel alii hæretici in Gallia, vel alibi, ubi eſt receptum, ſine præſentia Parochi, ac teſtium contrahant; quia tenentur legibus locorum. 4. Valent Matrimonia hæreticorum, coram Miniſtro hæretico ſine teſtibus contracta; quia tacite Eccleſia diſpenſare cenſetur, & converſorum Matrimonium etiam ratum, ac liberos legitimos habet, *Declar. S. Pœnit.* 5. Valet Matrimonium, ſi Parochus, quamvis in aliena Parochia, vel Diœceſi aſſiſtat; quia aſſiſtentia non eſt actus juriſdictionis contentioſæ, *Fagn. in cap. quoniam*, vel ſi occaſionaliter

liter convivandi & confabulandi cauſa, vel coacte, vel contradicens aſſiſtat, *Thom. ex Charm.* modo ad contrahendum fuerit adhibitus; quià non conſenſus, ſed aſſiſtentia duntaxat a Concilio Trid. requiritur; vel ſi aſſiſtat contra prohibitionem Epiſcopi, *P. Paul. Lugd. & alii*; ſed non licite; etiamſi nondùm eſſet Sacerdos, valide aſſiſtit, *S. Congr. Card. Conc. Trid.* ſecurius tamen eſt, ut nondum Sacerdos abſtineat, *Tourn.* non poteſt tamen delegare niſi Sacerdotem, *Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de ref.* nec ſufficit ratihabitio, nec delegatio non acceptata. 6. Etiam valet, ſi eſſet ſuſpenſus, excommunicatus, vel irregularis, *S. Congr. Card.* modo non ſit publicus hæreticus *Billuart*. quia privatur jurisdictione, ac ceſſat eſſe Parochus, vel ſi eſſet intruſus ſine titulo colorato, *Tourn.* 7. Valet coram alieno Parocho, ſi contrahentes ſint vagi; quia non habent proprium, non tamen conjungendi ſunt, niſi poſt diligentem inquiſitionem, & cum licentia Epiſcopi, *Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 7. & Rit. Arg.* ut ſupra dictum eſt. 8. Valide contrahunt ſtudentes in Univerſitate, tyrones opificum, famuli, mercatores, milites præſidiarii, licet brevi ibi tempore habitent, & non intendant diu ibi habitare, modo ibi non ſint ſolius recreationis, vel ruralia exercendi cauſâ, & non ſtatim ad ſuum domicilium ſint reverſuri, *S. Congr. Concil. Trid. Fagn. in cap. ſignif.* etiamſi illi expreſſe ex metu, ne Matrimonium impediatur, ad alibi contrahendum migraſſent, modo prius in hoc caſu in Gallia per ſex menſes ex eadem Diœceſi, & per annum ex diverſa, ibi commorati ſint; quia licet fraude domicilium mutaverint, jure tamen inde conſecuto, & non fraude contraxerunt, 9. Valet Matrimonium, etiamſi teſtes ſint conſanguinei, infames, excommunicati, impuberes, fœminæ, infideles; quia praxis Eccleſiæ ita approbat, ne Matrimonia ſæpe fiant ambigua. 10. Etiam valet Matrimonium, ſi coram Parocho, & teſtibus contractum ex alio impedimento occulto fuerit nullum, ſi clam renovetur conſenſus, ſi ſine ſcandalo coram Parocho, & teſtibus renovari nequeat, *Sanch. Nav. citans S. Pium V.* quia in hoc caſu cenſetur Eccleſia ſolemnitatem non exigere, ſecus ſi Parocho, & teſtibus impedimentum conſtet; vel periculum ſit, ut in foro externo probetur, vel in utroque foro diſpenſatum fuerit, *Congreg. Card. Concil. Trid.*

V 2 *H.nc*

Digitized by Google

Hinc 11. *Ratione raptus*, Invalide contrahit raptor cum rapta, 1. etiamſi rapta poſtea conſentiat, niſi ſit in loco tuto, ac libero, *Concil. Trid. Seſſ.* 24. 2. Etiamſi ipſa muneribus, blanditiis, &c. conſentiente fuiſſet abducta, invitis tamen parentibus, ſaltem juxta tutiorem, *Auct. cit.* quia eſt raptus ſeductionis, & talis conſenſus non videtur magis liber, quam metu gravi, vel reverentiali obtentus, & blanditiis in materia naturæ corruptæ ita conſentanea a ſexu fragili ſæpe difficilius reſiſtitur. 3. Etiamſi non Matrimonii, ſed libidinis cauſa fuerit abducta, *Tourn. Cabaſſ. Bonac. Henno*, *& alii*; modo poſtea, vel expleta libidine, rapta vi retineatur ad contrahendum Matrimonium, *Bill.* quia retentio Matrimonii ineundi cauſa rationem raptus habet, *ibid.* 4. Etiamſi rapta ſponſalia promiſerit, ſed ſine conſenſu parentum, vel etiam conſentientibus parentibus, ipſa tamen invita, fuerit rapta, *Bill. Pont. & alii*; quia licet habeat jus ad compellendum via juridica ſponſam ad contrahendum Matrimonium promiſſum, non tamen via facti, cum non poſſit eſſe Judex in propria cauſa. 5. Invalide contrahit cum rapta etiamſi poſt viginti quinque annos contraxerit, ſi antea fuerit, rapta ſeductione, *Tourn.* ſecus ſi poſtea fuerit ſeducta, *ibid.* quia poſt viginti quinque annos non amplius eſt ſub parentum, aut tutorum poteſtate, *Henricus III. Edict. Bleſ.* 6. Etiamſi fœmina rapiat virum, *Tournely*; quia in viro æque, ac in muliere libertatem aufert, & licet Concilium Trid. de ſolo raptore loquatur, quia raptus raro a muliere fieri ſolet, raptricem tamen etiam ob indentitatem rationis comprehendere videtur. Contrarium tenet *Thom. ex Charm. Billuart*, *& alii*; quia Concilium Trid. in hoc caſu de ſolo loquens raptore, in hac re, utpote odioſa, non debet ultra litteram extendi, & cenſetur, ſolum voluiſſe infirmiori ſexui, ac frequentiori malo conſulere, non vero caſum inſolitum comprehendere. Unde in praxi, cum impedimentum videatur dubium, conſulendus eſt Epiſcopus. Valeret tamen Matrimonium, 1. ſi ſponſus abduceret ſponſam cum conſenſu parentum ſibi deſponſatam, ipſa conſentiente, licet parentibus poſtea ſine juſta cauſa renitentibus, *can. lex illa*, *& can. cum cauſa extravag. Pont. Gob. Leſſ. & alii*; quia in loco libero promiſit ſponſalia, & habet aliquod jus vi ſponſalium in ſponſam, & Matrimonium; non vero ipſa renitente, *Auct.*

ſupra

ſupra cit. 2. Si tantum eam de uno cubili in aliud, aut in agro inventam per paucos paſſus duceret. *Tourn.* 3. Si ſeductione rapta non eſſet bonis moribus inſtructa, ſed corrupta; quia non cenſetur ſeducta; *Tourn.* niſi a crimine deſtitiſſet, *ibid.*

Quær. 6. Quiſnam in impedimentis Matrimonii diſpenſare poſſit, ob quas cauſas diſpenſatio dari ſoleat; & quomodo revalidari debeat Matrimonium invalide contractum?

Dico. In impedimentis Jure naturali Matrimonium dirimentibus, vel impedientibus, nec Papa, nec Epiſcopus diſpenſare poteſt, *P. Gerv. Thom. ex Charm. Billuart*; quia non ſunt domini Juris naturalis; nec Deus Eccleſiæ talem dedit poteſtatem. Eccleſiam vero diſpenſare poſſe in impedimentis Jure eccleſiaſtico inſtitutis, patet *ex Concil. Trid. Seſſ.* 24. *can.* 3. & ex communi Eccleſiæ uſu, & Jure ordinario ſolus Papa in iis diſpenſare poteſt, *P. Gerv. Thom. ex Charm. & alii*; quia ſolus ſupremum eſt Eccleſiæ caput viſibile, & Juris eccleſiaſtici Superior; etiam in voto ſolemni caſtitatis; *Thom. & alii*, declarando, ſaltem illud non obligare certis in circumſtantiis; quia ita docet praxis Eccleſiæ, *Tourn.* poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, 1. in impedimentis ſolum impedientibus, exceptis ſponſalibus, in quibus nec Papa diſpenſare poteſt, *P. Gerv.* quia obligant Jure naturali, & diſpenſatio eſſet in præjudicium alterius; poteſt tamen tanquam Judex ex legitima cauſa declarare, illa eſſe irrita, vel diſſolvenda, *P. Gerv.* & excepto voto caſtitatis perpetuæ, & Religionis ingrediendæ, *P. Gerv.* quia Papa iſta ſibi reſervavit, niſi votum eſſet dubium, vel non perpetuum, vel non abſolutum; *vide Tr. de Religione*; *Q.* 1. *quær.* 12. *Hinc.* 3. vel niſi contracto jam Matrimonio in ordine ad petendum debitum; ſicut etiam quoad affinitatem, & cognationem ſpiritualem Matrimonio contracto ſupervenientem; *ita docent communiter Auctores*; non vero ejus Vicarius-generalis, niſi ſpecialiter ab Epiſcopo ei concedatur; quia ex generali conceſſione Vicariatus poteſt tantum ea, quæ ſunt juriſdictionis neceſſariæ, non vero voluntariæ, prout eſt diſpenſare, *P. Gerv.* 2. In impedimentis dirimentibus occultis poſt Matrimonium jam contractum, niſi in quibuſdam caſibus jus obſtet. 3. Ante Matrimonium ex Papæ delegatione expreſſa, vel tacita, vel conſuetudine ſuæ Eccleſiæ, vel in caſu dubio, vel magna

neceſſitate, *Tourn.* quia bonum Eccleſiæ, ac Fidelium ita exigit. Papa diſpenſare poteſt valide ſine ratione; quia eſt ſupremus Legislator; ſed non licite; quia non ageret ut fidelis diſpenſator Myſteriorum Dei; Epiſcopus vero nec valide, nec licite diſpenſare poteſt ſine legitima cauſa, quia non eſt Superior legis: ad revalidandum Matrimonium ſupplendum eſt, quod pro illius valore defuit, nempe conſenſus validus.

Hinc 1. Diſpenſatio petenda eſt, 1. a S. Pœnitentiaria pro impedimentis occultis provenientibus ex crimine occulto Papæ reſervatis pro foro ſolum interno a Confeſſario per ſe, vel, quod conſultius eſt, per alium in hac materia peritum, vel Epiſcopum; & concedi ſolet gratis in forma commiſſoria, qua demandatur facultas diſpenſandi ſelecto ab oratore, qui debet eſſe approbatus ab Ordinario, & S. Theologiæ, vel Juris canonici Doctor in Univerſitate graduatus, *Tourn. P. Gerv.* ſi in reſcripto habeatur: *diſcreto viro doctori*, ſæpe tamen defacto Parochus, vel etiam Confeſſarius in eo nominatur. 2. ab Epiſcopo, Matrimonio jam contracto, ſi ſimul concurrant ſex circumſtantiæ a Benedicto XIV. allegatæ, videlicet, 1. ſi Matrimonium fuerit contractum in faciem Eccleſiæ, omnibuſque adhibitis ſolemnitatibus. 2. Si fuerit contractum bona, ſaltem unius contrahentium fide, ex juris vel facti ignorantia. 3. Si ſit conſummatum. 4. Si ſit occultum; cenſetur autem occultum, quamvis quinque vel ſex perſonis in aliquo oppido, vel ſeptem, aut octo in civitate innoteſcat, *Benedict. XIV. in inſtruct. Paſtor. ad Confeſſ. Diœceſ. Baſil.* non vero ſi majori parti notum ſit, *P. Gerv.* 5. Si non facilis ſit ad Papam recurſus ob paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſque ſimiles cauſas, uti etiam eſt difficultas longius abſtinendi ab uſu Matrimonii, & periculum incontinentiæ, aut infamiæ; vel ad illius legatum, *Tourn.* ſi majorem, quam Epiſcopus habeat poteſtatem, quam ordinarie ſine ſpeciali privilegio non habet, *Barboſ. & alii apud P. Gerv.* 6. Si non poſſint ſeparari ſine ſcandalo, & ſit impedimentum, in quo Papa diſpenſare conſueverit; *Tourn.* deficiente autem una ex præfatis circumſtantiis, ſi perſonæ ſint pauperes, ac ruſticæ; diſpenſatio per Ordinarium a S. Sede procurari debet in forma pauperum, niſi ipſemet aliunde ex indulto, vel conſuetudine legitime præſcripta diſpenſandi poteſta-

teſtatem habeat, *Tourn.* III. ab Epiſcopo etiam Matrimonio nondum contracto pro impedimento ex crimine occulto in confeſſione mox detecto, v. g. affinitatis ex copula illicita, vel pro impedimento criminis, circumſtantiis ita urgentibus, ut nec Sedes Apoſtolica conſuli, nec Matrimonium, ad quod omnia ſunt diſpoſita, ſine gravi ſcandalo, & paratorum ad nuptias infamia multum differri poſſit, nullaque præter Ordinarii diſpenſationem pateat via *Tourn.* quia Papa ex præſumpta Eccleſiæ voluntate, pro bono Eccleſiæ, ac fidelium, conſentire cenſetur, *Bened. XIV.* vel ſi Confeſſarius ob temporis anguſtias, & imminens periculum infamiæ, ſcandali, &c. nec ad Epiſcopum recurrere queat, ipſemet in Diœceſi Baſileenſi poteſtate per inſtructionem Paſt. ad Confeſ. ejuſdem Diœceſis pro hujuſmodi caſu expreſſe, & ſpecialiter ſubdelegata cum pœnitente diſpenſare poteſt in confeſſionali, data a peccatis, ac cenſuris abſolutione, eo modo, quo infra dicetur; mutatis mutandis; ſuadendo tamen pœnitenti emiſſionem voti caſtitatis uſque ad tempus obtentæ diſpenſationis ab Epiſcopo, & poſtea declarando ſe voto ad contrahendum eſſe impeditum, prædictum facile tollitur periculum ſcandali, infamiæ, &c. ut ſolicitari poſſit pro alterius ſimul impedimenti diſpenſatione ab Epiſpoco occulte obtinenda, præcipue ſi confeſſio apud proprium facta fuerit Parochum; per alium enim Confeſſarium diſpenſatio voti ſeparatim ab alio impedimento eſſet petenda, ut oſtendi poſſit ſine alterius impedimenti occulti manifeſtatione; unde in praxi ſuadendum eſt, ut res Parocho in confeſſione declaretur. IV. ab Epiſcopo petenda diſpenſatio pro impedimentis dubiis, vel facti, ut ſi dubitet ſponſus, an cum conſanguinea ſponſæ commercium illegitimum habuerit; vel juris, ut ſi ſaniores dubitent Theologi, an impedimentum in hoc, vel illo caſu contractum fuerit, *Tourn.* quia caſus dubii Papæ non reſervantur, *ibid.* nec poſtea recurrendum ad Papam, ſi reſciatur, *Tourn.* quia abſolute diſpenſatum eſt; vel ſi diſpenſatio a Papa nulliter fuerit obtenta, ubi conſuetudo invaluerit, brevia nulliter obtenta ab Epiſcopo revalidandi, *Tourn.* quia conſuetudo hoc in caſu tribuit jus diſpenſandi. V. Pro impedimentis manifeſtis, & pro foro externo petenda eſt a Dataria Romana, vel in forma nobilium, vel honeſtorum, aut pauperum; pauperes autem cenſen-

tur ordinarie, qui de ſuis tantum laboribus, & induſtria vivunt: ſoletque a Dataria concedi in forma commiſſoria, & dirigi ad Ordinarium ſine expreſſione illius nominis, eoque ante executionem mortuo devolvitur ad ſucceſſorem; & valere incipit executo mandato Papæ, ſi ſit commiſſoria; vel ſi ſit in forma gratioſa immediate a Papa conceſſa, in foro interno, quamprimum Papa dixit: fiat, vel diſpenſamus; & in foro externo, expeditis litteris diſpentationis: non tamen licite contrahitur Matrimonium ex ſola præſumptione diſpenſationis in forma gratioſa conceſſæ, vel expeditæ; valide tamen, ſi tempore contractus revera fuiſſet conceſſa. VI. contrahentes e diverſis Diœceſibus in utraque diſpenſari debent, ſaltem ſecurius eſt, niſi conſuetudo habeat, ſufficere diſpenſationem loci celebrationis, vel niſi diſpenſatio ſit a Papa, *Tourn.*

Dico. 2. Diſpenſatio a Papa ſine ratione, vel ſine ſufficienti ſibi nota conceſſa valet; non vero Epiſcopi, & utraque eſt graviter illicita *P. Gerv. Bill.* vid. *Tr. de leg.* Q. 2 *quar.* 3. *Hinc* 1. Cauſæ autem, ob quas Papa diſpenſare ſolet, ſunt ſequentes, 1. anguſtia loci, ubi alii paris conditionis, quam conſanguinei inveniri nequeunt. 2. Ob dotem minus competentem. 3. Ob conſervationem bonorum ampliſſimorum in eadem familia. 4. Ob conſervationem illuſtris familiæ. 5. Ob meritum oratoris in Eccleſiam, aut ingentem pecuniæ ſummam in urgentes Eccleſiæ neceſſitates expendendam. 6. Ob prolem bona fide ex conſanguinea ſuſceptam. 7. Ob lites ex ſucceſſione magni momenti, ne mulier defectu viri ſuccumbat. 8. Propter graves inter conſanguineos, vel affines inimicitias componendas. 9. Propter pacem confirmandam. 10. Propter oratricem filiis gravatam. 11. Propter oratricem excedentem 24. annum, quæ hactenus conditionem parem non potuit invenire. 12. Propter infamiam aut ſcandalum ex nimia familiaritate, ſecluſa tamen copula. 13. Propter copulam ſcienter admiſſam veſana libidine, non vero pro faciliori diſpenſatione habita. 14. Vehemens inter oratores ex nimia familiaritate copulæ ſuſpicio. 15. Paupertas, ſaltem pro gratis obtinenda diſpenſatione; & licet pauperes cenſeantur, qui de ſuis tantum laboribus, & induſtria vivunt, attamen etiam inter nobiles dantur.

Hinc 3. Matrimonium nullum, 1. defectu conſenſus, ficte,

ficte, metu, vel errore contractum, revalidari debet per renovationem mutui conſenſus, externe manifeſtati; quia prior fuit nullus; [etiamſi unus duntaxat conjugum non conſenſiſſet, ſaltem in praxi eſt ſecurius, niſi ſcandalum, vel aliud grave incommodum timeatur; quia tunc ſufficit, ut qui ficte, vel errore, aut metu promiſit, vere conſentiat, *S. Bonav. S. Anton. S. Thom.* modo alter conſenſum ſolemniter datum non retraxerit; quia videtur adhuc moraliter durare; imo ſi comparti crimen, vel invaliditas revelari nequeat ob odia, rixas, Matrimonii, ac prolium deſertionem, &c. ſufficere poſſet conſenſus liber in copulam maritalem; quia libera cohabitatio, ac copula conjugalis eam conſenſiſſe probant, *Clem. III. & Alex. III.* 2. Matrimonium nullum ex alio impedimento, ſi ſit notorium, obtenta diſpenſatione, per novum conſenſum coram Parocho, & teſtibus renovari debet; quia tunc urget ratio Concilii Tridentini; ſi ſit occultum, nec periculum revelationis, & fuerit contractum in facie Eccleſiæ, ſufficit mutuus conſenſus; quia probari poteſt vi prioris Parochi, ac teſtium aſſiſtentiæ, *S. Pius V.* occultum vero dicitur, vel quod omnino ſecretum, & nulla ratione, vel jure poteſt probari; vel quod non eſt notum pluribus, quam quinque communitatis decem ſaltem perſonis conſtantis, *Tourn.* nec ad forum contentioſum eſt deductum, vel deducendum; vel quod ob diſtantiam loci ignoratur; vel ob diuturnitatem temporis oblivioni traditum eſt; & non eſt periculum revelationis, ſi ſcientes non ſint garruli, vel detractores; non tamen ad revalidandum Matrimonium ſufficit velleitas, v. g. contraherem; ſed requiritur conſenſus de præſenti, v. g. de novo conſentio, vel contraho, *Thom. ex Charm.* vel dicendo: caſu, quo fuerit nullum, nonne de novo conſentis? ſi dicat ita, valet; ſi dicat non, melior diſpoſitio exſpectanda eſt. Si vero clandeſtine fuerit contractum, debet renovari in præſentia Parochi, ac teſtium, ubi viget Concilium Trid. quia alias in foro externo Matrimonium non poſſet probari; vel Confeſſarius petat licentiam eos jungendi coram fidiſſimis teſtibus.

Quær. 7. In quibuſnam caſibus ad S. Pœnitentiariam pro diſpenſatione recurrendum ſit, & quænam cauſa ſint allegandæ?

Dico, In quadruplici materia recurrendum eſt ad S. Pœni-

Pœnitentiariam 1. pro diſpenſatione in impedimentis, ſive impedientibus, ſive dirimentibus, Matrimonio contracto, ſive contrahendo, modo ex crimine occulto ſint, & in quibus Epiſcopus diſpenſare non poteſt. 2. Pro diſpenſatione votorum. 3. Pro cenſuris reſervatis, & irregularitate. 4. Pro condonanda obligatione reſtitutionis ob horas canonicas neglectas. Cauſæ allegandæ pro diſpenſatione 1, impedimentorum ſunt ſupradictæ. 2. Pro diſpenſatione votorum, præcipue Religionis ſunt inopia parentum, aut fratrum, debilitas virium, metus incontinentiæ, defectus dotis, &c. 3. Pro cenſuris, ſubmiſſio mandatis Eccleſiæ, & pro irregularitate, Eccleſiæ utilitas. 4. Pro reſtitutione, reſtituendi difficultas.

Quær. 8. Quomodo diſpenſatio a S. Pœnitentiaria, & Dataria petenda ſit?

Dico. Pro modo petendi diſpenſationem a S. Pœnitentiaria obſervanda ſunt ſequentia, 1. ut impedimentum ſit diſpenſabile, 2. Ut communiter ſcribatur latine, quamvis etiam in lingua vernacula recipi ſoleat, *Tourn.* 3. Ut rite exponatur impedimentum ſecundum ſpeciem ſuam, & qualitates a jure, vel ſtilo curiæ requiſitas. 4. Ut exprimatur nomen, ac cognomen illius, ad quem a S. Pœnitentiaria ſit reſcribendum, & oppidum, ſeu civitas; ac Regio vulgari nomine, & locus; per quem reſponſio ſecure dirigi poſſit cum data diei, menſis, ac anni; non vero nomen oratoris, niſi Fictum. Pro Dataria vero exprimi debet, 1. nomen, & cognomen oratoris. 2. Diœceſis originis, niſi aliud habeat domicilium fixum. 3. Si orator, & oratrix ſint ex duabus Diœceſibus, ambæ exprimendæ ſunt, *Tourn.* formulam pro S. Pœnitentiaria vide in ſine.

Hinc 1. In linea recta conſanguinitatis in quocunque gradu, & primo collaterali pro nullo diſpenſatio petenda eſt, quia, cum ſint ex Jure naturæ, non diſpenſantur; & ſi in iſtis gradibus Matrimonio juncti ſint in ignorantia invincibili, & ſeparari nequeant ſine ſcandalo, in ea relinquendi ſunt; & in ſecundo non niſi pro magnis Principibus ob publicam cauſam, *Conc. Trid.* nec a S. Pœnitentiaria diſpenſatio petenda in aliis gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita; quia, cum non ſint ex crimine occulto, a Dataria petenda eſt, niſi Matrimonium jam ſit contractum; quia tunc S. Pœniten-

tia-

tiaria ad illud revalidandum in iis diſpenſat, modo occulti ſint; vel ſi publici ſint, & diſpenſatio fuerit petita a Dataria occulte ſubreptitie, vel obreptitie, modo falſitas non conſiſtat in narratione præcedentis copulæ non habitæ, *Tourn.*

Hinc 2. Diſpenſatio eſt nulla, 1. ſi ſit obreptitia, allegando falſum, & ſi cauſa finalis, & principalis diſpenſationis non fuerit vera ſaltem tempore, quo diſpenſatio conceſſa eſt; ſi autem plures allegentur copulativæ, ſufficit, ſi illa ſit vera, cui reſcriptum innititur; vel ſi ſint disjunctivæ, ſi alterutra ſit vera; ſi nulla ſpecificata ſit in reſcripto, ſufficit, ſi una ex allegatis in petitione ſufficiens ſit, & vera, *P. Gerv.* imo ſi in reſcripto alia fuiſſet allegata, & non vera, omiſſa vera in petitione allegata, non cenſetur invalida, *Billuart.* quia præſumitur, non eſſe de ſtilo curiæ, apponere allegatam; vel ſi falſa ſolum fuiſſet cauſa impulſiva, ſine qua adhuc diſpenſaſſet, modo non ex fraude, vel malitia, ſed ex ignorantia, vel ſimplicitate factum ſit, *Innoc, III.* in dubio autem cenſetur tantum impulſiva; & in dubio, an ſit obreptitia, aut ſubreptitia, valida eſt; quia valori actus favendum, *Sanch. apud P. Gerv.* 2. Eſt nulla, ſi ſit ſubreptitia, reticendo verum, ut ſi in petitione fuiſſet omiſſa qualitas a jure, vel ſtilo curiæ requiſita; vel reticeatur verum, ratione cujus diſpenſatio non fuiſſet conceſſa, vel non niſi cum certa conditione, ac limitatione *cap. ſuper de reſcrip.* v. g. omittendo, impedimentum eſſe notorium; quia in hoc S. Pœnitentiaria non ſolet diſpenſare, ſed Dataria; vel ſi dives peteret in forma pauperum, *Billuart*; quia licet adhuc fuiſſet conceſſa, non tamen niſi certa conditione, & ſolutione eleemoſynæ; vel reticendo, Matrimonium jam eſſe contractum bona, vel mala fide, nempe cum notitia impedimenti, vel ignorantia graviter culpabili, *Sanch.* vel cum ſpe facilioris diſpenſationis, vel jam eſſe conſummatum, *Tourn.* vel cum impedimento ignorato, non promiſſis denunciationibus, *ibid.* quia Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. hos omni diſpenſationis gratia vult carere, & iis difficilius diſpenſatur; vel non declarando, copulam pro motivo diſpenſationis allegatam interceſſiſſe cum ſpe, & intentione diſpenſationis facilius obtinendæ, *Tourn.* quia eſt fraus, etiamſi una duntaxat pars hanc intentionem habuiſſet, *ibid. Corradus contra P.*

Gerv.

Gerv. ſi vero aliæ cauſæ diſpenſationis ſint ſufficientes; non neceſſario eſponenda eſt copula, ac proinde nec illa intentio facilioris diſpenſationis, *P. Gervaſius*; nec tenentur oratores in foro externo eam fateri ab Ordinario interrogati, etiamſi in reſcripto dicatur (*ſi copula non fuerit*) valetque diſpenſatio obtenta in foro externo, modo copula ſit occulta, & non probetur in foro externo, *P. Gerv.* quia non tenentur ſe diffamare; bene autem eam fateri tenentur Confeſſario pro executione diſpenſationis, in foro conſcientiæ conceſſæ, *Nav. Baſſa*; *Bonagr. apud P. Gerv.* vel etiam in foro externo, ſi habita fuiſſet copula inceſtuoſa notoria pro diſpenſatione cognationis carnalis, vel ſpiritualis, ac publicæ honeſtatis; ſive copula cum ſpe, ſive abſque ſpe facilioris diſpenſationis fuiſſet habita, *Sanch. Barboſ. Corrad. & alii apud Tournely*; non vero ſi ſit occulta, *Sanch. Reinfeſt. ibid.* quia licet Papa ob copulam inceſtuoſam in Dataria majorem ſoleat imponere pœnitentiam, non tamen cenſetur exigere illius manifeſtationem, ſi ſit occulta, cum ſui diffamatione; putat tamen Tournely, ad S. Pænitentiariam eſſe recurrendum exponendo, diſpenſationem cognationis publicæ a Dataria petitam; quia tutius eſt, & ſi petita, ſed nondum conceſſa diſpenſatione, copula inceſtuoſa notoria fuerit habita, de novo diſpenſatio petenda eſt, *Tourn. & S. Congr. Concil. Trid.* quia verum non eſſet, tempore diſpenſationis non interceſſiſſe copulam; valeret tamen diſpenſatio, ſi fuiſſet cupula habita, conceſſa jam diſpenſatione, vel poſt petitam fuiſſet repetita, *Tourn. & alii*; quia in priori caſu non amplius eſt inceſtuoſa, cum ſit inter diſpenſatos, & in ſecundo idem crimen quoad ſpeciem jam fuit expoſitum, licet numerus interim fuerit auctus, qui exprimi non ſolet. 3. Eſt nulla, ſi reticeatur pro diſpenſatione affinitatis, oratorem duas cognoviſſe ſorores ſponſæ; quia eſt duplex affinitatis impedimentum cum ſponſa; vel eſſe ex copula licita; quia S. Pænitentiaria in hac diſpenſare non ſolet, cum non ſit de crimine occulto; vel dupliciter eſſe conſanguineum ex patre, & matre, *Sanch. Gob.* vel eſſe in linea recta, vel inæqualiter diſtantium a ſtipite, non exprimendo propinquiorem, ſi ſit primus gradus, *Sanch. & alii*; vel exprimendo per errorem, vel ignorantiam tertium pro ſecundo gradu: valeret tamen exprimendo ſecundum ejuſdem ſpeciei, v. g. conſanguini-

tatis

tatis loco tertii; quia remotior in propinquiori comprehenditur; ſecus foret, ſi exprimeret conſanguinitatis gradum loco affinitatis, *Sanch. & alii*, quia eſt diverſæ ſpeciei; vel ſi ſint plura impedimenta, & conſanguinitatis, & affinitatis, vel plures conſanguinitates, & ſeparatim nunc pro uno, poſtea pro altero petatur; quia debet peti diſpenſatio pro omnibus ſimul, alias cenſetur fraus. 4. Eſt nulla, ſi pro diſpenſatione impedimenti publicæ honeſtatis non addat, eſſe ex ſponſalibus, vel ex Matrimonio rato, & in quo gradu; quia notabiliter differunt; vel ſi jam ſemel obtenta diſpenſatione uxoricidii, non addatur ſecunda vice, eſſe pro relapſo, *Gob. Tamb.* quia in iſtis ægerrime diſpenſari ſolet; vel an ſit ex ſolo homicidio, vel adulterio, aut ex utroque; quia diverſa ſunt. Vel pro cognatione ſpirituali non exprimendo, an ſit filiatio, & paternitas, vel compaternitas, & commaternitas, *Sanch.* quia filiatio, & paternitas a compaternitate notabiliter differunt; an filium Baptiſmi carnaliter cognoverit; vel an duplex ſit, puta quia ex fonte ſacro, & eandem ex confirmatione tenuit, vel filios illius tenuit, qui etiam ſuos ex Baptiſmo levavit. Non tamen neceſſario exprimendus prior gradus, aut propinquior in linea collaterali, ſi ſit remotior primo, *Clem. VIII.* Letteræ tamen declaratoriæ pro foro externo, & ſcandalo vitando ſunt petendæ, non vero pro valore; nec ſi ſit ex copula occulta, *Sanch.* modo non ſit primus gradus; nec ſi eandem ſororem ſponſæ ſæpius cognoverit, vel jam petita diſpenſatione, bene autem, ſi conceſſa jam diſpenſationem iterum cognoverit; quia novum non diſpenſatum contraheret impedimentum; non autem ante ſæpius eandem cognoſcendo, *Sanch.* nec ſi plures ejuſdem ex baptiſmo, vel Confirmatione ſuſceperit, *Clem. VIII.* quia affinitas, vel cognatio ſpiritualis non cenſetur inde multiplicata, *Tourn.* nec an ſit ex Baptiſmo, vel Confirmatione, *Tourn.* quia hæc nihil, vel parum rem mutant: obtenta vero diſpenſatione ad contrahendum cum una ſorore ſponſæ defunctæ, non poteſt contrahi cum alia ſine nova diſpenſatione, *P. Gerv.* & ſi concurrat duplex impedimentum, unum occultum ex copula illicita, aliud conſanguinitatis publicum, pro publico publice ad Datariam, & pro occulto occulte ad S. Pœnitentiariam recurrendum, faciendo mentionem alterius publici a Papa diſpenſandi, *Baſſ. Bonagr.*

Quær.

Digitized by Google

Quær. 9. *Quanam pro valida diſpenſationis executione obſervanda ſint?*

Dico. Pro valida executione diſpenſationis a S. Pœnitentiaria obtentæ pro Matrimonio contrahendo, ordinarie juxta Tournely præſcribuntur, & ſervandæ ſunt ſequentes conditiones; 1. ut executor ſit Doctor S. Theologiæ, vel juris Canonici graduatus, niſi ad alium dirigatur reſcriptum. 2. Ut ſit approbatus ab Ordinario perſonæ diſpenſandæ. 3. Ut, adhibita admonitione, ac conſilio opportuno de veritate ſincere coram Deo aperienda, & adhibito examine, an impedimentum ſit occultum, an cauſæ allegatæ, præcipue Finalis, ſine qua S. Pœnitentiaria non diſpenſaſſet, veritate nitantur; an res ita, ut expoſita fuit, reperiatur. 4. Ut prius audiatur confeſſio ſacramentalis, etiamſi impedimentum diſpenſatum nullum ſupponat peccatum, nec mortale commiſerit. 5. Ut ſublata ſit occaſio peccandi; nec antea diſpenſandum. 6. Ut injungatur ei gravis pœnitentia, quæ poteſt eſſe minor, ſi jam in aliis confeſſionibus proportionata fuerit impoſita. 7. Ut injungantur alia de jure injungenda, nempe reſtitutio famæ, bonorum, &c. Si de iſtis peccatis ſimul fiat accuſatio, 8. Ut impedimentum ſit occultum; unde ſi in examine cognoſcat, eſſe notorium, non exequenda diſpenſatio. 9. Ut aliud canonicum impedimentum non obſtet; alias illius diſpenſatio petenda a S. Pœnitentiaria, ſi ſit occultum, vel a Dataria, ſi ſit manifeſtum; & ut Matrimonium contrahatur, ſervata forma Concilii Trid. nimirum contrahendo præviis, vel omiſſis de licentia Ordinarii, denunciationibus, coram Parocho, & teſtibus. 10. Ut diſpenſetur in foro conſcientiæ, id eſt, in Sacramento Pœnitentiæ. 11. Litteris S. Pœnitentiariæ laceratis, ſcilicet quamprimum moraliter fieri poteſt; ita, ut nec reſcriptum, nec delictum cognoſci poſſit; quia diſpenſatio in foro judiciali nullatenus ſuffragatur, id eſt, impedimento poſtea ad judicium deducto, non poteſt diſpenſatus amplius uti diſpenſatione, niſi occulte, & ſine ſcandalo, v. g. pro maritali jure, ſed ad Datariam recurrendum. 12. Ut litteræ non latori reſtituantur; quia reſtitutæ nec ei ſuffragantur in foro externo; valeret tamen diſpenſatio, licet graviter peccet, & excommunicetur Confeſſarius earum reſtitutor. Pro Matrimonio renovando, ac continuando inſuper requiritur, 1.

ut orator a quibuſvis ſententiis ; cenſuris , & pœnis ſit abſolutus . 2. Ut imponatur confeſſio ſacramentalis pro quolibet menſe per tempus arbitrio Confeſſarii ſtatutum , ut ad duos ; vel melius ad ſex menſes , *Tourn.* 3. Ut ſeparatio , ſine ſcándalo ; & cohabitatio ſine incontinentiæ periculo fieri nequeat ; quæ ordinarie timenda ſunt . 4. Ut compars de nullitate prioris conſenſus certior fiat , eo nempe modo ; ut novum in Matrimonium conſenſum abſolutum præbeat ; ut ſupra *Quær. 6. Hinc* 3. 5. Ut de novo ſecrete contrahant , id eſt , ſine Parocho , & teſtibus ; *Tourn.* & in debiti redditionem nullus conſentiat ; donec prævie novum conſenſum a comparte impedimenti neſcia obtineat ; quia alias fornicaretur .

Hinc: invalida eſt diſpenſationis executio facta 1. a Doctore in Jure ; vel Licentiato tantum , vel a Magiſtro in Univerſitate non graduato ; niſi eſſet ad id privilegiatus a Papa ; vel alius ; executionem ſibi delegari precatus ; eam obtinuerit ; *ibid.* vel proprio motu ad Parochum , vel Confeſſarium directa fuerit ; litteræ tamen ab alio apertæ non amittunt valorem ; & a Doctore graduato adhuc executioni mandari poſſunt . 2. A non approbato ab Epiſcopo ; ſi ſit in favorem ſæcularis , vel a Superiore , ſi ſit in favorem Regularis ; vel a non approbato pro Monialibus , ſi ſit in favorem Monialis ; non requiritur tamen ; ut ſit approbatus pro illo conventu , & in quo degit diſpenſanda ; & aliquando ab Ordinario ſolum approbato hujuſmodi diſpenſatio committitur , *Nav. apud Tourn.* ſecurius autem eſt , ut quis approbationem ſpecialem pro Monialibus ab Ordinario petat ; *Tourn.* quia alias non poſſet illius excipere confeſſionem , quæ ordinarie præſcribitur . 3. Non adhibita admonitione de veritate dicenda , ſaltem executor graviter peccare videtur , &c. quia præcipitur ; niſi pœnitentis probitas , ac religio jam nota ſit Confeſſario ; quia alias ſe exponeret decipi in re gravi : 4. Invalida eſt diſpenſatio omiſſo examine expreſſe præſcripto de veritate , an impedimentum ſit occultum , & cauſæ diſpenſationis ſint veræ ; præcipue finalis ; etiamſi in re eſſent veræ , *Sanch.* quia ſub hac conditione ſupponitur conceſſa diſpenſandi facultas . Valeret tamen ; ſi aliunde facti veritas Confeſſario perſpecta ſit , vel in reſcripto examen expreſſe non præſcribatur , ſed tantum dicatur : ſi ita ſit , prout de facto ordinarie fieri ſolet ;

gra-

graviter tamen peccaret, ſi culpabiliter examen omitteret: quia conſcientia illius a Papa oneratur de veritate inquirenda. *Tourn.* non ſufficit autem pro diſpenſatione allegatum incontinentiæ periculum, ſi ſolum adſit tentatio, vel periculum unius lapſus; ſed requiritur periculum ex habitu, vel vehementia tentationis, votum ſæpius violandi, *Nav.* quamvis *Tournely* unius lapſus periculum ſufficere credat; non tamen requiritur inquiſitio, an cauſa allegata fuerit ſufficiens, ſed ſolum, an fuerit vera; quia hoc pertinet ad diſpenſationem committentem; poteſt etiam ab uno ad alium recurrere Confeſſarium, modo non ex fine laxioris, vel minus eruditi fiat; poteſt etiam prior Confeſſarius, re propius perpenſa, a priori ſua opinione recedere, *Tourn.* neutrum vero fieri poteſt in diſpenſationibus Datariæ; non primum; quia judicium ab uno inceptum ab eodem debet terminari; *Sanch. ex leg.* 30. *ff. de judiciis*; etiamſi prior in electionem alterius conſentiat: non ſecundum; quia perimitur juriſdictio Judicis delegati lata ſententia definitiva, etiamſi eam ferendo erraverint, ac proinde in utroque caſu ad S. Pontificem recurrendum eſt, & facto examine, pœnitentis aſſertioni credendum eſt, niſi Confeſſarius, rem non ita eſſe, aliunde noverit; quia tunc non debet exequi diſpenſationem, quidquid pœnitens dicat; niſi ex alterius confeſſione ſcias; quia tunc ſigillum confeſſionis ſervandum eſt. 5. Invalida eſt diſpenſatio; ſi fiat extra confeſſionem ſacramentalem, vel non ſublata occaſione peccandi, vel non injuncta pœnitentia præſcripta; quia ſub his conditionibus diſpenſandi poteſtas conceditur. 4. Agendo contra caſtitatem conjugalem, v. g. adulterando, &c. peccat ſimul contra votum caſtitatis, licet ſit diſpenſatum; quia tantum eſt diſpenſatum quoad uſum Matrimonii, & ſi in alia pœnitentiæ opera votum ſit permutandum, non ſufficit unum, ſed ſaltem duo bona opera imponi debent; quia, cum dicatur in plurali, non verificarentur verba reſcripti; & operum præſcriptorum durat obligatio, quamdiu durat diſpenſatio, ac incipit obligatio, dum conſummatur Matrimonium; quia non ante operatur diſpenſatio; & ceſſat per mortem conjugis commutationis uſus; quia reviviſcit voti caſtitatis obligatio; non vero Religionis; & ſi debeant quotidiana bona opera imponi; debent ita imponi, ut primævæ obligationis ſint recor-

recordatio, ſed tamen faciliora, præcipue in diſpenſatione voti Religionis.

Forma ſolita diſpenſationis poſt abſolutionem a peccatis, ac cenſuris a Confeſſario deputato, mutatis mutandis, adhibenda pro Matrimonio contrahemdo.

Et inſuper auctoritate apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento primi (ſeu ſecundi, ſeu primi, & ſecundi) gradus ex copula illicita a te habita cum ſorore mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente; ut præfato impedimento non obſtante, Matrimonium cum dicta muliere publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, conſummare, & in eo remanere licite poſſis, & valeas. In nomine Patris, &c.

Pro legitimatione prolis.

Et inſuper, eadem auctoritate apoſtolicam prolem, quam ex Matrimonio ſuſceperis, legitimam fore, nuncio, & declaro. In nomine Patris, &c. Paſſio Domini noſtri, &c.

Ad remanendum in Matrimonio contracto.

Et inſuper, auctoritate apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum ſorore tuæ putatæ conjugis antea habuiſti, ut, illo non obſtante, renovato conſenſu cum præfata conjuge, Matrimonium cum illa contrahere, conſummare, & in eo remanere licite poſſis, & valeas, & pariter eadem auctoritate apoſtolica prolem, ſi quam ſuſcepiſti, & ſuſceperis, legitimam fore, decerno, & declaro, &c.

A voto caſtitatis ad contrahendum Matrimonium.

Et inſuper, auctoritate apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tibi votum caſtitatis, quod emiſiſti; ad effectum, ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, & petere licite poſſis, & valeas, & in opera, quæ tibi præſcripſi, diſpenſando commuto. In nomine Patris, &c.

A voto caſtitatis ad perſeverandum in Matrimonio.

Et inſuper, auctoritate apoſtolica mihi ſpecialiter conceſſa, diſpenſo tecum, & te, non obſtante voto caſtitatis, quod emiſiſti, & transgreſſus fuiſti, in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere poſſe, & debere declaro; & ut idem debitum etiam exigere licite poſ-

poſſis, & valeas, tecum eadem auctoritate apoſtolica diſpenſo. In nomine Patris, &c.

Formula ſcribendi pro diſpenſatione ad ſacram Pœnitentiariam.

Diſpenſatio pro foro interno a S. Pœnitentiaria, non vero a Papa petitur; unde interius ſcribitur.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine,

N. mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeu Supplicationem ſic:

Dignetur Eminentia veſtra reſcribere ad N. & N. (*& exprimant nomen, & cognomen, cui eſt reſcriptum*) ad civitatem N. (*exprimendo vulgari lingua nomen oppidi*) & dirigere breve, ſeu gratiam ſimplici Confeſſario (*ſeu Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe pœnitens, & præſertim fœmina cogantur circumire pro executione gratiæ S. Pœnitentiariæ.*

Inſcriptio exterius fit, ut ſequitur:

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali majori Pœnitentiariæ.

Romam.

Et ſi tardaverit reſponſio, Confeſſarii reſcribant, ne forte ſit perdita, & nunquam deſperent pœnitentes; conſultius tamen eſt, ut Confeſſarius pro obtinenda diſpenſatione, ſuppreſſo nomine ea indigentis, Epiſcopum, vel alium in his materiis experientiam habentem, adhibeat.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I N-

INDEX
OMNIUM QUÆSTIONUM.
PARTIS SECUNDÆ.

TRACTATUS I.
De Sacramentis In Genere.

QUESTIO I.
DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Sacramentum? 3
2 quot ſint Sacramenta? 4
3 quomodo Sacramenta perficiantur? 5
4 quænam mutatio irritet Sacramentum? 6

QUÆSTIO II.
DE MINISTRO, ET SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quiſnam ſit Miniſter Sacramentorum, quid, & quotuplex intentio, conditio, ac neceſſitas illorum? 8
2 quiſnam ſit primarius, & ſecundarius Sacramentorum Miniſter? 9
3 quid requiratur in Miniſtro ad validam Sacramentorum adminiſtrationem? ibid.
4 quænam in Miniſtro ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem requirantur? 12

X 2 *5 quod-*

5 quedam ſit ſubjectum capax ſuſcipiendi Sacramenta? 15
6 quanam requirantur ad Sacramentorum validam ſuſceptionem? ibid.
quanam requirantur ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem? 16

QUÆSTIO III.

DE EFFECTIBUS, ET CEREMONIIS SACRAMENTORUM.

Quæritur. 1. Quinam ſint effectus Sacramentorum? 18
2 quid, & quotuplices ſint ceremoniæ? 20
3 quiſnam ceremonias inſtituere poſſit, an ſint laudabiles, ac neceſſario obſervandæ? 21
4 quinam ſint ſacramentalium effectus? 22

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

QUÆSTIO I.

DE BAPTISMO.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus? 23
2 Quænam ſit baptiſmi neceſſitas, & quando ſit inſtitutus? ibid.
3 quænam ſit materia, & forma baptiſmi? 25
4 quiſnam ſit Miniſter baptiſmi? 28
5 quodnam ſit ſubjectum baptiſmi? 29
6 quinam ſint effectus baptiſmi? 31
7 quænam ad baptiſmum validè, ac licitè ſuſcipiendum requirantur? ibid.
8 quando ceremoniæ baptiſmi ſint ſupplendæ, & patrini adhibendi? 32

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE CONFIRMATIONE.

Quæritur. 1. Quid ſit confirmatio, & quando ſit inſtituta? 33
2 quænam ſit materia, & forma confirmationis? ibid.
3 quiſnam ſit Miniſter, & ſubjectum confirmationis? 34
4 quænam ſit diſpoſitio, & obligatio confirmationis? ibid.
5 quinam ſint confirmationis effectus? 35

TRACTATUS III.

DE EUCHARISTIA.

QUÆSTIO I.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

Quæritur. 1. Quid ſit Euchariſtia, & quænam ejus partes eſſentiales? 37
2 quænam ſit materia remota, & proxima, ac forma Euchariſtiæ? 38
3 an, & quomodo Chriſtus, ſit, & fiat præſens in Euchariſtia? 44
4 quid vi verborum ſit in Euchariſtia præſens? 45
5 quomodo exiſtat Chriſtus in ſacra Hoſtia, & qualibet illius parte? ibid.
6 quomodo in Euchariſtia exiſtant ſpecies panis, & vini, & quomodo illis corruptis, deſinat Corpus Chriſti? 46
7 quiſnam ſit Miniſter Euchariſtiæ conſecrandæ, & diſpenſandæ? 48
8 quiſnam ſit Miniſter extraordinarius Euchariſtiæ diſtribuendæ? 49

9 *quinam ſit ſubjectum capax Euchariſtiæ?* 50
10 *quotnam requirantur ad Euchariſtiam percipiendam ex parte corporis diſpoſitiones?* 51
11 *quot requirantur ad Euchariſtiam diſpoſitiones ex parte animæ?* 55
12 *quænam ſit Euchariſtiæ neceſſitas, & obligatio communionis?* 58
13 *an Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſit neceſſaria?* 62
14 *an communio quotidiana ſit licita?* ibid.
15 *quinam ſint effectus Euchariſtiæ?* 63

QUÆSTIO II.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit ſacrificium?* 64
2 *an Miſſa verum ſit ſacrificium, & in quanam actione conſiſtat?* 65
3 *quotuplex ſit ſacrificium Miſſæ, illius fructus, & portio?* 66
4 *an valor Miſſæ ſit infinitus?* 68
5 *quiſnam ſit Miniſter ſacrificii Miſſæ?* 69
6 *pro quibuſnam ſacrificium Miſſæ poſſit, & debeat offerri?* ibid.
7 *quando, quoties, & ubi celebrare liceat?* 75
8 *quænam ad Miſſam celebrandam requirantur?* 80
9 *an Miſſam aliquando interrumpere liceat?* 86

TRA-

TRACTATUS IV.

DE PŒNITENTIA.

QUÆSTIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. *Quid ſit pœnitentia, ut virtus, & Sacramentum?* 88
2 *an detur virtus pœnitentiæ, & quænam ſit illius neceſſitas?* 89
3 *an etiam detur Sacramentum pœnitentiæ, & quænam ſit illius neceſſitas, & effectus?* ibid.
4 *quænam ſit materia, & forma Sacramenti pœnitentiæ?* ibid.
5 *quibuſnam verbis forma Sacramenti pœnitentiæ exprimatur?* 90

QUÆSTIO II.

DE CONTRITIONE.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit contritio, timor, & amor?* 92
2 *quot conditiones contritio habere debeat?* 93
3 *quomodo contritio ſit neceſſaria?* 95
4 *in quo conſiſtat contritio perfecta, & quomodo peccatorem juſtificet?* 97
5 *an contritio imperfecta, ſeu attritio ſit bona, laudabilis, ac ſufficiens ad Sacramentum diſpoſitio?* 98

QUÆSTIO III.

DE CONFESSIONE.

Quæritur. 1. *Quid ſit confeſſio, & quot illius conditiones?* ibid.

2 quotuplex ſit integritas confeſſionis, & quot illius conditiones? 99
3 quid ſit ſigillum confeſſionis? ibid.
4 quando obliget præceptum confeſſionis ſacramentalis? ibid.
5 quænam pertineant ad integritatem confeſſionis? 102
6 an peccata dubia etiam pertineant ad integritatem confeſſionis, & an mentiri in confeſſione ſemper ſit mortale? ibid.
7 an aliquando liceat manifeſtare in confeſſione complicem, & perſonam, quæ fuit objectum peccati? 104
8 quando infirmi ſenſibus deſtituti ſint abſolvendi? 107
9 quænam ſint cauſæ a materiali confeſſionis integritate excuſantes? 108
10 quænam ſit ſigilli ſacramentalis obligatio? 110

QUÆSTIO IV.

DE SATISFACTIONE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit ſatisfactio? 116
2 an remiſſa culpa remittatur tota pœna temporalis, & qualem confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam? 117
3 an pœnitens teneatur acceptare, ac implere pœnitentiam, & an ipſe, vel confeſſarius illam mutare poſſit? 119

QUÆSTIO V.

DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit poteſtas Miniſtri pœnitentiæ? 121
2 quid ſit approbatio? 122
3 quid, & quotuplices ſint caſus reſervati? ibid.
4 quid, & quotuplex ſit abſolutio? ibid.
5 quid, & quotuplex ſit occaſio peccati? ibid.
6 quiſnam ſit recidivus, & conſuetudinarius? 123
7 quid ſit titulus coloratus, & error communis? ibid.
8 quænam requirantur ex parte Miniſtri ad abſolutionem validam? ibid.
9 quinam habeant juriſdictionem ordinariam, ac delegatam? 128
10 quinam poſſint reſervare caſus, & quot requirantur conditiones, ut caſus ſit reſervatus? 132

11 quiſnam a reſervatis abſolvere poſſit? 135
12 quænam requirantur ex parte Miniſtri ad licitam abſolutionem? 143
13 an, & quomodo Parochus teneatur audire confeſſiones ſuorum parochianorum, & quomodo alius ſe gerere debeat confeſſarius? 148
14 quando confeſſarius pœnitentem abſolvere, vel non abſolvere debeat? 149
15 quando abſolutio ſit nulla ex parte pœnitentis, & an Sacramentum pœnitentiæ poſſit eſſe validum, & informe? 154

QUÆSTIO VI.

DE EFFECTIBUS PŒNITENTIÆ.

Quæritur. 1. Quinam ſint effectus Sacramenti pœnitentiæ, & quomodo veniale remittatur extra Sacramentum? 155
2 quotuplicis generis ſint opera? 156
3 an bona opera juſtorum per pœnitentiam reviviſcant, & peccata per pœnitentiam dimiſſa redeant per peccatum ſubſequens? ibid.

QUÆSTIO VII.

DE PURGATORIO, SUFRAGIIS, ET INDULGENTIIS.

Quæritur. 1. Quid ſit purgatorium, ſuffragium, & indulgentia, & quotuplex indulgentia? 157
2 an detur purgatorium, ac ſuffragiorum communio, & quænam pro illorum communione requirantur conditiones? ibid.
3 quiſnam poſſit concedere indulgentias, quomodo valeant; & quænam ſint pro illis lucrandis conditiones? 158

TRA-

TRACTATUS V.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE,

QUÆSTIO I.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Quæritur. 1. *Quid ſit extrema Unctio?* 163
2 *an extrema Unctio verum ſit Sacramentum, & quænam ſit illius materia, & forma?* ibid.
3 *quiſnam ſit Miniſter, quænam præparatio, & effectus extremæ Unctionis?* 164

QUÆSTIO II.

DE ORDINE.

Quæritur. 1. *Quid ſit Ordo, & quot ſint Ordines?* 168
2 *quomodo definiantur ſinguli Ordines?* ibid.
3 *an Ordo verum ſit Sacramentum?* 169
4 *quænam ſit materia, & forma Ordinum in genere, & in particulari?* 170
5 *quiſnam ſit Miniſter Ordinum?* 173
6 *quodnam ſit ſubjectum capax Ordinum, & quænam in eo requirantur diſpoſitiones?* 175
7 *quinam ſint effectus Ordinis, ac cujuslibet functiones?* 177

QUÆSTIO III.

DE IRREGULARITATE.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit irregularitas?* 179
2 *quot modis irregularitas ex defectu contrahatur?* ibid.
3 *quot modis contrahatur irregularitas ex delicto?* 188
4 *quinam ſint effectus irregularitatis, & quomodo tollatur irregularitas?* 193

TRA-

TRACTATUS VI.

DE CENSURIS.

QUÆSTIO I.

DE CENSURIS IN GENERE.

Quaritur 1. *Quid, & quotuplex ſit cenſura?* 199
2 *quiſnam poſſit ferre cenſuras?* 200
3 *quanam requirantur conditiones ad valide, ac licite cenſuras ferendas?* 201
4 *quiſnam poſſit abſolvere a cenſuris?* 210
5 *quomodo danda ſit abſolutio a cenſuris?* 214

QUÆSTIO II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Quaritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit excommunicatio?* 215
2 *an excommunicatio in communitatem lata ſit valida, & quinam excommunicationem incurrant?* ibid.
3 *quinam excommunicati vitandi ſint, & a quo Clerici percuſſor abſolvi poſſit?* 216
4 *quinam ſint effectus excommunicationis majoris, & minoris?* 220
5 *a quonam monitoria concedenda ſint?* 228
6 *quandonam monitoria concedenda ſint?* 229
7 *quinam vi monitorii aliquid revelare, vel non revelare teneantur?* 230

QUÆSTIO III.

DE SUSPENSIONE.

Quaritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio?* 234
2 *quinam ſint effectus ſuſpenſionis?* 235
3 *quiſnam a ſuſpenſione poſſit abſolvere?* 239
4 *quanam ſint ſuſpenſiones Papa, & Epiſcopo reſervata?* 240

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

DE INTERDICTO, CESSATIONE A DIVINIS, DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit interdictum? 242
2 ob quam cauſam poſſit ferri interdictum; & quomodo ceſſet? ibid.
3 quinam ſint effectus interdicti? 244
4 a quibus interdictum violetur? 246
5 quanam ſint pœnæ contra violantes interdictum? ibid.
6 quid ſit ceſſatio a divinis, depoſitio, ac degradatio? 247
7 quinam ſint effectus ceſſationis a divinis, depoſitionis, & degradationis? ibid.

TRACTATUS VII.

DE MATRIMONIO.

QUÆSTIO I.

DE SPONSALIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplicia ſint ſponſalia? 249
2 quot ad ſponſalia valida requirantur conditiones? 250
3 quomodo, valeant ſponſalia conditionata? 252
4 quinam ſint ſponſalium effectus? 254
5 quot modis ſponſalia diſſolvantur? 255
6 quomodo ſponſalia, ac proclamationes Matrimonio præmitti debeant, & quibuſnam ex cauſis diſpenſari poſſint proclamationes? 259

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA MATRIMONII.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Matrimonium? 262
2 *an Matrimonium ſit Sacramentum, illiuſque uſus ſit licitus, & neceſſarius?* 263
3 *an valeant Matrimonia infidelium, & indiſſolubilia, ac Sacramentum fiant per baptiſmum?* ibid.
4 *an Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ſint licita, ac valida?* 264
5 *quænam ſit materia, forma, & Miniſter Sacramenti Matrimonii?* 265
6 *quiſnam ad Matrimonium requiratur conſenſus?* ibid.
7 *quænam ſint Matrimonii bona, onera, & proprietates?* 270
8 *an pluralitas uxorum, & virorum ſit licita?* ibid.
9 *an Matrimonium ſit indiſſolubile?* 271
10 *an conjuges teneantur cohabitare?* 274
11 *quibus ex cauſis poſſit fieri divortium?* 276
12 *an divortium propria poſſit fieri auctoritate?* 279
13 *an lata divortii ſententia ſtatum mutare, vel propria auctoritate poſſint reconciliari?* 280
14 *qualis ſit obligatio reddendi, ac petendi debitum, quando jus petendi debitum amittatur, & a quo amiſſum diſpenſari poſſit?* ibid.
15 *quænam requirantur conditiones, ut actus conjugalis ſit licitus?* 284

QUÆSTIO III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplicia ſint Matrimonii impedimenta? 287
2 *quinam impedimenta Matrimonium impedientia, vel dirimentia inſtituere poſſit.* 290
3 *quot ſint impedimenta Matrimonium impedientia?* 291
4 *quot ſint impedimenta Matrimonium dirimentia?* ibid.
5 *quot ſint impedimenta Matrimonium dirimentia Jure eccleſiaſtico?* 295

6 *quiſ-*

6 *quiſnam in impedimentis Matrimonii diſpenſare poſſit, & ob quas cauſas diſpenſatio dari ſoleat; ac quomodo revalidari debeat Matrimonium invalide contractum?* 309

7 *in quibuſnam caſibus ad S. Pœnitentiariam pro diſpenſatione recurrendum ſit, & quanam cauſæ ſint allegandæ?* 313

8 *quomodo diſpenſatio a S. Pœnitentiaria, & Dataria petenda ſit?* 314

9 *quanam pro valida diſpenſationis executione obſervanda ſint?* 318

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE
MAG 2002432

Digitized by Google